

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO LEOPARDIANO(?)



HOMILIARVM DOCTISSIMI VIRI IOANNIS ECKII, ADVERSVS QVOSCVNQVE NOSTRI TEMPORIS HÆRETICOS, SVPER EVANGELIA DE TEMPORE, ADVENTV, VSQVE AD PASCHA.



TOMVS PRIMVS.





PARISIIS,
Apud Michaëlam Guillard, viduam Gulielmi Desboys, sub Sole aureo, via Iacobæa.

1566.

S. D. N. CLEMENTI VII PONTIFICI OPT. MAX. CHRISTI IESV

in terris summo vicario, post oscula pedum beatorum, dei gratiam ac felicitatem.



Va ratione, beatissime pater superioribus annis aggressus sim homilias edere in lingua Germanica, aduersus pestilétes Lutheri, Zuinglij ac Parabaptistarum hæreses, epistola illustrissimo Lotharingiæ duci scripta affatim explicat. quod etsi exemplaria linguæ nostræ iam aliquoties fuerint typis excusa, catholicis nimirum auidè illa conquęrentibus, tamen patronorũ nó modò hortatu, sed iussu quoque curaui, vt in Latinum verterétur. sic enim ecclesia (Augustino ita explicante) hodie variis loquitur linguis. Sudoribus nostris vt Mecœnatem paratem, quò felicibus prodirent auspiciis, S T. ex omnibus potissimùm delegi, cui hęc nostra dedicarentur. Nam cùm hîc in primis Christi Iesu gloriæ, animarum saluti, ac sanctę Ecclesię dei sit sudatum, non nisi supremo dei Christique vicario nuncupãdum fuit opus, in nauicula Petri hoc periculosissimo tempore regenda ac defendenda laborissimè desudanti: quod pro candore animi sui S. T. clementi clementia beneuolentissimè suscipiet cùm dominus Iesus, cuius officio inter homines amplissimè fungeris, viduam duo æra minuta offerentem, tanto extulerit præconio. Valeat S. T. deo seruatore incolumitatis tuæ felicissime, Ingoldstadij Bauariæ x 1. Iunij, Anno gratiæ x x x I I I. supra sesquimillesimum. S. T.

seruitor

à pedibus

Ioannes Eckius.

AD ILLVSTRISSIMVM LOTHARINGIÆ DVCEM D. ANTONIVM, ETC. IOANNIS ECKII

Epistola.

Illustrissime princeps & domine, scribit Apostolus Paulus Romanis, Quæcunque scripta sunt, ad nostrã doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. Expensa verò scriptura sacra in penitiori & recondito sensu, non parum momenti habet, si quid futurum sit spiritus ad cautelam nostram prædixerit. Sic Iacob *patriarcha dixit filiis suis, Cõgregamini, vt annunciem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis, congregamini & audite filij Iacob, audite* Israel *patrem vestrum. Quod si* Iudæi *attentè prophetiam de messia à* Iacob *tunc pronunciatam intellexissent, regẽ gloriæ nunquam crucifixissent. Nisi enim cæci fuissent, vidissent & tũc & modò se neque reges neque duces habere ex* Iuda, *imò nullum magistratum, cùm eorum sint tot milia in terris.* Ideo *Christus inquit ad eos, Ego veni in nomine patris mei, & non accepisti me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis hic erit Antichristus, de tribu* Dan *natus, cui adhærebunt* Iudæi *contra prophetias* Iacob, *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò. Huiuscemodi futura quæ ecclesiæ euenient, etiam in nouo testamẽto scripta sunt. nam Christo apostolis spiritum paracletum promittente, subdidit, Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur: & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Sic Christus futura prædixit ad negatione* Petri, *destructione Hierusalem, aduentu spiritus sancti, persecutione tyrannorum, & de nouissimis diebus. Sic apostoli in scripturis nobis reliquerunt multa de nouissimo periculoso tempore,* Petrus, Paulus, Ioãnes *&* Iudas *Thaddæus. Sed quorsum hæc, princeps excellentissime? vt catholicus cordatus quisque expendat scripturã & faciat bonum, ac declinet à malo, ne simili cæcitate labamur sicut Iudæi. Nam sicut in veteri testamento locupletè est prophetatum de aduentu Messiæ per Abraham ex tribu* Iuda, *de domo Dauid, ex virgine, in ciuitate Bethleem, &c. sic & aduentus Antichristi cum sectis præambulis sufficienter prænunciatus est in nouo testamento. Qui ergo, affectata ignorantia deserit ecclesiam dei & sanctam eius vnitatem, & sectatur nouas sectas, antiquas hæreses, schismata, seducit seipsum in perpetuum excidium. Sic enim præmonuit nos* Christus, *Surgent e-*

Rom. 19. Gen. 49. Ioan. 9. Ioan. 5 Gen. 49. Ioan. 16. Mat. 26. Lu. 19. 25 Ioan. 16. Mat. 24 2. Pet. 3. 2. Thes. 2 1. Tim. 4 2. Tim. 3. Iud. 1. In Apo. Matt. 14

nim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabūt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si hanc diuinam paternam admonitionem obseruaremus, non essent tot sectæ & seditiones in Christiano orbe. ait enim ibidē & apud Marcum, Si quis dixerit vobis, Ecce hic est Christus, ecce illic, ne crediderítis. Quàm piè admonet nos saluator, vt caueamus à sectis, cùm Luther iactet quòd regnum Christi sit penes se: Zuuglius arrogat sibi hoc regnum. (nam per Christum hic regnum si dei intelligitur, non eucharistia, vt hæretici diuinantur) hoc idem faciunt Picardi, Parabaptistæ Spirituini Inconomastiges, & alia huiusmodi portenta & mōstra: à quibus omnibus dehortatur nos Christus, dehortantur Petrus ac Paulus, ac alij apostolici culminis primates. At pseudoprophetæ apertissimas huiusmodi & indubitatas scripturas, fictis ac peruersis glosis lacerant & subuertunt. In qua perfidia propaganda adeò diligentes sagaces fuerunt, vt in paucis annis vniuersam Germaniam hæreticis & & seditiosis libellis oppleuerint: & præcipuè multis & varijs sermonibus disseminatis, plebem in seditionem concitauerunt & inobedientiā, aduersus deum ecclesiam & ecclesiasticam ac secularem potestatem. In qua re strenuam operam impenderunt: nullis laboribus impensis aut fastidiis parcentes, cùm interea catholici in defensanda fidei veritate sint omnino tepidi ac frigidi, vt verissimè dixerit Christus Filij huius seculi sunt prudentiores filiis lucis. Nam dum schismatici aceruos, imo montes homiliarum emiserint, contra catholici rarenter sermones ad plebem ediderunt adeò vt inquisiti tam ex clero quàm laicis hunc fucum prætexerint. Emisse quidem se & legisse Lutheri & aliorum homilias, quia catholicorum non extarent venales, quamuis excusatio illa minimè eos expurget, sed reddat magis sontes, Gregorio dicente Peccatum pec cato addit qui culpæ quàm facit, patrocinia defensionis adiungit. Ex iis & aliis causis moti sunt, syncero & catholico animo nobilissimi Bauariæ principes ac domini, D. Gulielmus & D. Ludouicus germani fratres, patroni mei piissimi: sicut vigilantissima diligentia curauerunt subditos in vero fide & auita religione conseruare, & nouarum sectarum ac hæresum propagatores ac præcones variis tormentis affecerunt & extirparunt: ita matura & graui deliberatione præhabita, eis visum est esse consultum, vtile ac catholicæ fidei proficuum, si homiliæ per circulum anni in lingua Germanica ederentur, de tempore, ex Biblicis scripturis, iuxta explanationem sanctorum patrum, intellegentiam communem, & sensum ecclesiæ catholicæ, ac doctorum ab ea apprabatorum, & in primis Dionysij, Ambrosij, Cypriani, Augustini, Chrysostomi, Hieronymi, Bedæ ac aliorum. Hoc onus inclyti principes humeris

Mar.13. — *2.Pet. 2.* — *2.Tim.4* — *Luc.16.* — *Libr.22. Moral.* — *Duces Bauariæ.*

meis debilibus imposuerunt, ad laudem dei, suorum subditorum salutem, & fidei catholicæ augmentum & defensionem: quibus ego non grauatè pro debita obedientia morem gessi, ac in subiectam formulam, non sine ingenti, labore, redegi. Hunc itaque librum homiliarum de tempore, illustrissime princeps, cùm edere statuissem, visum est præclarè cum eo actum, si tibi dicatus prodiret in orbem motus præcipuè hac ratione, quod illustriss. D. T. tam catholicè ac strenuè se gessit aduersus hæreticos ac seditiosos, vt hinc apud deum Opt. Max. gratiam demeruerit, atque apud homines laudem immortalem. Quod virtutis insigne ornamentum, velut hæreditarium ab inclytis Lotharingiæ ducibus accepisti, qui semper in causa fidei ardenter amantes & fideles protectores inuenti sunt. Posteaquam enim regnum Austrasiæ (in quo Carolus Martellus, Pipini, & Carolus magnus nati sunt) in Lotharingiam, Brabantiam & Luzelburgum sectum est principes Lotaringiæ in causa fidei semper reperti sunt constantes, & strenui, & optime animati. Testis est locupletissimus Gotfridus dux de Bulion, ascitus à Lotharingo in hæredem, qui passagij Hierosolymitani supremus præfectus, vicit Antiochiam & alias præclaras vrbes orientis: tandem ciuitatem sanctam Hierusalem Anno gratiæ M. C I X. die X V. Iulij victoriosè cæpit, vbi & rex à toto exercitu salutatus est. Ardorem popelli Christiani tunc florentis agnoscimus, quòd dum exercitum recenseret ante Niceam Gotfridus, inuenta sunt sexcenta millia peditum, & centum millia equitum. Vestigia patrum secuti sunt duces posteriores vsque ad tempora principis Caroli. qui genero suo Renato, duci Calabriæ & Andegauensi ducatum contulit: filio autem Renati duce Ioanne sine mascula sobole decedente, sororius eius bello ducatum obtinuit, victo & cæso maximo ac bellicosissimo Burgundionum principe Carolo ante Nanceum, anno salutis 1477. ipso die Epiphaniæ. Horum nobilissimorum ac celebratissimorum principum vestigia secutus, dux excelse, dominia tua prudenter in magna securitate, pacificè, foris domique clarus administras. Et genuina animi tui virtus, magnanimitas fortissima, prudentia singularis emicuit magnificè, dum Lutherana hæresis pestilentissima ac exitialis in Germania oriretur, sategisti plus quàm paternis admonitionibus ac mandatis arduis hanc luem à subditis tuis propellere, ac ne inficerentur, præcauere. Et fortitudinem animi tui ac bellicæ rei peritiam tum maximè declarasti, cum sanguinolentum plebis Lutheranæ aduersus omnem omnino magistratum ac obedientiam in Germania ortum esset bellum, ac nobilitatem omnem, clerum ac monasticos in exilium pelleret, disiectis arcibus, direptis monasteriis, spoliatis ecclesiis, omnia ea mo-

Austrasia.

Austrasia diuina

Anno 1525.

liretur, que pessimi quique sacrilegi poterant excogitare. Tum labentibus rebus, trepidantibus clero ac nobilibus vniuersis, opportunè succurristi, coacto tumultuario milite ac valido equitatu, felicissimè seditiosos superasti ac confecisti apud Tabernas, apud nemus Castaneũ, ante vallum Alsatiæ, at plerisque aliis locis. Qua victoria & fidem catholicam, ecclesiæ obedientiam, clerum monasteria ac nobilitatem restituisti, & tibi gloriam peperisti nunquam intermorituram. Deus illustrissimã D.T. in felici ac victorioso regimine diu conseruet incolumen, & fidei assertorem inuictum tueatur, cui me commẽdo. Ingoldstadij Bauariæ, duodecimo Ianuarij. Anno huius seculi trigesimo supra sesquimillesimum.




DOMINICA PRIMA AD. VENTVS, EVANGELIVM. Matthæi 21.

IN illo tempore, Cùm appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Bethphage ad montem Oliueti, tunc misit duos discipulos, dicens eis, ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinã alligatam & pullum cum ea: soluite & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: quia dominus his opus habet: & cõfestim dimittet eos. Hoc autẽ factum est, vt adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem, Dicite filiæ Siõ, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Turba autem quæ præcedebant & quæ sequebantur, clamabant, dicentes. Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine domini.

Mar. 11. Luc. 19 Ioan. 12 Zacha. 9. Esa. 62 Ioan. 12. Mar. 11 Luc. 19 Ioan. 12

EXPOSITIO SEV HOMILIA I.

PRincipio hîc illa contextus euangelici historia apertè demonstrat, quomodo dominus gloriæ Christus Iesus, rex cœli & angelorum omniúmque creaturarum, in tanta humilitate ingressus sit amplissimam illam & magnificam ciuitatem Hierusalem, in qua Iudæi opulentissimi nobilissimíque habitabant, ibi nimirum in summa egestate se dedignatus non est exhibere, palámque videri ab omnibus: adeò vt mirum sit, altissimum se ad tantam demisisse humilitatem. Veruntamen vera eius esse verba oportebat, quando dixit, Filius hominis venit, non ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Et alibi etiam dixit ad apostolos suos, In medio vestrûm sum sicut qui ministrat. ¶ Nec est quod hũc Christi in vrbem ingressum paruifacias: olim enim iam prædixerat illum spiritus sanctus per prophetam Zachariam, sicut & euangelista eodem spiritu illustratus hîc in euangelio dicit, Dicite filiæ Sion, inquit Zacharias, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinã & pullum filium subiugalis, Illam enim sancti Augustini super Ioannem scribẽtis regulam, omnis Christianus plurimùm & diligenter põderare debet. Quando factum noui testamenti inuenitur prænunciatum in ve-

Mat. 20 Luc. 22 Zach. 9. August. regula

teri testamento, in lege aut prophetis, intelligamus hoc factum à spiritusancto, ad rem aliquam notabilem significandam. Cùm ergo Zacharias hunc ipsum Christi ingressum tot retro seculis annísque præuiderat, magnum quid & graue in eo positum sit oportet. Certum enim id signum erat aduentus Messiæ. quòd filiæ Sion dederat deus, populo nimirum Iudæorum. Ex quo Iudæos etiã præcipue in Christum credere conueniebat. Quo facit non tantùm quòd christus humiliter adeò asellæ insidens, ingressus est vrbem, sed ista quoque gratulabunda populi & puerorum acclamatio. ait enim Matthæus, Commota est vniuersa ciuitas, dicens, Quis est hic? Ingressus etiam templum, eiecit vendentes & ementes omnes ex illo, mẽsas nummulariorũ potenter euertit, cæcos & claudos in templo sanauit: quæ omnia suis circunstantiis antea nec contigerãt, nec visa nec audita fuerant Hierosolymis: eóque magis Iudęos & ex iis quidem magnates ac doctiores pręcipuè cõmouere debuerat propheticum illud Zachariæ signum, vnde cognoscerẽt hũc ipsum esse Messiã, de quo cuiusq; æquitatu hæc prædixerat Zacharias. ¶ Verùm inuidia & superbia ideo erãt excæcati, vt nõ viderent quã clarè & apertè in christo eiúsque ingressu prophetia hæc impleta esset. Quin potiùs magistrum illum suum, præterquam quod contempserunt, persequuti etiam sunt fortiter. statim enim post hæc subiungit Matthęus, Videntes principes sacerdotum & scribę (verum ij quinam sint, vide sermonem Epiphaniæ) mirabilia quæ fecit, & pueros clamentes in templo & dicentes, Osanna filio Dauid: indignati sunt, & dixerunt ei, Audísne quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis, Vtique, nunquam legistis, quia ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem? Sed & Lucas commemorat, quomodo quidam pharisæorum de turbis dixerunt ad illum, Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait, Dico vobis, quia si ij tacuerint, lapides clamabunt. Quo nimirũ declarare voluit Christus, quàm certò & efficaciter omnes de se prædictæ prophetiæ essent implendæ, aut potiùs illas sublatis vocibus, lapides essent proclamaturi.

Mat. 21. *Mat. 21.* *Psal. 8* *Luc. 19.*

¶ Deinde non tantùm hoc suo equitatu dominus Messiam se esse euidenter comprobauit, quem olim propheta Zacharias prædixerat, sed simul etiam istorum falsam de Messia

conceptam opinionem excludere voluit. Nam & tunc eius erant sentétiæ Iudæi,& nunc quoque hodie sunt, quæ profectò nec nulla nec exigua est causa etiam num tantæ & cæcitatis & pertinatię illorum,quòd tam contumaciter in sua perseuerant infidelitate. Putabant enim Messiam vécturum in sublimi rerum secularium administratione magnáque pompa,& magnificentia vulgi iudicio splendida, adeò vt toti imperaturus esset mundo, illúmque vniuersum regno Iudaico pariturum. Et hanc falsò persuasam opinionem ex scripturis exuxerant,sicut nunc quoque hęretici scripturas falsò intellectu exponunt. Quum dicit dominus per Esaïam, Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: venite ascendamus ad mõtem domini, & ad domum dei Iacob,& docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. Quomodo & Ieremiam intelligebant,dicẽtem, In tempore illo vocabunt Hierusalem solium domini, & congregabuntur ad eum omnes gentes in nomine domini in Hierusalem. Sed & Dauid ait, Adorabũt eum omnes reges,omnes gentes seruient ei:coram illo procident Æthiopes,& dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum & id genus locos alios plurimos in eandẽ inducunt sentẽtiam. ¶ Atqui huiusmodi falsam opinionem non mali tantùm habuerunt Iudæi, sed etiam qui pij erant adeóque cognati & apostoli christi sicut enim Matthæus scribit,Venit ad Iesum mater filiorum Zebedæi,orauit vt ex iis alter ad dextrã, ad sinistram alter sederet in regno suo. Quanuis Marcus asserat Ioãnem & Iacobum filios Zebedæi hoc ipsum petiisse(tu hæc requirere in sermone festi sancti Iacobi.) Iam vero, vt quidem Hieronymus & Chrysostomus rationem explicant,Salome mater illorum hoc muliebri quadam benignitate & affectione permota à Christo petiit. Putauit enim eum post resurrectionem ilicò regnaturum,& hoc quod in secundo aduentu promittitur,in primo esse complendum,& auiditate fœminea præsentia cupit,immemor futurorum. Quo animo apostoli quoque rati sunt,fore vt Christus populo Israël seculare suum imperium restitueret,quum illi iam in cœlum ascensuro dicerent: Domine,si in tempore hoc restitues re-

Esaie 2
Iere.3
Psal.72
Mat.20.
Mar 10.
Hierony.
Chrysost.
Act.1

gnum Iſraël?¶ Verùm noſtrates quoq; Iudęi fortiter adhuc innituntur illi, quòd ſicut iam per vniuerſum mundum diſperſi miſerrimam vitam viuunt, ſine regimine & magiſtratibus. poteſtati tantùm ſubiecti Chriſtianorum, multóque duriùs Turcarum, ita rurſus liberaturus ſit eos Meſſias, & in terram Iudęorum collecturus: vt in Deuteronomio promiſ-

Deut. 30 ſum erat, Quum reducturus eſſet illos de cunctis populis,

in quos eos autè diſperſerat. Et ſicut Ezechiel ſcribit, Con-

Eze. 39. gregabit eos ſuper terram ſuam, & non derelinquet quenquam ex eis ibi. Sed & ſperant Meſſiam templum illi rur-

Zacha. 6 ſus ſuum ædificaturum, queādmodum dixit Zacharias, Ecce vir, oriens nomen eius, & ipſe extruet templum domino & ipſe portabit gloriā, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo. ¶ Sententiam iſtam elatam nimiúmque faſtuoſam veterum ſimul & recentium Iudæorum, mitiſſimus & humilis dominus Ieſus, iam hodie penitus concutit, euertítq; vnica hac aſina: cui velut pauper & egenus inſidens, vrbem ingreſſus eſt: illam quoque propriam non habuit, ſed commodatitiam, pro qua ſuos etiam apoſtolos emiſerat qui adducerent. Quod certè vnà cum Zachariæ teſtimonio falſam iſtam Iudæorum ſententiā validè confutat. Quicquid enim prophæte & Moyſes prædixerant, de ſpirituali regno Chriſti & fidei, Iudæi ſuæ perfidiæ conſulentes detorſerunt ad externam temporalem ſecularémque adminiſtrationē. Planè enim ſicut hic Zacharias humilē & pauperem illum ingreſſum Hieroſolymam prædixit, ita cæteri quoque prophetæ aduentum ſuum in humilitate & paupertate deſcri-

Gene. 49 pſerunt. Siquidem ipſe etiam patriarcha Iacob de Meſſia loquens, aſinæ meminit & pulli, & Dauid quoque in perſo-

Pſal. 87. na illius dixit, Pauper ſum ego & in laboribus à iuuentute mea, exaltatus autem, humiliatus ſum, & conturbatus. Et huic quidem humilitati ipſe Chriſtus vt hîc facto, ita alibi

Mat. 8 verbi teſtimonium præbet, quum ait, Vulpes foueas habēt, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet. Quid multa? adeò egenus extitit Chriſtus vt ei didrachma etiam defuerit, vnde vectigal exſolue-

Mat. 19. ret. nanque quum eo opus haberet, Petrum tandem ablegauit, piſcem qui caperet & inde eximeret didrachma. Adeò etiam egenus & pauper fuit ille, ſi more mundano loquamur, vt emendis etiam ſibi pro diſcipulis ſuis panibus in

defectto pecunia defecerit. Messias ergo Christus Iesus egenus venit in mundum, sicut & pauper ingressus est Hierosolymam. ¶ Ad extremum, disce hinc quisquis pauper es humilitaté. pauper enim extitit ipse etiá saluator tuus & redéptor: tua tuæq; animæ salutis causa pauper ille natus est, in præsepe repositus est, diuersorio etiá carés in Mariæ puerperio. Pauper extitit & in exiliú fugit in Ægypto. Pauper ingressus est in Hierusalé super asinam. Pauper & nudus in cruce pepédit. Pauper etiá mortuus est, proprioq; carés sepulchro: vnde & Ioseph ab Arimathia illú sepeliuit in suo nouo sepulchro. Esto itaque & tu pauper cú paupere Christo, & vt maximè formosus sis & diues, humilis tamen esto cú domino Iesu. Ná & ille rex est regú, omniúq; dominantium dominus, vt ait Ioannes: & tamé vrbé ecce maximam Hierusalem ingreditur asella vectus cómodatitia Profectò enim si illud nobile virtutum omniú speculum sequuti sedulò fuerimus, paupertaté patiéter sustinuerimus, & in ipsis quoque diuitiis humiles tamé extiterimus: ille idem nobis Christus Iesus post has diuitias gloriæ suæ dabit virtuté, vt sic spiritusancto cófirmati & hîc sua sancta fide diuináque roboremur charitate, & illic in futuro seculo æterna decoremur felicitate: quod nobis dominus deus cócedat, Amé.

Luca 9
Ioan. 6
Disce pauper.
Lucæ 2.
Matth. 2
Mat. 21.
Mat. 27
Apo 19
Ephe. 3

HOMILIA II.

SAnctus Augustinus super euangelium Ioannis scribés, regulam quandam nos docuit, Christianis omnibus & animo firmiter concipiendam, & in euangeliis subinde vsurpandam: ait enim, Ea quæ fecit dominus noster Iesus Christus stupenda atque miranda, & opera & verba sunt. Opera, quia facta sunt: verba, quia signa sunt. Ergo opera licet ita reuera facta sint, tamen aliquid significant ad nostrá doctrinam & eruditionem, vt sic in credendis & agendis meliùs instruamur. Regula hac vti ecclesiá, nónne vel hinc claré cernimus, quo euágelium illud bis in sacro Missæ legit officio, iam hodie dominica prima Aduentus, & dominica Palmarum? Nam iuxta hanc Augustini regulam, hunc Christi ingressum intelligere & considerare possumus, partim in se, vt opus, quomodo in dominica Palmarum legitur, quoniam ea die contigit, vt Christus super asinam inueheretur in Hierusalem ante suam passionem & mortem. Partim secúdum id quod significat, & nos docet. Quod ad

Regula bona Augustini.

ſignificationem attinet, ſicut Chriſtus humiliter ingreſſus eſt vrbem Hieroſolymam ſuper aſinam ſedens, ita & filius dei venit in hunc mundum, demiſit & humiliauit ſemetipſum, aduenit ſuper aſinam, hoc eſt, in ſanctiſſima carne, quam ille ex puriſſimis guttulis ſanguinis Marię aſſumpſerat: de cuius humilitate nobis ſanctus Paulus ad Philippenſes hæc ſcripta reliquit, Quum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem crucis. ¶ Nec eſt quod quiſquam fidelium admiretur, quòd iam diximus aſinam cui inſedit Chriſtus, ipſam eius ſignificare humanitatem. Nã & Chriſtus ſemet rebus conferre dedignatus nõ eſt vilioribus, quàm ſit aſina: ſicut apud Dauidẽ inquit, Vermis ſum & nõ homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Et tamen aſinã ſuæ humilitatis gratia ſignificare benedictam Chriſti humanitatẽ, patet ex prophetia Iacob. In benedictione Iuda, vbi ex ſentẽtia ſanctorum doctorum omnium loquitur de Meſſia, quem miſſurus eſſet deus, quíq; futurus erat expectatio plebis ſequitur inde, Ligãs ad vineam pullũ ſuũ, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam, & hoc ille fecit in venerabili ſacramento, vbi corpus ſuum ſub ſpecie vini ſuo vniuit ſanguini. ſicut enim firmiter credit eccleſia, corpus, anima & ſanguis Chriſti, ſingula hæc ſub ſingulis ſpeciebus tota & integerrima ſunt, vt iam nihilominus tantũ ſuſcipiat laicus ſub vnica ſpecie, quam ſacerdos ſub vtraque, ſed de iis aliâs. ¶ Quũ ergo iam eccleſia antè Chriſti natiuitatẽ aduentũ conſideret dominicũ, rectè hodie euangelium illud legit, quo eius in carnem ſignificatur aduẽt⁹. omnis enim cogitatio & meditatio eccleſię, nũc de aduentu domini eſt, vnde & tẽpus hoc Aduentus appellari cœpit, olimq; obſeruatũ à priſcis piè eſt & ſanctè, multum in eo ieiunatum, à pleriſque cõfeſſio facta, quando etiã tunc in natali domini euchariſtia ab omnibus ſumebatur, ſicut nunc in ſolennitate paſchali: eius rei ſatis magnum teſtẽ Fabianum habemus martyrem & Papam, ſic inquientẽ, Et ſi non frequentius, ſaltem in anno ter homines communicent, niſi forte quis maioribus quibuſlibet criminib⁹ impediatur, in paſcha videlicet, & penthecoſte, & natali domini. Sed & ſacrũ concilium Agathenſe, ſimiliter & Eliberta-

Philip. 2. *Pſal. 21.* *Gene. 49.* *De conſe. diſt. 10. c. etſi non frequen. Ibi ca. ſecun. c. omnis homo.*

num decreuerunt, vt seculares, qui in natali domini, pascha & pentecoste non communicauerint: catholici non credan tur, nec inter catholicos habeantur. Et ô quam sanctũ illud tempus erat, quo charitas Christiana tã magna erat, tãtúmque feruebat! Atque ideo etiã nuptias agere & id genus alia gaudia per aduentum prohibita sunt sicut in cõcilio Hilerdensi sancitum legimus, Non oportet à septuagesima vsque in octaua paschæ, & tribus hebdomadib' ante festiuitatem S. Ioannis Baptistæ, & ab aduentu domini vsque post Epiphaniã nuptias celebrare: quod si factum fuerit, separentur. *Cap. non opor. 33. q. 4 &c. Item de fer. c. capellanus.*

¶ Neque verò immerito sanctum hoc dominici aduentus tẽpus quilibet Christianus maiori & seueritate obseruat, & pietate præ cæteris (sicuti nũc quoq; in canonicis cœnobiis ieiunatur, quotidiéque cõciones fiunt in aduẽtu, vt per quadragesimã) Nam duo Christi aduentus in scripturis inuenimus, Alterum qui iam dudum præteriit, quo veniens in hũc mundum homo factus est. Et hũc quidem Christi aduẽtum veteris testamenti patres iam olim ardenti desiderio, votísque flagrantibus semper petierunt, sicut & Moyses dicebat, Obsecro domine, mitte quæ missur' es. Et Esaias clamat ad dominum, Rorate cœli de super, & nubes pluant iustũ, aperiatur terra, & germinet saluatorem. Iam tempora quo prolongabãtur magis eo cœperant fieri molestiora grauioraq; illis, quod Messiam nondum aduentare videbant, quod ille aduentum suum vsque adeo in quinquies mille annos differre pergebat. In eorũ persona ad illũ hæc clamauit Esaias, Vtinam disrumperes cœlos & descẽderes, à facie tua mõtes defluerent. Ita nũc quoque sancta ecclesia, quæ spiritu sancto gaudet rectore, sibi personã assumpsit veteris ecclesiæ, Deúmque precatur pro aduentu simul & semita æternæ fœlicitatis, & hoc ipso quidẽ aduẽtu tota vndiq; abũdat scriptura. In propria enim venit, & sui eum nõ receperũt, inquit Ioannes Et apud Lucam dominus ait, Filius hominis venit quærere & saluũ facere quod perierat. *Duo aduẽtus. Exod. 14 Esa. 45. Esa. 64. Ioan. 1. Luc 19.*

¶ Alter verò Christi aduẽtus est horribilis & tremendus, quo venturus ille est in iudicio extremo viuos iudicaturus & mortuos. Ita enim ad Iudæos dixit, Videbitis filium hominis venientẽ in nubib' cœli, in virtute multa & maiestate. Quod Esaias multò antè præuiderat in spiritu, dicens, Dominus ad iudiciũ veniet cum senibus populi sui. Profectò enim omnẽ iudicandi po- *Mat. 24. Esa. 3.*

testatem Christus habet, sicut ipse apud Ioannē profitetur,
Ioan.5. quum ait, Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. ¶Iam nunc ergo vtrunque Christi aduentū hoc sacro tempore recolit ecclesia, alterum quidem lætum, salutarem & pium planè ac misericordem, quo venit ille sicut
Esa.53. ouis non aperiens coram tondēte os suum. Vnde nōdum omnem lætū iam hodie reiicit cantū, gaudet enim super hoc priore aduentu atque ideo retinet gloriosum illud cāticum alleluya, Alter autē Christi aduētus in graui & districta erit
Luc.21. iustitia, quum iam christus adueniet vt leo rugiens. tunc enim ipsæ etiam cœlorū virtutes mouebuntur, tunc & terræ motus magni erunt, & mortui omnes resurgent, atque ab vltimis terræ finibus ad hoc conueniēt iudicium, in quo sa
1.Pet.4. nè quū vt Petrus ait, Vix iustus saluabitur, impius & peccator vbi parebūt? Vt iam rectè S.Hieron. dixerit. Siue come-
Hieron. dam, siue bibam, siue aliquid aliud faciā, semper vox illa videtur sonare in auribus meis: surgite mortui, & venite ad iudiciū. Verū de extremo iudicio peculiaris suo loco habebitur sermo. Tantùm illud hîc videamus, homo quum Christo cogitat aduentum, qui illum vel vitæ iudicaturus est æternæ vel dānationi perpetuæ, si ille verè pius est, humiliabit vtique se, & meritò quidē, timens deū, eidē quoque seruiet diligētiùs, in bonis deóque beneplacitis operibus sese exercebit sedulò, quo tādē se paret gratiam recens nati paruuli in natali illius abundantiùs & digniùs percipere, ipséque tandem in illo finali iudicio lætus compareat coram iustissimo iudice: vbi non perpetuis affligatur pro merito suo suppliciis, sed potiùs vitam impetret sempiternam ex misericordia & merito Christi Iesu, Amen.

¶ Postremò, quando dictum est hactenus, quomodo quáque significatione euangelium hoc vsurpetur, hac dominica, quur sanctum hoc tempus aduentus dicatur, & quomodo vtrinque nunc aduentus ad animum memoriámque reuocetur: restat iam dicere, quur id tandem quatuor diebus dominicis fiat: semper enim aduentus quatuor dominicas habet. Ad hæc iam respondeo, ordinatum constitutúmque
Quatuor dominicæ aduentus. id esse arbitrio & magno quodam consilio ecclesiæ catholicæ, quæ magistrum & rectorem suum habet spiritum sanctum: & quia super ea re biblicā scripturā nullam habemus, nec constat quādo hic aduentus cœperit, credendū sanè est,

hunc quoq; vt alias ceremonias plerasq; ex ipsa apostolorũ institutione promanasse, sicut & Hieronymus & Damascenus testantur de quadragesimali ieiunio, quo, ad ortiuã cœli partẽ adoremus, quod hebdomadalis feriatio ex sabbato in diem sit translata dominicũ, &c. Quãuis ratione certa nõ careant hîc quoque doctores, quur in aduentu factum id sit. Nãque & priorẽ Christi aduẽtum quatuor sunt quæ præcesserunt, inspiratio legis naturalis, institutio circuncisionis, legis scriptæ constitutio, & prophetiæ cõtestatio. Quatuor hæc Messiæ aduẽtum præcesserunt, quæ & quatuor iis dominicis diebus designãtur. Lex enim naturæ cœpit in Adam, circuncisio in Abraham, lex in Moyse, in Dauide autẽ prophetia (quãuis prius fuerũt prophetæ in particulari, Adam, Iacob, Ioseph, Balaam, Moyses, &c.) Et ad eundem modum quatuor etiam tẽpora post Christi ponunt aduẽtum, primũ apostolorum, quo Christianos persequuti sunt Iudæi. Secũdum martyrum, quando eodem in officio illos sequuti sunt Gentiles. Tertium doctorum, quo hæretici persequi cœperunt ecclesiam, idque ab imperatore Constantino vsque ad Carolum Magnũ durauit. Quartum verò cõfessorum à Carolo magno hactenus durat, durabítq; ad Antichristũ vsq;, quo non iam Gentiles & hæretici tantũ & tyranni, sed ipsi etiam peruersi Christiani fideles persequẽtur. Atq; id omne alterum illum Christi aduentum præcedet, quo ad iudicium venturus est, vnde & quatuor illis dominicis competenter designatur. ¶ Sunt tamen qui quatuor istorum dierum dominicorum in aduẽtu rationẽ hanc reddant, ex ipso etiã vocabulo, aduentus, constat enim ex scriptura Christum quadruplici via aduenire. Aduenit nanque primùm in humana natura natus in hunc mundum. Secũdò, veniet in vltimum iudiciũ, iustus iudex. Tertiò, etiã venit sub cuiusque hominis mortẽ. Quartò, in corda etiã singulorum hominum insinuans sese aduenit, & iustificans illum, & diuina sua gratia clementer visitans. De quolibet quatuor istorum generum aduentu per hoc tẽpus tractatur. & hodie quidem primus ille aduentus in mondum, & sic singulis dominicis deinceps, quemadmodum suo semper dicetur ordine. Quòd autem ad hunc in carne aduentum attinet, require in sermonibus de Christi natiuitate, & in die natiuitatis Mariæ.

Quatuor præcesserunt aduẽtum Messiæ.

Quatuor tẽpora post aduentum Christi.

¶ Istæ sunt autem rationes tantùm suasoriæ, augentes deuo

tionem fidelium non necessariò cogentes. Nam euãgelium de secundo aduentu Christi, habetur secundũ vsum Romanæ ecclesiæ, dominica prima aduentus. ¶Posset hic, neq; id etiã absurdè, induci, quã desideratus omnibus retro seculis fuerit Christi aduent' ille prior, sicut & Haggæ' dicit, Ve-
Hagg.2. niet desideratus cunctis gentibus vnde & Iacob patriarcha
Gen.49. desiderium illum dixit colliũ æternorũ. ¶Posset latiùs deinde explicari quantopere desideratus sit, in cœlo quidem ab angelis ab hominibus in terra, & in limbo à patribus. Ab angelis, siquidem lapsus illorum vnus hîc restitutor extitit. quãrum enim ciuium cœlestium lapsu Luciferi sociorúmq; erat deperditum, Christus locũ eorũ rursus hominibus suppleuit: testatúrque id ipse Dauid de Christo: Iudicabit in na-
Psal 109. tionibus, implebit ruinas. & non paulò apertiùs Esaias, di-
Esa.51. cens, Consolabitur dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius. Ab hominibus etiam plurimùm desideratus est
1.Tim.2. Christus, tanquã mediator, quẽadmodum Paulus ait, Vnus est deus, vnus mediator dei & hominũ, homo christ' Iesus. A patribus autem, vt redemptor desideratus est, iuxta prophetiam Zachariæ, In sanguine testamenti tui emisisti vin-
Zacha.9. ctos tuos de lacu. in quo nõ est aqua. Et Dauidis, Qui edu-
Psal.67. cit vinctos in fortitudine. Et hæc quidem facilè adductis scripturis dilatari possunt, iustúmque conficere sermonem.

HOMILIA III.

EVangelium hoc, tres in se continet partes. Primũ quomodo dominus quum venisset Bethphage, commiserit apostolis asinam adducere cum pullo. Deinde vt præceptum illud Christi impleuerint apostoli. Postremò, quibus modis apostoli, simul & totus populus domino ministrauerint, magnísque gratulationibus & applausibus eum collaudarint.

¶Quod ad primũ attinet, quum iam appropinquasset Iesus Hierosolymis, ibi sanè nescio misericordia ne Christi, an charitas maior demõstretur redimendo generi humano exhibita. Prius enim quã mortis suæ tẽpus aduenisset, quãuis
Luc.4. sæpe illũ quærebãt Iudæi occidere, sicut in Nazareth, quum in montem eũ adducerent excelsum, non parcẽtes illi, quod quidem in eis erat, quin ipsum de monte etiã præcipitarent:
Ioan.8. verũ ille trãsiens per mediũ eorum ibat. Sed & quũ arreptis lapidibus eum in tẽplo essent lapidaturi, nisi ipse templum egres-

egressus abscondisset se ab eis. Et aliás quoque quærentibus illis apprehẽdere eum, exiuit de manibus eorũ. Ac deinceps quum iam nõ palàm ambularet apud Iudæos, abiit in regionem iuxta desertum, in ciuitatẽ quæ dicitur Ephrem. Quando iam hora aduenerat salutem & redemptionẽ generis humani operãdi, non iam subterfugit, quin potius vltrò mitissimus dominus ad passionis suæ locum aduenit, non abhorruit etiam manibus sese offerre inimicorum. ita enim habet euangeliũ, Quum appropinquasset Hierosolymis. neque sanè eum passio & mors sua latebant: siquidem in ipso itinere iam sic dixerat ad illos, Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendũ. Ad hæc appropinquabat dominus Hierosolymis, ad passionẽ suam properàs, ad sua ipse supplicia vltrò festinans, voluntariè ad mortem trãsiuit, ex magna illa charitate, quã erga hominẽ habebat: vt sic illum rursus sibi cõciliaret: sicut per Hieremiã dicit, In charitate perpetua dilexi te, & ideò attraxi te, miserans. Vsque adeo enim paterno quodã nos ille dilexit affectu, accedens etiã vltrò ad locum quo moriturus erat, vt à fletu & lachrymis quoque sibi nõ temperarit, quum ciuitatẽ aspiceret Hierusalem: sicuti Lucas describit, quòd & desolanda illa esset, & inhabitatores eius tãtum angustiæ, afflictionis, ærũnæ & miseriarum perpessuri, quantum in mundo vix vnquam auditum foret. Sed ô domine Iesu Christe, etiam nunc appropinqua nobis per gratiam & misericordiam tuam. *Ioan. 10.* *Ioan. 11.* *Matt. 20.* *Matt. 21* *Hiere. 31* *Luc. 19.*

¶ Quum iam Iesus venisset Betphage ad montem Oliueti. Id sanè ab euangelista non temerè commemoratur. namque & Marcus & Lucas hîc mentionem faciunt Bethaniæ, quoniã Bethania & Bethphage loc⁹ hic vterque in mõte Oliueti non longè alter ab altero positus sit: & sicut Lucas in Actis ait, Mons Oliueti à Hierosolymis per iter distabat sabbati, hoc est, mille passibus. Quando enim sabbatum ritè sanctificare præceptũ erat, non licebat illis in eo vltra mille passus ambulare. Atque id sanè Iudæi vsu receptũ obseruauerũt sine omni præcepto scripturæ, tantũ hoc modo sibi à senioribus traditum: quomodo nos nunc quoque multis vtimur in ecclesia, quorũ (vt suprà dictum est) quæ sit authoritas, ignoratur, ita etiam nullum habemus scripturæ testimonium, *Marc. 11.* *Luc. 19.* *Act. 1.* *Glossa interlinearis.*

tantùm illum ab apostolorum temporibus in nostra hæc secula deriuatum vsum: quod sanè obseruatu dignissimum est contra nouellos istos Christianos, qui sine scripturis recipere nil volũt. Fuit autem Bethphage prædium seu villa sacerdotum, vbi sanè meritò Christus Iesus summus ille secun-
Psal. 109. dum ordinem Melchisedec sacerdos ingressurus iam in san-
Hebr. 9. cta sanctorum, ídque non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem quieuit: volebat enim iam sacerdotium illud vetus, vetúsque testamentum & sacrificium consummare. Ablegauit ergo apostolos suos ex Bethphage, qui sacerdotibus veteris testamenti successuri erant. Neque est quod in montis Oliueti expositione multum laboremus. oleum siquidem in scripturis misericordiam significat, quo ferè exemplo veteribus etiam Ethnicis oliua pacis signum extitit, vt iam nimis competenter totius misericordiæ dominus discipulos suos ablegauerit ex monte Olíueti.

¶ Atque hîc iam dominus discipulos ex suis duos misit in castellum, quod contra eos erat, vt illi asinam cum pullo adducerẽt. Discipulos hos duos sunt qui putent Petrũ & Ioannem fuisse, quod ij ferè magis quã cæteri familiares alter alteri fuerint. sicut ex cœna, in die resurrectionis in Samaria, & ex ipsa domini passione satis liquet S. Ambrosius super Lucam, Petrum & Philippum hos duos fuisse arbitratur. sicut & magister in historia scholastica (quamuis malè citet Philippum ex Actis apostolorum, capite octauo: quia ille nõ fuit Apostolus, hîc autẽ missi fuerunt apostoli: quia in præcedẽti capitulo dicitur secretò assumpsisse duodecim) Quicunque autem hi duo fuerint, non refert, quum suam semper habeat hoc expositionem, quæ nunc statim sequetur.

¶ Dixit verò dominus, Ite in castellum quod contra vos est. & inuenietis asinã alligatam, &c. Quod ad literam, asina hæc à diuitibus data fuerat in vsum pauperum, quibus nec emere nec fouere asinos facultas erat: vnde illam communem fuisse omnibus, certum est etiam hîc ex Lyra, post magistrum in historia scholastica. Verũ cõmissio illa si bene ponderetur, vt facit Chrysostomus, exigua nõ est. ibi enim declarauit Christus diuinitatem suam, suam potestatem, suámque rerum omnium scientiam & cognitionem, ostendens scire iam antè & illos asinam inuenturos & pullum alligatum, quódque & asinam & pullũ homines isti eis statim permissuri erant,

& hoc sane erat potẽter ac magna cum authoritate mittere.

¶ Sed & hinc nos discere oportet, paupertatẽ sustinere, non quærere fastum & tumentem superbiam, inquit Chrysostomus, ne maioribus inhiemus, quàm quæ requirit necessitas. Ideóque natiuitati suæ Christus matrem elegerit paupercu-lam, fabrilem cõiugem, non etiam domũ preciosam, sed casam & præsepe. Apostolos quoque vocauit, non doctos, diuites, nobiles, sed pauperes piscatores. Mensam illi panis ornabat ordeaceus, propriis carebat ædibus, tantùm de ciuitate vna in aliam pedester ambulabat, non puluinaribus insidebat, sed in mõte graminibus, exigente rei necessitate: flebat etiam & collachrymabat, iis omnibus nimirum regulam nobis Christianæ vitę prebens. Vnde & asinæ vrbem ingressurus insedit, tribus potissimum de causis, partim vt illud signum à propheta Zacharia iam olim traditum, quo Iudæi Messiam illum esse cognoscerent, hîc impleretur, partim ad designandum mysterium, sicut in secundo iam ante sermone, & mox ampliùs explicabitur. Partim denique ad bonorum morũ fidele exẽplum, ne nos quoque in apparatu pomposo, fastu & proterua tumidáque superbia viuentes ambulemus. Extende illa, & applica ex superioribus, & habebis sermonem. ¶ Hoc autem factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per prophetam dicentem, Dicite filiæ Sion, &c. Quomodo hæc prophetia iuxta literam faciat ad illũ Christi ingressum, & per se patet, & iam ante primo sermone explicatum est. Nunc ergo ad spiritalem sensum veniamus secundum regulam beati Augustini suprà in secundo sermone traditam, consideraturi quidnã hic nobis & facta Christi & verba designent: sequuturi etiam in hoc sanctum Chrysostomũ super Matthæũ, & sanctum Ambrosium super Lucam.

Per totum euãgeliũ.

Chrysost.
Ambro.

¶ Appropinquauit Christus sanctæ ciuitati Hierusalem. Hierusalem tantundem est ac si dicas, videns pacem, significátque hîc ecclesiam sanctam dei, quæ vt semel cœpit in Abel, ita duratura est vsque ad vltimum iustum, qui victurus est super terram. Hęc in veteri olim testamento paruula adhuc erat, carens vberibus, donec sponsus illius filius dei Christus Iesus ei appropinquauit, factus homo: vbi venit Bethphage, quæ vox Syrica est, inquit Hieronymus, non Hebræa, domúmque significat oris seu mandibulæ: designat autem thesaurum verbi dei, qui extitit in Christo Iesu

Cant. v.t.

Hierony.

Coloss. 2. In eo enim omnes thesauri sapientiæ & scientiæ fuêre recōditi, sed etiam secundum humanitatem suam Bethphage est. Ad montem venit Oliueti, hoc est ad altitudinem & sublimitatem pacis. verè enim hæc pax summa est, qua ille pacificator homines deo patri & angelis recōciliauit, vnde & angeli eius in natiuitate canebant, Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus. Quin potius ipse Christus ille mōs est Oliueti, quo pater cœlestis nobiles inserit oliuas, dicentes istud Dauidicū, Ego sicut oliua fructifera in domo dei. Et esse quidē oliuam pacis signū, ex Genesi perspectum habemus, vbi columba ramū afferebat oliuæ in arcam Noë. Christus enim ille ipse est, qui & pacem suam nobis dedit, & suam quoque nobis reliquit pacem ¶ Christus discipulos emisit duos. hoc est, prædicatores duos. Quo quidē numero nos prędicatores intelligere omnes debebimus, quos ex Bethphage, domo scilicet oris, ablegauit deus. nam in pręceptis geminę charitatis dei & proximi, omnes pendent prophetæ & lex vniuersa. Atqui ea ipsa illi prædicaturi erant præcepta. Vel etiā duos esse qui mitterentur conueniebat, quòd omnes prædicatores habeant scientiam in veritate, & puritatem in opere, vt inquit Beda. Quàuis etiam Theophy. exponit duos esse ad soluendum missos, Paulum quidem ad Gentes, Petrum verò in circuncisionem, hoc est, ad Iudæos: sicut ipse testatur ad Galatas. ¶ Et ait illis Christus, Ite in castellum, quod contra vos est. Sed quur Hierosolymā hîc castellum nominat? quoniā ibi non paradisum cœlestem, sed hunc mundum designat, quē diabolus extruxit cōcupiscentiis malis, confirmauítque priuatæ vtilitatis affectu, omniq; superbia & proteruitate. vnde & Christus nō Hierusalem, sed castellum dicit, adiiciens insuper, quod cōtra vos est. Certè enim contra dominū erat Hierusalem, quem crucifixit: contra apostolos etiam & discipulos Christi, quos persecuta est. Petrū & Ioānem namque captiuos coniecit in carcerem, virgísque cecidit, lapidauit Stephanum, Iacobum occidit, &c. Inuenietis asinam alligatam, &c. ¶ Per hæc animalia duo intelligit, quibusnam prædicare deberent apostoli, Iudæis nimirū, & Gētibus, vtrisque quidem magnis peccatorum vinculis constrictis idololatriæ nimirum & blasphemię. Nec est quod alienum hoc tibi mirúmque fiat, Iudęos & Gentes animalibus brutis designari. hoc enim & David nos docuit, Ho-

Marginal references: Coloss. 2. — Luc. 2. — Psal. 51. — Gene. 8. — Ioan. 14. — Matt. 22. — Beda — Theophyl. — Galat. 2. — Act. 5. 7. & 12. — Psal. 48.

mo,quum in honore esset,non intellexit, comparatus est iumentis insipiētibus,& similis factus est illis,quamuis & prohibeat hoc deus,ne similes illis vnquam efficiamus, per eundem alio loco sic dicentem, Nolite fieri sicut equus & mulus,in quibus non est intellectus. Psal.31.
Asina, quoniam & vetula & gestandis assueta erat ponderibus, synagogam rectè figurat Iudæorum,qui multo iam tempore legis Mosaicę iugum portauerant. Pullus autem cui (vt Marcus ait) nemo adhuc insederat, Gētes significat,legi diuinæ non alligatas, efferatas insuper & erroribus & indomitas, omnique blasphemia corruptas,quæ nec deum iam nouerant. Quid mirum autem si Iudæos & Gentes ad veri dei agnitionem Christus reuocauit,quū ipse sit ille lapis angularis, in quo, vt Petrus inquit, parietes duo isti ex Iudæis & Gentibus vnum facti sunt? Marc. 11. Ephes.2. 1.Pet.2.
¶ Hoc autem factum est, vt adimpleretur quod dictum est per prophetam. Et hæc quidē Zachariæ verba quilibet prædicator à deo missus,tanquam sibi dicta æstimare debet. Dicite,ô prædicatores,filiæ Sion,hoc est, cuique fideli animæ. Rex tuus,tuus deus & dominus,en tibi venit mansuetus, paratissimus iam misericordiam tibi hoc tempore gratiæ exhibere,dum asinę insidet & pullo,dum adhuc in tempore illo ecclesiā ex omnibus gentibus administrat & regit.nā quum in nubibus aduenturus erit iratus, seuerum tunc & iustum videbis iudicem. Ex iis solis verbis Zachariæ poteris facere sermonem de officio prędicatoris. Ad quam pulchrè sanctus Ambrosius hîc concludit, quum ait, Non enim mundi dominus forensi specie gestari dorso asinę delectauit, sed vt latente mysterio penetralia mentis nostræ insterneret, & in secretis animorū interiore concessu mysticus rector insideret,quasi quodā corpore diuinitatis infusus, regens mentis vestigia,lasciuiam carnis infrenās. ¶ Fecerūt ergo discipuli,sicut præcepit illis Iesus, nihil addentes de suo, quod nunc carnales isti faciunt prædicatores, nolētes sustinere vnà cum euangelio scripturæ sensum induci ex sanctis patribus, Augustino, Cypriano, Chrysostomo, Hieronymo, &c. Verum sua figmenta & somnia non temperantes, sibi etiam à calūniis omnium ordinum, ecclesiasticorum præcipuè, assumūt & intermiscent, sine vllo præcepto, imo & contra Christi præceptum. Non ita hîc fecerunt apostoli. Sequitur, Imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere Zacha. 9.

fecerunt,&c. Est quidē dubia hîc quæstio, quomodo Christus asinæ simul & pullo insederit. Theophylactus dicit primùm cum super asinam sedisse,postea super pullum, quia & primùm quieuit in Iudæorum synagoga,deinde in Gentili populo. Neque id sanè ineptè primum enim vocauit synagogam quum ipsi etiam apostoli & discipuli Christi,Iudæi fuerint,& ex illis deinde ecclesia succreuit catholica, dicente

Esa. 2. propheta,De Sion exibit lex,& verbum domini de Hierusalem. Deinde tandē pullo insedit,quo gentes significantur: quoniā in ipsa etiam prima apostolorum ad opus & officium prædicationis emissione.illos ad Iudæos tantum misit,quum diceret,In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Post suam autē resurrectionem,

Marc. 10. Ite,inquit,in orbem vniuersum, & prædicate euangelium

Marc. ult. omni creaturæ. Tunc enim illum etiam indomitum pullum

Hierony. sibi subiecit,& sub Christianam istam gratiæ legem subiugauit. Hieronymus quidem tam breui itinere putat Christum nō insedisse vtrique.& sanè si vsum ac necessitatem consideres tantùm, quid mirum si nullius planè vsus esset officio? verùm ad signum illud à Zacharia datum implendum, penes quod Messias cognosceretur, & ad hoc ipsum quoque arcanæ significationis consumādum mysteriū, piè credēdum est profectò. Neque id scripturæ est absimile,ipsum vtrique equitasse,siquidē super vtrūque illi etiā vestimēta posuerant sua.

¶Sed iam diu quæri audio,quid ista etiam sibi velint vestimenta apostolorum. Vitam nimirum eorum sanctam designant,quàm plurimum etiam attenderunt Ethnici, quò libentius faciliúsque fidem deinceps catholicā assumpserunt. Ita enim Christus, Sic luceat, inquit, lux vestra coram ho-

Matth. 5. minibus,vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Audite hæc Neochristiani, Christus opera bona lucere vult,quę vos tamen vsqueadeo contemnitis, vt etiam hypocrisin clametis esse. Ecce alterius à vestra persuasione sententiæ est Christus, huic nos adhęrentes fidem habebimus,non istis carnalibus & ex carne natis prędicatoribus. Vt ergo Christus commodè insidens asellæ ingredi posset,vestes illi suas, suam honestam conuersationem proposuerunt,vt sic tandem faciliùs asina gentilitatis

Pli. li. 10. Christum admitteret, ferrétque sessorem, sicut in epistola

epist. 96. quadam Plinius scribit ad Traianū, hîc enim quum Plinio

præceperat Christianos torquere & affligere, Plinius imperatori de inculpato eorum scripsit conuictu, quomodo neminem offenderent, deo supplicarent quotidie, orarent etiam quum ederent, & tunc gratias agerent. Quibus porrò applausibus, congratulationibus & honorificis tripudiis, turbæ dominum vsque in Hierusalem sint comitatæ, prostratis in vias vestibus, arreptis ex arboribus ramis, decantatis in hoc etiam à turbis & pueris hymnis & laudibus: paulò commodiùs in dominica palmarum explicabitur. ibi hæc lector diligens requirat. Beda. Qui vestimenta deposuerunt super asinam, apostoli, inquit, sunt, cæterique doctores. neque enim nudo insidet asino Christus, tectum illum esse oportet sana & catholica doctrina. Beda.

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS, EVANGELIVM, LVC. 21.

IN illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis, Erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cælorum mouebuntur. Et tunc uidebunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem, Videte ficulneam & omnes arbores, cùm producunt eam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita & vos cùm videritis hæc fieri, scitote, quoniam prope est regnum dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Esaiæ 13. Ioel. 2. Matt. 24. Mar. 13. Esaiæ 3. Matt. 24. Mar. 13. Mat. 24. Mar. 13. Rom. 13. 2. Thes. 13. Apoca. 8.

HOMILIA PRIMA.

EVangelio iam hoc præcipuè nobis Christus suum illum declarat ad iudicium aduentum, quo venturus est iudicare viuos & mortuos, eóque nunc ideo vtitur ecclesia, quoniã hoc iam tẽpore Christianos filios suos illa admonet iudicii istius meminisse: quod quum faciũt, faciliùs se hîc deo recõciliẽt cúmq; maiori lætitia in extremo tãdẽ iudicio appareant præmiũ simul ac æternæ bñdictionẽ salutis recepturi.

Primùm auté ftátim figna hîc Chriſtus enumerat, dié illum iudicij præceſſura, deinde aduétum ſuum, tertio loco cõſolationem bonorum: mox & exemplis eadem declarat, atque ad extremum cõfirmat tràdẽ hæc omnia certò certiùs eſſe adimplenda. Sed nos ipſum iam contextum ſecundũ literã explicemus. deinde opitulãte dei gratia articulos hinc educamus.

¶ Erunt, inquit Chriſtus, ſigna in ſole, &c. Quæris, quando *Lucæ 21.* hæc ſigna futura ſint? Ex Luca id quidem non ita cõſtat, paulò anté enim quã hæc dixit, loquuturus erat Chriſtus de miſerando vrbis Hieruſalem excidio: atque hoc ita concludit, Hieruſalẽ calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum. Et erunt ſigna, &c. Ex iis ſanè verbis quid colligas non habes: nec certus eris quando hæc ſigna in ſole & *Matt. 24.* luna apparebunt. Verùm ex Matthæo ipſam etiam temporis licebit addicere circonſtantiam. Quum enim enumeraſſet iam Chriſtus illas, quæ ſuper terram futuræ ſunt per Antichriſtũ calamitates & perſequutiones, ſequitur, Statim poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur. Vnde certa ſtat ſententia, ſigna quæ hîc in euangelio commemorantur, futura poſt Antichriſti tempora, ante tamen diem extremum. Nanque vbi Chriſtus dominus ſpiritu oris ſui interfe- *1. Theſſ. 2.* cerit Antichriſtum, ſicuti Paulus teſtatur, & Iudæi, & Ethnici, quſque ex Chriſtianis deſciuerant, agnoſcere iam cœperint ſe ab Antichriſto inſigniter falſos eſſe & deceptos, tunc demum ij quoque ſe per cõtritioné & pœnitentiã ad Chriſtũ conuertẽt, nec multò poſt ſigna, de quibus hîc in euangelio, incipient. Quoniam autem inter Antichriſti mortem & diem extremum temporis aliquid intererit, colligere facilè *Apoc. 8.* licet ex verbis ſancti Ioannis in Apocalypſi. Quum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in cœlo, quaſi media hora. ac deinceps de cantu angelorum narrat, quid miſeriæ & calamitatis futurum ſit ſuper terram. Quum ergo & hîc Ioannes meminerit mediæ horæ, & apud Matthæum dicatur, ſtatim, nónne patet ab interfectione Antichriſti nõ diu ſigna hæc in cœlo apparitura? ¶ Deinde ſigna quæ videbuntur, Chriſtus hîc enumerat quinque. Primum de cœlo in ſole, luna & ſtellis, quæ tamen cuiuſmodi ſint futura, ex hoc loco non conſtat, verùm Chriſtus eadẽ apud Matthæum latiùs explicat: quum dicit, Statim poſt tribulationẽ dierum illorum ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, &

ſtellæ cadent de cœlo. Pulchrum ſanè & venuſtum mundi huius, veluti cœmylion, eſt Sol: vt pote qui ſuo curſu totum mũdum regit, quotidie circa terram rotatus & agitatus, nec curſu ſolo, ſed & ſplẽdore & influẽtia, vnde æſtatis & hyemis pendet viciſsitudo: & quicquid tã hyeme occidit, quam æſtate naſcitur, vt rectè ſimul & ſapienter dixerit Sapiens. Sol in aſpectu annuncians in exitu, vas admirabile, opus excelſi. Erunt ergo in illo omnibus conſpicuo ſole ſigna. Quæris ſigna cuiuſmodi? ſanctus Aug. in libro de doctrina Chriſtiana, regulam nobis exhibet valde neceſſariam, quam ad manus etiam nos habere ſedulò addecet. Doctè enim ille tradit, cur aliqua ſint obſcurè in ſacris literis tradita, ad edomandã labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum. Docet etiã quomodo ambigua ſcriptura ex propriis verbis triplici cauſa diſſoluitur, eadémq; clara fit ex regula fidei, quæ de planioribus ſcripturarũ locis & authoritate eccleſiæ petenda ſit, ex conſequentibus & præcedentibus partibus ſermonis, collatione item interpretum, linguæ præcedentis inſpectione & ſcripturarum collatione. Ex Matthæo autem iam antè audiuimus, ſolem caligine obduci, cuius reì apertiſsimum habemus etiam in Ioele contextum, Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies domini magnus & horribilis. Dies iſte magnus, dies extremus eſt. Sæpe enim in ſcripturis dies domini pro die quo ad iudicium venturus eſt Chriſtus, vſurpatur. Planè ſiquidem dies iſte ſuus eſt dies, cũ omne iudicium pater dederit filio. Et ſi in ſcripturis porrò peragamus quærere, inueniemus hoc ipſum in myſtica illa Ioannis Apocalypſi de ſole, luna & ſtellis dictum. Ecce terræmotus magnus factus eſt. ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, & luna tota facta eſt ſicut ſanguis, & ſtellæ de cœlo ceciderunt ſuper terrã. Neque verò in ſole tantùm & luna ſigna hæc cernentur, ſed & alia multa. Ad declarandum enim horrorem irati iudicis qui die illo venturus eſt, deerrabunt ex ſolito ſuo motu, ſtabũntque interdum: quod quidẽ ex prophetia Abacuc Albertus colligit, Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum. Sol quoque pars non exigua percutietur, ſicut Ioannes dixit, Percuſſa eſt tertia pars ſolis, & tertia pars lunæ, & tertia pars ſtellarum, ita vt obſcuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia & noctis ſimiliter. Et

Sol. *Eccle. 43.* *Auguſt. li. 3 de doct. Chriſ c. 2. & alias ſæpe.* *Ioel. 2.* *Ioan. 5.* *Apoc. 6.* *Abacuc 3.* *Apoc. 8.*

hanc tu percuſsionem intelliges ſecundum diminutionem influxus eorum, quem aliâs habét in ea quæ ex terra pronaſcuntur, qui ſanè nõ minimus futurus eſt defectus in omnibus fructibus terræ. inde enim non fames tantùm, ſed & omne morbi genus ex præcocibus fructibus promanabit.

¶ Quanuis iſte ſtellarum de cœlo lapſus, non eſſentialiter & in rebus ipſis ita debet intelligi, tantùm enim id ita fieri propter fulgura, ſtellas volãtes aliáſq; impreſsiones metheoricas apparebit hominibus: vſqueadeo tamẽ ſtellę quoque lumen ſuum amittent, vt nec amplius videbuntur, & homines

Eſaiæ 13. ipſi ſtellas iam nullas in cœlo eſſe putabunt, ſicut ait Eſaias, Stellæ cæli & ſplendor earum non expandent lumen ſuum, obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo. Horúmque omnium ratio aſsignari poteſt huiuſmodi, ſicut ſol ſub ipſam Chriſti paſsionem tenebris obductus eſt & caligine ſuper peccata hominum, quod dominum deúmque ſuum Ieſum Chriſtum occiderant: ita conſummatione imminente ſeculi, idem ille obtenebrabitur, ſuúmque ſubtrahet ſplẽdorem à multitudine ſcelerum & peccatorum hominum qui radiis etiã ſolaribus tunc erunt indigni: ſicut

Eſa. 24. alio loco dixit Eſaias, Erubeſcet luna & cõfundetur ſol, quũ regnauerit dominus exercituum. ¶ Secundò, ſignorum, quæ diem præcedent extremum, loco preſſura numeratur gentium in terris, eáque ex ſuperioribus ſignis proueniet, ſterilis enim per illa facta terra, paulatim etiam inficietur, vnde fames, caritas annonæ, & peſtilentiæ prodibunt, quomodo

Exo. 8. 9. 10. AEgyptus propter ſcelera & peccata ſua à deo afflicta eſt grauiter. Namque & cælum & terra & elementa omnia creatori ſuo famulantur ad pœnam & ſupplicium peccatorum,

Sapien. 5. teſte Sapiente, Pugnabit cum illo orbis terrarum contra in-

Sap. vlt. ſenſatos. & in alio loco, Omnis creatura ad ſuum genus ab initio refigurabatur, deſeruiens tuis præceptis. Teſtatur idem

Iob 20. & Iob, quum ait, Terra conſurget aduerſus eum, apertum erit germen domus illius. Decet enim vt quum iam abũdabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum, ſicut Chriſtus fore

Mat. 24. prædixit, maior etiam fiat pœna & afflictio. Tertium porrò ſignum hîc in euangelio ſecundo coniungitur, confuſio ſonitus maris & fluctuũ. In terris enim præſſura erit gentiũ, præ confuſione ſonitus maris & fluctuũ. Conſtat ergo hinc, quomodo mare etiã cõmouebitur, magnóſque oculis ſuis horro-

res,pressuras,maláque dabit:vt rectè dixerit Dauid in Psal- *Psal.92.*
mis,Mirabiles elationes maris,mirabilis in altis dominus.
Neque malè prædixerit id ipsum Sapiens etiã, Flumina cõcur- *Sapien.5.*
rét duriter,cõtra illos stabit spiritus virtutis,& tanquam tur-
bo venti diuidet illos,candescet in eos aqua maris. Ex tanto
signorum horrore cõtabescent etiã homines præ magnitudi-
ne timoris & expectatione iudicij,quod tũc veniet super vni-
uersam terram. Ex durissima enim signorum istorũ asperita-
te,horrorem quoque districti quod consequetur, iudicij col-
ligent. ¶Solent hîc communiter ex Hieronymo quindecim *Hiero.*
enumerari signa,quæ diem præcedent extremum, & is sane
tantùm fidei est dandum,quantum scripturis probauerint.

1 Quoniam mare eleuabitur cubitis quadraginta super iu- *Psal.92.*
stam altitudinem montium,atque ita fixum loco con-
sistet vt murus.
2 Mare rursus in se absorptũ residebit,ita vt vix appareat. *Psal.106.*
3 Fera quoque & immania animalia maris rugient vsque *Psal.103.*
in cælum.
4 Mare ardebit vsque ad fundum. *Apoc.16.*
5 Arbores & herbæ sudabunt sanguinem. *Ioel.2.*
6 Corruent ædificia omnia.
7 Collidentur & petræ mutuò.
8 Terræmotus erit maximus. *Apoc.12.*
9 Montes vallibus æquabuntur. *Iudit.ult.*
10 Homines exibunt per aperturas, velut surdi & non lo- *Psal.67.*
quentes. *Esa.40.*
11 Ossa mortuorum super terram venient, super sepulchra *Amos 4.*
propria. *Iere.37.*
12 Stellæ cadent de cælo. *Ezec.37.*
13 Omnes homines morientur. *Apoca.6.*
14 Cælum & terra vno ardebunt incendio. *1.Tes.4.*
15 Tunc tandem cælum nouum erit & terra noua. *2.Pe.ult.*

¶Hæc breuiter ita attigimus, quoniam non omnes ea certò *Esa.ult.*
adeò credere volunt,neque loci isti scripturarum semper id *Vide ex-*
ita,quo ad sensum literalem, clarè & manifestè exprimunt. *tense.*
Cuiq; ergo hoc liberũ relinqui volumus. Nobis interim hoc
sat est,certos esse nos hinc ex verbo dei, & scire omnia ante *Bern. in*
extremum diem futura,anxia,horrida,& planè grauissima. *rosario*
¶Quartum hîc in euangelio signũ est, quod virtutes cælorũ *serm 9.*
mouebuntur,idque de angelis intelligi potest,vt sentiũt san-

Gregor. ctus Gregorius, Theophylactus & alij. Certè enim angeli tremore quodam horrebunt & trepidabunt illo die. Et quomo-
Chrysosto. do non tremerent angeli sancti, inquit Chrisostomus, quum videbunt tantam & demonum & hominum multitudinem si-
Iob.26. mul damnari? Vnde & Iob dixit, Columnæ cœli contremiscunt & pauent aduentum eius. Quanuis non desunt qui dicant, quoniam peculiaris ille inter angelos virtutum chorus mouebitur. siquidem illarum ministerio deus sua operatur miracula, & quum plurimum tunc miraculorum ante, in, & post ipsum iudicium fieri permittet deus, mouebuntur illæ à
Psal. 102. deo ad huiusmodi miracula perficienda, sicuti Dauid cecinit, Benedicite domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius. Tertiò etiam per illas cœlorum virtutes quidam corporeas istas cœli vires intelligunt, quæ & ipsum mouent cœlum, & inferiora hæc omnia regunt: volentes ita sensibile etiam istud cœlum sonitum violentũ esse daturum præ horrore tremendi diei & iudicij Christi: quem-
Iob. 38. admodum & Iob in spiritu iam præuiderat, Concentum, inquiẽs, cœli quis dormire faciet? Quid multa? creaturæ omnes horrebunt & trepidabunt à facie magni illius diei domini nostri Iesu Christi, qui & gratiã nobis suam hîc ita concedat in terris, vt illo die iusti corã iusto iudice inuenti, per ipsius etiam sententiam gloriã & vitã consequamur æternam.

HOMILIA II. DE DIE EXTREMO.

EVANGELIVM hoc ad illum Christi pertinet aduentum, quo venturus est in diem extremum, quum videbũt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & magestate. Et hic quidem Christi aduentus sæpenumero in scripturis commemoratur, vt non sit hîc quoque surda aure prætereundum, quod ait, Videbunt filium hominis venientẽ.
Lucæ 2. innuens per hoc, quoniam sicut prior illa sua in mũdum natiuitas occulta fuit, adeò vt ad eam manifestandam & angelo opus esset, qui de cœlo descendens pastoribus natalem tantũ
Mat. 2. annũciaret, & stella quæ in cœlo apparens tres duceret magos: ita alter iste aduẽtus per se manifestus erit & apertissime omnibus: quando omnibus ille veniet conspiciunt, agnoscetur ab omnibus, vt non sit opus angelo, qui eum cognoscendũ hominibus exhibeat, quemadmodum Ioannes dixit, Vide-
Apoca. 1. bit eum omnis oculus. Boni etenim & mali videbunt enim

Vnde ſequitur, in quanam venturus ſit Chriſtus ad iudicandum forma, nam quum duplicem habeat naturam, diuinam, ſcilicet, & humanam, iudicaturus tamen in humana eſt natura, quamobrem & euangelium habet, Videbunt filium hominis. Et apud Matthæum, Filius hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundum opera eius. Et quanuis illa iudicandi poteſtas ad totam pertineat trinitatem, ea tamen illam Chriſto propriè tradidit, ſicut & in Euangelio dixit, Pater omne iudicium dedit filio, & poſt ſuam reſurrectionem ait, Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. ¶ Conuenit etiam hîc dicere, quòd quanuis omnes Chriſtiani Chriſtum venientem viſuri ſunt iudicem, id tamen fiet cum diſcrimine. boni enim videbunt eum in honeſtiſsima illa ſua & glorificata figura, idq; cum effuſiſsima maximi gaudij lætitia. mali autem humanitatē quidem illius intuebuntur, ſed non gloriam, quandoquidem in illa etiam, quam videbunt forma, trepidebunt plurimùm & contremiſcent. Quinimo abſorptos ſe malint in imo tartaro, quàm vno ictu oculi iratum illum aſpicere iudicem. Vnde & Eſaias dixit, Impius non videbit gloriam domini. Viſuros autem & bonos Chriſtum, eo quo diximus modo, idem ſatis magnus certúſque nobis teſtis adeſt, dicens, Regem in decore ſuo videbunt. Et malos tantum ſecundum eius humanitatem Ioannes teſtatur, Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.

Luc. 21. Mat. 24. Mat. 16. Ioan. 5. Mat. vlt. Eſa. 26. Eſa. 33. Apo. 1.

¶ Deinde ſpiritu ſancto docemur per ſcripturas. Chriſtū dominū ante ſuū illud tam horrēdū iudicium præmiſſurū, ignē, qui vniuerſum exurat mundum. Sicut enim diuina virtute aqua diluuij totam inundauit terram, ita ignis ille potēter totum etiam purgauit mundum. Quapropter & Auguſtinus in libro de ciuitate dei, arbitratur ignem illum non altiùs conſcenſurum quàm aqua diluuij, hoc eſt, quindecim cubitos ſuper vniuerſam omnium montium altitudinem. Et hūc nimirum intellexit vel prauidit rectiùs in ſpiritu ſuo Dauid, quum diceret, Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Et quid mirū. vidiſſe ignem hūc Dauidem, quem tot annis antea proſpexerat Moyſes? Ignis inquit deus, accenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſsima, deuorabítque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet. Ad hæc ignem iſtum cæ-

II. Lib. 20. cap. 18. Pſal. 96. Deut. 32.

2. Petr. 3. teris omnibus clariùs velut digito demonstrauit S. Petrus dicens, Cœli qui nunc sunt & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in diē iudicij perditionis impiorum hominum. Et paulò pòst, Adueniet dies domini sicut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem & omnia quæ in ipsa sunt opera, exurentur. ¶ Rationē quoque ignis huius ex scripturis discimus. Quū enim terra & aër vitiis hominum præcipuè & maximè sint polluta, homicidiis, adulteriis, mendaciis & cæteris, ipsáque etiam elemētorum natura non paulò sit deprauata, dominus deus oēs creaturas renouabit purgabitque. & ea sanè renouatio in terra incipit ab ignibus. Ita & Ioannes in persona domini, Ecce, inquit, ego noua facio omnia, hoc est, Dominus

Apoc. 21. innouat omnia. Ante enim hæc verba dixerat Ioannes. Primum cœlum & prima terra abiit, & mare iam non est. Et

Esa. 65. Esaias, Ecce ego creo cœlos nouos & terram nouam, & non erunt in memoria priora. quæ quidem verba eodem debent intelligi modo, quū terra ex sua quidē substantia perdurabit

Psal. 103. in æternum, ita etiam dicente Dauid, Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi. Omnis itaque ista renouatio de figura, decore, & id genus aliis tantùm intelligi debet rebus adiacentibus, quod apertè

1. Cor. 7. Paulus ad Corinthios scribens, admonet, Præterit figura

Esaiæ 30. mundi huius. & de planetis Esaias, Erit, inquit, lux lunæ sicut lux solis. & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum. Nec obstat, quod tunc sol stabit: siquidem quum tempus iam nullū erit, nec solis opus fuerit ortu & occasu. quod

Esa. 60. & clarè idem expressit propheta, Non occidet vltra sol tuus.

Apoc. 10. Et vt Ioannes dixit, Angelus leuauit manum suam ad cœlū, & iurauit per viuentem in secula seculorum, qui creauit cœlum, & ea quæ in illo sunt, & terram & ea quæ in ea sunt, & mare & omnia quæ in eo sunt, quia tēpus non erit amplius. Cuius si rationem desideras, en eam tibi. nanque & cœlum iam tunc non mouebitur: & ne cogites, dum vna cœli parte fixus semper sol consistit, altera hemisphærij parte noctem perpetuam & horridā esse caliginē, ecce terra quoq; post sui purgationē vndique vt chrystallus erit secundum superficiē suam, vbi etiam radij luminis solaris ex omni parte iuxtà cadent super terram. ¶ Sunt & ignis huius aliæ adhuc causæ, purgabit enim electos quoque, eritque eorum id purgato-

rium, qui aliquid in se adhuc habebunt purgabile, sicut & magister Sententiarum probat. Quanuis non desunt ex doctoribus quidam, qui dicant ignem hunc deinceps cum omnibus istis mundi huius sordibus ad inferos coniectũ iri, colligentes idipsum ex Dauide dicẽtes, Vox domini intercidẽtis flammam ignis, vt ibidem etiam Basilius commemorat, Existimo, inquiens, quid ignis ad vltionẽ diabolo & angelis eius, domini voce frãgatur. Præterea scriptura nos docet crucem sanctam in aëre apparituram, ex illis verbis Christi, Tũc apparebit signum filij hominis in cœlo. vnde & Ecclesia canit, Signum crucis erit in cœlo, quum dominus ad iudicandũ venerit. Et quanuis in ea quidam sint sententia, vt credant lignum crucis qua mortuus est Christus, hîc non apparitutum, sed tantùm signum illius aliquod: tamen plerique doctores concordi consensu arbitrantur veram illam Christi crucem huc esse ministerio angelorum epportandã in signum victoriæ: sicut Chrysostomus ait, Qui enim cadauera hominum in pulueres iam & cineres mutata redintegrat, idẽ restaurare totámque plane restituere potest crucem in plures etiam scissam partes. Illa tũc exhibita, simul declarabit Christus & victoriam erga dæmones suã & misericordiam, vt vel sic videant boni quam ex mera eos gratia redemerit. vnde rectẽ dixit Chrysostomus, Crux sole fulgentior videbitur, obscuratur enim sol, crux autẽ apparet. quod fieri non posset, nisi radios solares splendore superaret. Cuius autem rei gratia istud signum apparet? vt magno cumulo Iudæorum imprudentia opprimatur, crucem in suam iustificationem secum habens, in iudicium veniet, acerbum ac ignominiosum mortis suæ genus ostendens. Tunc plangent tribus. non enim accusantibus opus erit, quum crucem viderint. Et profectò innouatis creaturis omnibus, ipsa quoque crux nouo quodam & admirabili illustrabitur splendore, & sic perpetuò fixa fulgebit in cœlo, ex iis quas nunc assignauimus causis.

Dist. 45. quarti. *Psal. 28.* *III.* *Mat. 24.* *Chryso.* *Chryso. super Mat. 24.*

¶Sed & hoc piẽ credendum est, non solam Christi crucem, sed alia etiam passionis mortísque eiusdẽ arma à sanctis angelis huc deferenda esse in iudicium, puta columnam qua flagellatus est dominus, lanceam qua sanctum illius adapertum est latus, coronã, clauos, flagella & virgas, spongiam & harundinem, &c. omnia enim hæc intelligi cõmodẽ possunt in eo, quod Christus dixit, verbo, signũ filij hominis. Quid *Mat. 24.*

verò, quod ex sanctis doctoribus sunt non pauci qui asserant signum illud crucis Christi non tantùm in cœlo appariturũ veraciter, sed quoniam illud electi quoque dei gestabunt in
Apoc. 7. frontibus suis? vnde & Ioannes ait, Nolite nocere neque terræ, neque mari, neque arboribus, donec signemus seruos dei nostri in frontibus eorum. quod iam olim Ezechiel præuiderat, inter cæteras visiones suas, prodens Tau, positũ in frõtibus hominũ lugentium. Ad hæc dominus noster Iesus Christus cicatrices quoque & vestigia vulnerum suorũ allaturus secum est in iudicium: nãque ita cõmodius implebitur pro-
Zach. 12. phetia Zachariæ & Ioannis, Videbunt in quem trãsfixerũt.
Apoc. 1. Et paulò pòst in sequenti capite, Dicetur ei, Quid sunt plagæ
Zach. 13. istæ in medio manuum tuarum:& dicet, His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Vis adhuc amplius quid? Martyres quoque omnes cicatrices & vibices signáque secum deferent suppliciorum suorum:qua de re plura infrà in
IIII. sermone de martyribus, vel etiam de resurrectione.

¶ Porrò in scripturis cõperimus & angelorũ emissionẽ, vocẽ tubæ, vocationem mortuorũ ad iudicium, cùm apud Mat-
Matt. 24. thæum dicat dominus, Mittet angelos suos cum tuba & voce magna, & cõgregabunt electos eius à quatuor ventis, à sum-
Forma & ordo futuri iudicii. mis cœlorum vsque ad terminos eorum. Ex hoc etenim scripturæ loco sancti patres de futuro iudicio sententiam colligunt huiusmodi, quoniam principiò angelos suos emittet Christus, qui cineres puluerésque mortuorũ corporum colligant eo loco, vbi præcipua hominis pars iacet tabida: deinde præcipiet ex pulueribus illis naturale rursus corpus reformari, ipsique corpori animam vniri. vnde animas electorũ ad sua permittet remigrare corpora. Mox angeli per omnes prouincias & regiones voce clarissima proclamabunt, apparere illos iubentes coram iudice, audituros hic finale & irreuocabile iudicium:& tunc demum ad Christum venient omnes: idque adeò verissimũ esse, clarè patet ex verbis Pauli ad Thessalonicenses ita scribentis, Dominus in iussu, & in voce archangeli, & in tuba dei descendet de cœlo, & mortui
1. The. 4. qui in Christo sunt resurgent primi. Vbi ille sanè commemorat hæc tria, iussionẽ diuinam, qua deus angelis suis committet pulueres corporum colligere, idque sanè virtute angelica fiet: subitò & Paulus dicit, In momento, in ictu ocu-
1. Cor. 15. li, in nouissima tuba, Canet enim tuba, & mortui resurgent incor-

incorrupti. Secundum quod Paulus dicit ad Thessalonicenses, & in tuba dei. quæ nimirum ipsa vox Christi est, qua corpora mortuorum reformata iam reuiuiscent, quod præstare, vt angelicam excedit virtutem, ita solus potest deus. Huiusque rei nobis veritatem facit Christus apud Ioannem, Mortui, inquiens, audient vocem filij dei, & qui audierint, viuet. Tertiò, vocem quoque Paulus commemorat archãgeli, quæ à tuba dei vtrique secernitur. vox enim hæc enim hæc illa est, cùm archangeli, totius prouinciæ aut regionis velut custodes quidam perfecti conuocabunt omnes homines ad iudicium, fientque hæc omnia simul, resuscitatio per vocem Christi, & vocatio ad iudicium per angelos. Quódque hæc veriora esse certiora esse crederemus, sunt eadem hæc in veteri quoque iam olim prædicta testamento, Ita enim Daniel, Qui inquit, dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, alij in opprobrium. Et per Ezechielem quoque ait dominus, Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris. vnde non immeritò vocem illam admiratus beatus Chrysostomus, sic inquit, Verè magna vox tubæ terribilis, cui omnia obediunt elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, portas æreas conterit, vincula mortis disrũpit, & de profundo abyssi animas liberatas corporibus suis restituit. Et hæc de resurrectione, atque iudicium vocatione dicta nunc sufficiant.

1.Thes.4.
Ioan.5.
Dan.12.
Ezec.37.
Chrysosto. super 1.Cor.15.

Ad extremum, de iudicis aduentu pauca dicturi, vltimum hunc articulum cum primo cõnectamus. Cùm ergo iam mũdo vniuerso ignibus repurgato, ipsa quoque mortuorum corpora ministerio & officio angelorum cõportata, virtute demum diuina resurgent, crux etiã Christi apparebit in cœlo. Tunc tandẽ aduentabit dominus Iesus in humana eaq; omnibus cõspicua forma, qua quantáque potestate, quã magna & immensa maiestate, quis homo est, qui queat exprimere? Tantũ hîc in euangelio legimus, quia videbũt filiũ hominis venientẽ in nubibus cum potestate magna & maiestate. Gloriam quoque & augustũ illum honorem, quo iam aduenìens apparebit dominus, Ioannes qualicunque gustu præuidisse creditur, cùm diceret, Vidi, & ecce nubem candidã, & super nubem, sedentem similem filio hominis, habẽtẽ in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutã. Ibi enim immensa illa iudicis in remunerando munificẽtia penes coro-

Luc.21.
Apo.14.

nam,& ad puniendum iustitia declaratur in falce. Vsque-adeo ergo potés & magnificus in virtute veniet ad iudicium ille iudex & tunc angelis suis imperabit, vt desinant mouere cœlum, sicut suprà dictum est. Veniet autem cum sanctissima virgine matre Maria, cum choris angelorũ, cum electis suis sanctis supra nubem, potenter ita in voce tubæ (hoc est, virtute sua diuina) resuscitatis, mortuos inclamitando, Surgite mortui. Venturúmque eum cum tanta sanctorum multitu-
Iud. cap. vnic. dine, scimus ex apostolo Iuda, dicente, Ecce veniet dominus in sanctis milibus suis, facere iudicium cõtra omnes impios.
Zach. 14 Quod ipsum Zacharias in spiritu prophetico præuiderat, dicens, Veniet dominus deus meus, omnésque sancti cum eo,
Esa. 3. Et Esaiam id etiam nõ latuit, ait enim, Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius. O domine Iesu Christe, per gloriam & honorem tuum, per tuam tremendam maiestatem, à sanctissima trinitate donatam, propitius & misericors clementer esse digneare nobis miserrimis peccatoribus in die iudicij tui, quum iam cœlum & terra cõtremiscent. hoc nobis præsta domine Iesu Christe, deus & homo veré, ita tibi laus sit & honor in secula, Amen.

HOMILIA TERTIA. DE *iudicio extremo.*

ECclesia sancta catholica, velut mater benigna & mitissima parens, omni moto lapide, ex omni parte attentat, quanam via filios suos fideles omnes trahat & promoueat ad piam sanctámque conuersationé. idem agens nunc bonis suauium verborum blandimentis, nunc vicissim pœnitentia, timore & minis. Neque id mirũ: edocta enim id ita est à spõso suo deo optimo maximo, qui in vniuersa scriptura ad mandatorum suorum cultum & obsequium, benignus iam & clemens proponit immensum bonorum operum fructum, & statim incommoda ab oculos subiicit, supplicia & perditionem transgressorum. Eius rei plus quam sexcenta videas testimonia per totum Exodum, Deuteronomium, ac præcipuè ex Dauide in Psalmis (potes hîc inducere Psalmum, quia loqui-
Psal. 18. tur ibi etiã Psalmista cũ magna animi vehementia) Christus
Matt. 7. quoq; arbori apposita & cõgruéti similitudine cõfert hominé, arbori in quam, siue bonos siue malos feréti fructus. Sunt auté arbores quædã ex natura, vt nolint nisi tenerrimè tra-

ctari, vt ſunt oleæ & malorũ punicorũ arbores,&c.& ſunt viciſsim quæ niſi probè cõtuſæ nil boni pariunt, vt nux & ſalices. Eodẽ ergo planè cum hominibus etiã modo agitur ſunt enĩ quidã ex illis ea præditi clemẽtia & bonitate, vt ex eis ꝙ velis impetres:& rurſus eius ſunt quidam duritiei, vt niſi ſerium videãt,actũ cum illis agas,nihil facias. Et pro vſu priorum die ab hinc octauo eccleſia manſuetũ illum, pium & benignisſimum mitiſsimi Chriſti aduẽtum per incarnationem ſuam cõmemorauit,omnibúſque ad animũ reuocandũ ꝓpoſuit,vt ſic qui animo ſunt manſueto,feruentiſsima illa Chriſti erga nos charitate permoti,quod malum eſt fugiant,quod bonum amplectantur & faciant. Cùm autẽ benignitas & clementia Chriſti tanta apud pleroſque,parum apud quoſdam etiam nihil operetur penitus,iam hodie verſa vice proponit horridum,durum & tremẽdum illum Chriſti ad iudiciũ aduentum, vbi ille adueniens vt leo excandeſcet, cui ſubrepti ſunt leunculi ſui dies etenim ille plenus erit tribulationis & amaritudinis, miſeriæ quoque & anguſtiæ. Quapropter quĩ à malo charitate abſterreri & pietate nõ voluit,nunc demum formidine pœnæ metuq; ſupplicij à peccatis ſuis auertatur. Et cùm ex quatuor illis quæ per Sapientẽ homini ne peccet, *Eccle. 7.* ſubinde animo voluenda proponuntur,iudicium quoque extremum,poſtremum non ſit: viſum eſt hîc videre & inueſtigare diligenter,quidnam nos ſpiritus ſanctus de iudicio illo *Locus iudicij.* docuerit. ¶ Ac primùm quidem de loco iudicij non abſurda ſententia eſt,Chriſtum nõ venturum ad locum,quo mortuus eſt crucifixus,Caluariæ:ſiquidem ibi tunc mortuus eſt in infirma & imbecilli forma,nũc autem iudicaturus in glorioſa ſpecie & honorifica,Magis ergo credendum eſt Chriſtum ad iudicium venturum in vallem Ioſaphat,vnde & cœlum aſcẽdit:ſicut per prophetam docemur,dicẽtem,Congregabo om- *Ioel. 3.* nes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi. Quod tamen non eo modo intelligẽdum eſt, quaſi in ipſa valle Ioſaphat tribunal ſuum habiturus ſit Chriſtus,ſed potiùs ex monte Oliueti, qui deſuper imminet valli, *Actu. 1.* ſicut ad apoſtolos dixit angelus, Hic Ieſus qui à vobis aſſumptus eſt in cœlum, ſic veniet quẽadmodum vidiſtis eum abeuntem in cœlum. Aſcẽdit autẽ in cœlum ex mõte Oliueti,ergo in eundem redibit de cœlo. Conſtãs enim doctorum ſententia eſt,Chriſtum in aëre ſuper montẽ illum nubi cuidã

admirandæ velut tribunali incessurũ, idq; adeò altè in aëre, vt eum ascendentẽ videre potuerunt apostoli, aut paulò etiã sublimius. Homines autẽ & in ipsa valle Iosaphat & circum circa astabunt, ita vt tamen omnes Christum queant intueri, quãuis diuersimodè: boni enim in aëre velut suspensi desuper terram, ad dexterã Christi astabũt: (testante idipsum Paulo,
1.Thes.4. Rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra.) reprobi autem & mali stabunt ad sinistram super terram, quẽadmodum ipse apud Matthæum saluator docuit. Nec desunt
Mat.25. Francisc. Maronis. etiam à doctoribus, qui paruulos tam post baptismum quàm circũcisionem demortuos, cõstituant ante Christum: eos verò qui in ipso peccato originali sunt defuncti, reponunt ad tergum Christi iudicantis. Quanuis vniuersam illam iudicij futuri formulã exactè nullo certè possumus intellectu assequi. Tantùm, quòd & omnes in valle Iosaphat homines congregabuntur: & ex iis qui iusti fuerint, ad dexteram: qui verò impij, ad sinistram iudicis stabunt: quemadmodum & apud
Matt. 25. Matthæũ dicit, Christus autẽ hîc & iudex assidebit. Cũ venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cũ eo, tũc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes. Ex iis iam dictis quæstio talis exoritur, An solus iudicaturus sit Christus. Profectò enim sicut hoc iã memorato euangelij loco Christus ait, se ad iudicandum sessurum, ita idipsum quoque suis promisit apostolis, sedere nimirum & iudicare duodecim tribus Israël. Nos ergo respondemus primò, iudicem dici & posse & solere qui sententiam fert: & eam sanè quisquis habet potestatẽ, iudex propriè dicitur. Habet autẽ eam Christus à summa sibi trinitate traditã, vt sermone priori explicauimus. Nãque de eo princeps apo-
Actu. 2. stolorum Petrus dixit, ipse est qui constitutus est à deo iudex viuorũ & mortuorũ. Secundum, iudices etiã dicũtur, qui verã veri iudicis sententiam iustúmque iudicium approbant tantùm, quomodo angeli dei sanctíque omnes iudicaturi sunt in die nouissimo, dum & iudicium illud Christi placere sibi declarabunt, & vt bonum collaudabunt. vnde Sapiens ait, Sãcti iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.

3 Non rarò honesti quoque & graues iusti iudicis assessores iudices nuncupãtur, quos ipse etiam iudex illo dignatur honore, vt suo assideant iudicio, licet nullam interim ipsi sententiam ferant, & id quidem perfectorum est tantum, qui

præ aliis ea ſunt gratia donati,cuiuſmodi ſunt Maria, Ioannes,apoſtoli,&c. Cuius etiã rei apertum eſt nobis apud Matthæum teſtimonium dicẽtis Chriſti,Amen dico vobis, quòd Matt.19.
vos qui ſecuti eſtis me in regeneratiõe,cũ ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ,ſedebitis & vos ſuper ſedes duode- Matt. 12.
cim,iudicantes duodecim tribus Iſraël. Ac proinde chriſtus 1.Cor.6.
dum pharisæos increpat, apoſtolos iudices eorum futuros inquit.Similiter & Paulus ſcribens ad Corinthios, Neſcitis, inquit,quoniam angelos (malos nimirum) iudicabimus? Et hic ſanè apoſtolorum honor ex præcipuis vnus eſt, & dignitas non poſtrema,quæ alteri ſanctorum nulli cõtinget,præter virginẽ matrẽ, & Ioannẽ Baptiſtã. Vnde hic inter Chriſtianos pius inoleuit vſus,vt ex multis vnum quempiam ſibi quilibet deligat apoſtolum,quem præ cæteris veneretur,cuiuſque in extremo tandem iudicio gaudeat patrocinio.

4 Eſt quidem aliquis ſcripturæ vſus,(imo & Chriſtus alicubi ſic locutus eſt)eos quoq; iudices appellare,quorum alij iudicantur cõparatione:& ſunt ij ſanè nõ magni iudices, vt qui non raro cõdẽnentur etiam ipſi. Verùm ex ſimilitudine quando condemnandi erant Niniuitæ, qui tamen pœnitentiã egerunt de peccatis,quantò magis Iudæi,qui ne tot quidẽ & tantis Chriſti ſermonibus permoueri potuerunt, & pœnitẽtiam agerẽt?Ita diuina veritas Chriſtus ipſe dixit,Viri Niniuitæ ſurgẽt in iudicio cum generatione iſta,& cõdẽnabunt eam:quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ:& ecce plus quam Iona hîc(Chriſtus)Regina Auſtri ſurget in iu- Matt.11.
dicio cum generatione iſta,& condemnabit eam:quia venit à finibus terræ audire ſapientiã Salomonis: & ecce plus quàm Salomon hîc. Hinc colligẽdum nobis eſt illud, ſiquando vel Iudæus vel Turca quiſpiam, quæ perfidiæ & infidelitatis ſuæ ſunt,bene cuſtodierit, ita vt de eo dicatur Iudæum eum bonum eſſe, quamuis iſte in infidelitate ſua pereat condẽnatus: Chriſtiani tamẽ,qui fidem ſuã & quæ fidẽ cõcernunt,parum fideliter cõſeruant,illorum collatione durius ſubibunt ſupplicium. Verè itaque & abſolutè definiendo, ſolus Chriſtus vt verus vnicuíq; iudex, ſententiam feret & iudicium,ibíque apoſtoli, Maria & Ioannes aſsidebunt honeſtè, angeli quo- Apoc.19.
que dei & electi omnes, iudicium illud collaudantes approbabunt:ſicut Ioannes ait, Audiui quaſi vocem magnam turbarum multarum in cœlo dicẽtium,Alleluya, Laus & gloria

& virtus deo nostro est: quia vera & iusta sunt iudicia eius.

3 Cúmque hactenus quinam futuri sint iudices & assessores, quique simul iudicaturi accepimus, quæri posset, qui tandem ad iudicium venturi essent personaliter, & ibidem diiudicandi. Et hic sane, quia testatur scriptura, cóstat omnes hómines & angelos apparituros in iudicio, vt eorum omnium cóscientia in præsentia iudicis aperta notáque fiat omnibus, vt ipsa quoque diuina iustitia innotescat omnibus, vt & homines in hac vita, non ignari quá durum sibi sit subeundum iudicium, diligentiùs eò se parent, vt in tanta congregatione, coram tam iusto iudice, non ad extremum confundantur. Ita

2.Co. 5. enim & sanctus Paulus, Omnes, inquit, nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malú. Et profectò hoc vrgere cùm primis deberet omnem hominem, vt eo constantiùs perseueraret in timore Dei, sicut nos Ioannes admonet

Apoc. 14. dicens, Timete dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius. Quanuis hîc mali cum magna apparebunt indignatione, nam & quod in illis erat, apparituri non essent, nisi per angelos dei isthuc adducerentur, iuxta id quod

Matth.13. prædixit Christus, Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt ini-

Matt.24. quitatem. Ac rursus in alio loco, Mittet angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, & cætera. Constat ergo, conclusúmque id iam olim ex scripturis est concorditer, quoniam hîc angeli hominésque personaliter omnes apparebunt. An verò illi iudicabuntur omnes, est sanè quòd hîc ad duo respicias in iudicio, alterum, disceptationem seu etiam meritorum simul & delictorum discussionem: alterum verò, ad bonorum malorúmque operam remunerationem. Et huius quidem ratione angeli atque homines omnes pro suis singulis meritis præmia recepturi iudicabuntur. Ratione autem discutionis, do-

Grego.super Ioan. lib. 26. ctores vnà cum sancto Gregorio genera quatuor ponunt: vnum eorum, qui quum non iudicentur, pereunt tamen: vt dæmones & impij omnes, iam enim sunt iudicati, cùm fundamento caruerunt fidei, quod ex verbis Dauidis satis

Psal. 1. patet, Quoniam non resurgent impij in iudicio. Non quòd non affligentur & punientur, sed quia venient ad iudicium quidem punitionis seu condemnationis, at non discussionis.

Rectè ergo etiã Christus de diabolo, Princeps, inquit, mundi huius iam iudicatus est. & de impiis in vniuersum omnibus. Qui non credit, iam iudicatus est. Secundi autem ordinis sunt, de quorum iam antè adeò constat iustitia, vt etiam porrò opus non sit discutere, cuiusmodi sunt Maria, sanctus Ioannes, Apostoli, sanctus Laurentius, Barbara, & cæteri, & qui post baptismum statim mortui sunt pueri, de quibus Christus ait, Qui credit in eum, non iudicatur. Et alibi, Qui credit ei qui me misit, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte in vitam. Ioan.16. Ioan.3. Ioan.3.

¶ Tertij porrò generis & quarti sunt, qui promiscuè bonũ operati sunt & malum, quorum alij ad finem perseuerauerunt in bono, alij ad finem peruenerunt in malo, & in iis quidem bonum cum malo iusti ponderis veluti libramine ponderabũtur, verum excedat. Profectò enim verè dixit Sapiens, Pondus & stateram iudicia esse domini. Quanuis in Daniele quoque nos doceat scriptura, quibus modis opera hominis bona ponderentur & merita. Ait enim, Appensus est in statera, & inuentus est minus habens. Deus totius misericordiæ & gratiarum omnium, virtutem nobis largiatur & fortitudinem, vt in hac statera & pondere eo modo habeamus. quo tandem gloriosam illam assequamur & audire mereamur sententiam perpetuæ beatitudinis, Amen. Prou.16. Dan.5.

HOMILIA QVARTA DE *extremi iudicij forma.*


Ipsa iam susceptæ materiæ exigit necessitas, vt quia de iudicio extremo differentes hactenus progressi sumus, iudicij nunc formam quoque & actionem totam, quod quidem ex scriptura constare potest, explicemus. Satis autem in prioribus hucúsque sermonibus docuimus, quis ille sit iudex, nempe Christus Iesus, quíque sint illi qui iudicio huic sistentur. Nunc itaque quibus adhuc modis iudicium incipiet, videamus. Cùm primum statim boni à malis iuxta Christi vocem segregabuntur, separabit eos ab inuicem, sicut pastor separat oues ab hœdis. Tunc angeli malos in multas adhuc partes veluti turmatim separabunt, pro qualitate delictorum, fœneratores nimirum iungendo fœneratoribus, adulteros adulteris, & cætera sicut prædixit Christus, Tempore messis dicam messoribus, colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad Segregatio bonorũ à malis. Matt.25. Matt.13.

comburendum. Et sequitur, Exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum. 3 In hac separatione cognoscēt mali,& bonos esse saluandos, & sese perpetuæ damnationi subiectos: idque videntes, dicent illud quod iam olim in spi-
Sapien.5. ritu præuiderat Sapiens, Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum,& in similitudinem improperij. Ecce, quomodo computati sunt inter filios dei? Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam,& finem illorum sine honore. Quid nobis profuit superbia aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra, &c.

Tristitia malorum 4 Et tunc incipient contristari,& præ amaritudine flere: sicut zacharias inquit, Plangent terræ familiæ, & familiæ
Zach.12. seorsum. sed & ipse dominus dicebat, Plangent omnes tri-
Matt 24. bus terræ. Tum denique ad iudicium compellentur, cùm iam per angelos vno veluti fasce constricti fuerint, quis eis dolor futurus erit maximus, horrore & pœna plenissimus, quando horrebunt adeò imminente iam iudicio Christi: si-
Iob 4. cut & Iob dixit in hominis istiusmodi persona, Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me,& abscondas me, donec pertranseat furor tuus? Quid multa? mallent isti se in amarissimis detineri inferni suppliciis, quàm quòd hîc constituit eos in communi illo amplissimóque iudicio oportet. Quomodo vocem istam eorum pulchrè Ioannes in sua co-
Apoc.6 gnouit Apocalypsi? Dicent montibus & petris, cadite super nos,& abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniã venit dies magnus iræ ipsorum,& quis poterit stare? Hic enim rescíscent tandem, quàm amarissimus durissimúsque sit dies ille nouissimus, quòd isti, dum hîc viuerent, credere nunquam voluerunt. Experientur hîc demũ omne id quod de hoc die scripsit Sophonias, Vox dei domi-
Sopho.1. ni amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustię, dies calamitatis & miserię, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas,& super angelos excelsos.

2 Circundati iam vndique ad ipsum etiam iudicium vrgebũtur coacti,& ex omni parte angustiis vallati, pectorisque
Grego. amaritudine perciti, iuxta sententiam beati Gregorij: ô quã angustæ erant reproborum viæ? superius erit iudex iratus, subtus horrendum chaos inferni: à dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia ad supplicium trahentia: in-

tus conſcientia vrens, foris mundus ardens: miſer peccator ſic deprehenſus quo effugiet? latere erit impoſsibile, apparere erit intolerabile: vehementer enim & grauiter hîc accuſabitur, & primùm quidem idque fortiſsimè à propria conſcientia, ſicut hoc clarè ad Romanos teſtatur Paulus, cùm ait, Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium, in die cùm iudicabit deus occulta hominum, ſecũdum euangelium meum. Quo verò id fiat modo, doctores ſancti dum explicant, dicunt, Quoniam in die illo nouiſsimo peccator iudicio ſiſtetur nudus, & omnium carens ac deſtitutus tutela, in ſua tamen conſcientia omnia videns peccata ſua: nec ipſe tantum, ſed & quotquot aſtabunt, ſcelera eius & delicta omnia cognoſcent, quæ ille per pœnitentiam & cõfeſsionem celare noluit. Vnde miſerrimus iſte hîc ſtabit confuſus coram Chriſto, angelis, ſanctiſque omnibus, imo coram mundo vniuerſo: vt de eo rectè dicatur, Ecce homo & opera eius. id ex ſcripturis etiam probari poteſt: Ita enim Daniel, milia, inquit, millium miniſtrabant ei, & decies milies centena milia aſsiſtebant ei. Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. Libri, ait Gloſſa, conſcientiæ ſunt, ideóque deus peccatori per Hieremiam dicit; Arguet te malitia tua. & Sapiens, Traducet, inquit, illos ex aduerſo iniquitas ipſorum. idque adeò virtute futurũ eſt diuina: ex ſententia enim beati Auguſtini etiam ſic dominus futurus teſtis intelligendus eſt velox, cùm ſine mora reuocaturus eſt in memoriam, vnde conuincat puniátque conſcientiam. Rom. 2. Danie. 7. Libri. Hiere. 2. Sap. 4. Aug. 20. de ciuitat. cap. 26.



¶ Sanctus Bernardus hoc ex verbis etiam cõfirmat Apoſtoli dicentis, Nolitè ante tẽpus iudicare, quouſque veniat dominus, qui & illuminat abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Et hoc ipſum Bernardus affirmat, dicens, Omnia omnium hominum arcana manifeſta erunt omnibus Auguſtinus quoque, in momento, inquit, omnes hominum cogitationes videbunt. & Iob, Induetur, ait, cõfuſione. vbi Gloſſa habet, Viſo iudice, omnia ante oculos mentis verſantur, & reatus deprimens eos vndique veſtit. 1. Cor. 4. Bernar. Iob 8. Gloſſa.

¶ Inde etiam conſtat, quàm impudenter faciant, qui pudore aliquo peccatum in cõfeſsione reticent. ibi enim demum innoteſcet orbi vniuerſo cum ineffabili quadam confuſione, quod arcano & ſecreto noluiſti ſacerdoti committere.

Siquidem qui cum pœnitentia peccata confitetur sua, in die tandem non reuelabuntur nouissimo, etiam in damnatis, te-
Psal 31. cta enim sunt semel, iuxta Psalmum Dauidis, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

¶ Vsque adeo tūc ipsa peccatorem proclamabunt, & per ipsam illius cōscientiam accusabunt opera, veluti ad peccatorem clamātia, Tu me nimirū operatus es, egóque adeò opus sum tuum, tecū manebo perpetuò. Sed, ò domine Iesu Christe, peccata nostra contege in hac vita, tempore pœnitentiæ.

3 Grauiter adhuc accusabuntur homines per scripturas, ipsósque & prophetas & prædicatores, simul à creaturis omnibus: quod ex ipsis etiam satis patet scripturis, vbi Christus
Ioan. 5. ad Iudæos loquitur, dicens, Est qui accusat vos, Moyses, in quo vos speratis. Certè enim peccatores accusabunt scripturæ, quibus credere noluerunt: accusabunt eos etiam prędicatores, quorum fidelia non sunt secuti monita. Imò cœlum & terra contra peccatorem clamabunt, testante idip-
Iob 20. sum Iob, Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum. Verùm omnium vehementissimus accu-
Apoc. 12. sator diabolus erit. Ita enim eum Ioannes velut proprio epitheto appellat, inquiens, Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos ante conspectum dei nostri die ac
Lucifer. nocte. Ibi Lucifer superbos accusabit, petiturus à deo, vt quando à cœlo deiectus ipse est propter superbiam, hanc ille in peccatoribus etiam iustus puniat iudex. Ibi alter iste
Mammō. diabolus Mammon accusabit fœneratores omnes, raptores, fures, & qui iniquis impliciti fuerint negociis, mercatores, & quotquot mensuras, pondera aut vlnas corrumpunt. Quid multa? auaros denique omnes, & quicūque auaritiæ studio male agunt, lusores iniquos, telonarios item & monetarios malos: omnes etiam qui vel ægenos ac pauperes iniquè oppri-
Ephe. 5. munt, vel viduis aut pupillis sunt duriores: siquidem nemo
Asmode⁹. vnquam auarus regnum dei possidebit. Asmodeus porrò,
Iob 3. & ipse è diabolica cohorte non postremus, clamabit aduersus omnes qui illicita & vetita deliquerint impudicitia, belluina nimirum, adulteros etiam & virginum constupratores, fornicatores, mulieres item lasciuas omnes, & illiciti amoris conciliatrices, chorearum amatores, &c. Dudū enim
Ephe. 5. nos præmonuit Paulus, quoniam omnis fornicator aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi & dei.

¶Sed & Beelzebub hæreticos incuſabit omnes, veneficos, *Beelze-*
magos,ſagas,ſchiſmaticos,& quotquot Romanæ illi catho- *bub.*
licæque non obediunt eccleſiæ : omnes enim illi non vera
ouile Chriſti ingrediuntur ianua,inquit Chriſtus, vnde fit
vt fures ſint & latronis. ¶ Diabolus etiam Behemoth omnes *Behemoth*
accuſabit hypocritas, Simoniachos, & quotquot ſpirituali
quadam mercatura beneficia aut emunt aut vendunt. Ec-
cleſiaſticos omnes qui non ſuam pro ſe quiſque & conditio-
nē tutati ſunt, & datam ſibi rectè vſurparūt poteſtatē: malos
prædicatores omnes, qui ſuā magis vtilitatem ſeu honorem
priuatum quàm gloriam quæſiêre diuinam. Quid quòd ex
omnibus diaboli ſinguli ſingulos accuſabūt peccatores,quos *Auguſt.*
ipſi ad peccandum prouocârunt:ſicut & beatus Auguſtinus
in quadam teſtatur epiſtola,Præſto, inquiens, aderit aduer-
ſarius noſter diabolus,quando recitabuntur verba profeſsio-
nis noſtræ,& obiiciet nobis quæcunque fecimus & in quo
loco peccauerimus,& in qua hora. Super iis iam omnibus
diaboli à Chriſto petent,vt quia peccator dei eſſe per gra-
tiam noluit,iuſto nunc ipſe cognoſcat iudicio, ſe diabolicæ
dimiſſum eſſe poteſtati:idque tantùm culpa & tranſgreſsio-
ne ſua.Iam enim homo gratiam amiſit tuam, veſtem inno-
centiæ tuæ & fœdauit & abiecit,merita tua, tuámque paſsio-
nem dimiſit,& quantum in ipſo erat deperdidit: meæ ſe to-
tum tribuit poteſtati, proprium mihi paruit, ſeruiuit mihi
inſuper etiam,quia omne quod vnà ſecum apportat meū eſt:
quid reſtat niſi vt mecum perpetuis affligatur cruciatibus?
Væ,væ, An etiam nunc os aperire ſuum poteſt, quiſquis talis
eſt,& ſic viuit,vt aliquando cum diabolo condemnetur?

4 Aderūt quoque hic teſtes,qui accuſationem iſtā, quam-
uis per ſe vehementiſsimam,ſuo tamē adhuc calculo appro-
bantes confirment.Erit enim hîc cuiuſque hominis angelus
proprius,illi à deo tanquam cuſtos delegatus, tunc quoque
teſtimoniū daturus ex ſententia Chryſoſtomi,quomodo ipſe *Chryſo.*
eum aſsiduò ad omne bonum inuitarit, cū interim iſte per-
uerſas magis dæmonis perſuaſiones,quam fidelia ſua ſecutus
ſit conſilia.¶ Dabit hîc quoque aduerſus patrem ſuum teſti-
moniū filius malè educatus,maléque inſtituta filia aduerſus
matrē,vindictámque & vltionē erga parentes, clamabūt li-
beri peruerſi omnes,quòd ab eis malè & iniquiſsimè in om-
nibus vitiis ſint educati, quod demū futurum eſt miſerabile,

cùm propria caro ipséq; aduersus se sanguis natiuus vltioné cõcupiscet. Neque verò id Sapienté latuit cũ prædiceret. Filij abominationum fiũnt filij peccatorum, & qui conuersatur
Eccle. 41. secus domos impiorum. De patre impio quæruntur filij, quo niã propter illũ sunt in opprobrio. Sed de hac re aliâs. Contra peccatoré nõ deerunt quoque testes hîc subditi, pauperes, pupilli & viduæ, omnísque sanguis innocens effusus, & nunc clamãs & clamaturus porrò in cœlũ vsque in dié nouissimũ:
Gene. 4. sicut ad Cain dicebat dñs, Sanguis fratris tui clamat ad me
Zach. 7. de terra. Præcipuè verò apud Zachariã dicit, Præcipítque dominus, ne quis viduas, pupillos, aduenas & pauperes calumnietur. Et vt aliquando concludã, aduersus peccatorem testimoniũ feret Christus ipse & omnes sancti eius. Ita enim ait sanctus Hieronymus, Crux Christi cõtra te perorabit, Chri-
Hieron. stus per vulnera sua contra te allegabit, cicatrices contra te loquentur, claui de te conquerentur. (Poterit hîc fieri allocutio Christi ad peccatorem, per capita creationis, gubernationis, passionis, redemptionis, &c. percurrendo omnia arma & articulos passionis Christi) Ad extremum, quotquot peccatorem vel scriptò vel piis sedulò instituerunt concionibus, seu etiam verbo aut operibus bonis bene submonuerunt: totidem aduersus peccatorũ testimonia dabunt, vt iã sancti omnes, oẽs angeli, diaboli quoque & creaturę oẽs, cælũ etiam & terra clamabũt contra peccatores, qui clamor in cælũ vsque ascendet. Vltio tunc, vltio, inquam, & præter vltionem nihil erit super induratũ & maledictũ peccatorem. 3 Hæc omnia peracta iam vbi fuerint, quãuis quãdiu duratura sint, scriptura nõ indicat, separatio quoque malorum à bonis cùm facta fuerit, quæ demũ fiet in diiudicatione, vbi qui non subsi-
Prou. 4. stet, huc aut aliò relegabitur: aliiq; in læua, in dextra sistẽtur alij, sicut prædixit Sapiens, Vias quæ à dextris sunt nouit dominus, peruersæ verò sunt quæ à sinistris sunt. Tũc denique sententiã pro iustis feret Christus, & quanuis piè credendum est dominũ Iesum præ cæteris peculiariter allocuturum dilectissimam suã virginem matrem Mariã, apostolos, martyrésque sanctos & virgines, vniuersalis tamen nobis est sentẽtia
Mat. 25. in scripturis contẽta, quę habet, Venite benedicti patris mei, possidete paratũ vobis regnũ à constitutione mundi. O suauis & salutaris sententia, gaudio & lætitia mirabili plenissima! Quàm amicè & piè eos inuitat, Venitè! Quam suauiter

eos collaudat, benedicti patris mei! Quàm ampliter eos remunerat, possidete regnum! Et quàm fideliter eis prospicit, cùm ait, paratum vobis à constitutione mundi! Et cōtrà quā horrenda & terribilis est sententia damnatorum! Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Hîc væ erit & planctus damnatis perpetuus, luctus, fletus & eiulatus sempiternus. Eos enim ab omni bono gaudiisque omnibus separat, dum ait, Discedite. Deinde exprobrat ipsis, dicens, maledicti. Statímque immensam complectitur sententia pœnam, cùm inquit, in ignem, Et ne quicquam spei ipsis permaneat reliquum, addit, æternū. Hîc iste horror & tremor, vbi nulla spes gaudij reliqua, nullúsque gaudio & voluptati in perpetuum locus erit. At tu semper, benedicte domine Iesu Christe, benedictionem nobis largire patris tui cælestis, vt sic nos quoque regnum assequamur cæleste & perpetuam fœlicitatem, Amen. ¶ Attende, qui verbum dei seminas, hos sermones, vel alterum eorū potes reiicere in aliud tempus commodum, vt in quadragesima, quo eos percellas timore iudicij ad faciendam pœnitentiam,

HOMILIA V. DE VLTIMA
parte huius euangelij.

CHRISTVS dominus futuri iudicij signa hoc euangelio primùm prædixit, deinde suum ipsius aduentum. Solatium itaque præbet bonis omnibus, ex quo dies ille licet in omnibus vndique scripturis cognitus horribilis, esse tamē debeat omnibus piis optatus. Et primum quidem, de signis illis loquens, His, inquit, fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra. Quibus verbis duo dicit, alterum respicite, admonens homines oculos suos leuare debere, sicut Dauid ait, Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Addit deinde. Et leuate capita vestra. Quod explicans B. Gregori⁹ leuare, inquit capita, est mētes nostras ad gaudia patris cælestis erigere. in scriptura enim sacra caput pro mente ponitur, & ea solum semper meditari debet deum, quem sanè facilius intueri poterimus in visibili domino Iesu Christo, quo exemplo idipsum facit, nobísque idem faciendum proponit Paulus, dicens, Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio

Psal.121.
Heb.12

sustinuit crucem, confusione contempta. Et paulò pòst, Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animi vestri deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes, &c. Ad hũc modum pij & catholici omnes respicere debent, mentiumque suarum capita leuare ad datorem illum salutis æternæ. Etiam rationem iis dehinc annectit Christus, inquiens, Quoniam appropinquat redemptio vestra; hoc est, iuxta interpretatio-
Theophyl. nem Theophylacti, perfecta corporis & animæ libertas. sicut enim primus Christi aduentus factus est in regenerationem animarum nostrarum, sic alter illius aduentus erit in recuperationem restaurationémque corporis. Sicut sancti qui nunc secundum animam sunt beati, beatitudine illa non-
2.Cor. 6. dum contenti, adhuc cum Paulo superuestiri cupiũt, hoc est, corpus denuò assumere, vt sic anima & corpore fiant beati. Vigilem itaque seculò & vegetum decet esse animũ nostrum in re tanta, vbi animæ simul & corporis æternã expectamus beatitudinẽ. Vbi Christus innuit etiã verè Christianos, certos tãdem & compotes suæ fieri petititionis. Quotidiana au-
Matt. 6. tem precatio nostra inter cætera sic habet, Adueniat regnum tuum. & libera nos à malo, Amen. Hæc nimirũ gloriosa illa redemptio est, propter quam pij omnes leuare debeãt capita sua ad deum, cuius, quia regnum adueniet, eo iam ipso nos ab omni sumus malo liberati. Qui ergo veri sunt Christiani & perfecti, vsque adeo idem non metuunt extremũ, vt gaudeãt etiam per illum suam sibi appropinquare redemptionẽ, qua ab omni malo liberentur. Idcirco quotiscunque orationem illam oramus dominicã, meminisse debemus aduentum nos orare diei nouissimç, neque enim regnum Christi ad nos veniet, nec nos ab omni perfectè liberabimur malo, nisi in illo die. Et respicere itaque & capita nos nostra leuare decet, & cũ alacritate aduentum eius orare, idq; eo magis, quò ma-
2.Tim. 4. iori illius horrore afficiuntur impij & peccatores. Ita Paulus ait redemptionem hanc (quam ille coronam vocat iustitiæ) sibi præparatã: nec sibi tantùm, sed & iis qui diligunt aduentum eius. Aduentum, inquit, vt videat bonos omnes diligere debere aduentum Christi: non horrere, quod faciunt mali.
Luc. 12. Quamobrem etiam apud Lucam dominus ait, Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuer-

tatur à nuptiis. Expectemus ergo dilectissimi omnes in beata illa spe aduentus gloriæ magni dei, vt & nos redemptionem nostram consequamur, quæ sanè summa est nobis in omni tribulatione spes, quoniam appropinquabit redemptio nostra. Hæc tu, si voles, extende. ¶ Eius rei exemplum deinceps proponit dominus dicens: Videte ficulneã, &c. Et hanc similitudinem est perfectò quod admiremur: quis enim eam crediturus esset, nisi Christus veritas summa eam dixisset? Cùm iam ficulnea producit ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita & vos cùm videritis hæc fieri. Ficulnea hæc mundum significat, fructus ficulneæ, lapsum & consummationem mundi, æstas verò redemptionem nostram, ipsum scilicet regnum cælorum: sicuti Beda illa Christi verba ponderat. Væ, væ omnibus mundi amatoribus: considerate enim quæ sit merces vestra, damnatio æterna. Quis fructus mundi? concidere, destrui, in ruinam venire. Hic iste mundus est, qui deum non nouit, qui spiritum non potest accipere veritatis, qui apostolos & martyres ipsúmque a deò semper odit Christũ, qui tot indignus fuit sanctis, qui in maligno totus positus est. Sanctus porrò Ambrosius ficulneam hãc ad synagogam refert Iudæorũ, quę cùm fructum afferet, hoc est, ad Christum conuersa fuerit, quod sub ipsam mundi consummationem, tunc sane dies imminebit extremus. Quòd autem conuertendi illi sint aliquando ante diem illũ ad finem mundi, Dauid fideli testatur carmine, dicens, Ad vesperam conuertentur, famen patientur vt canes. Vniuersus etiam mundus ad fidem tunc veniet Christianorum, Turcæ, Ethnici, Tartari, iuxta prophetiam Dauidis, Reminiscentur & conuertentur ad dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium. Et de Iudæis peculiariter Esaias inquit, Quoniam populus Israël erit quasi arena maris, & tunc reliquiæ conuertentur ex eo. sicut eundem locum inducit Paulus ad Romanos. Ait itaque Ambrosius Christum apud Matthæum quidem de ficulnea tantùm loqui, hîc verò de omnibus arboribus: quoniam omnes omniúmque & generum & gentium homines conuertentur ad Christum. Vt iam sit illa subtilissima summæ sapientiæ inductio, dum tempus signorum futuri iudicij æstati confert, quod hyemi videri poterat similius. Si verò æternam illam aspicias regni cælestis remunerationem,

Titi. 2. *Beda.* *Ioann. 17. 14. & 15.* *Hebr. 11.* *1. Ioan. 5.* *Ambrosi.* *Psal. 58.* *Psalm. 21.* *Esa. 10.* *Rom. 9.*

est hæc æstas. Ad bonos enim hîc Christus loquitur. Siquidē
Theophil. boni ex sententia Thephylacti, cùm hîc in mundo duram patiantur hyemem, illic perpetuam habebunt æstatem. & vicissim impij vbi aridam hic habuerint æstatem, illam tamen breuem & instabilem, illic, demum perpetuam patientur hyemen & procellas tempestatū æternas. 3. Ne adhuc ambiguitatis aliquid in cuiusquam animo resideat super illis signis, eadem ad finem huius euangelij confirmat, idque duobus modis. Primùm ait, Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant, Et hæc veritatis fortissima est confirmatio, non sine iureiurādo, cū
Beda. dicit, Amē, quæ vocula aliquod habet, vt ait Beda, velamentum mysterii. vnde euangelistæ Græca lingua scribentes non immutarunt, sed nec latinus ausus est mutare interpres. In Germanica tamen lingua feré particulam illā interpretantur veré, quod ipsum quoque malim dici, Amen dico vobis, non versa vocula Germanice. Ita enim Origenes dicit, &
Hiero. ad post eum Hyeronymus, siue septuaginta interpretes, siue
Marcel. apostolos id curasse, vt quoniam prima ecclesia ex Iudæis fuit
Psal. 23. congregata, nihil ad credentium scandalū innouaret, sed ita vt à paruo imbiberant, traderent. Lutherus porró, fortissimus scripturarum corruptor, hic per generationem Iudęos intelligit, qui tunc viuebant, ita vt Christus quoque verba hęc tantum ad excidium retulerit Hierosolymitanum, de qua & antea locus in eodem erat capite ante hoc euangeliū. Sed hoc proprium tantū hominis somnium est, & deliramentum, omni etiam fundamento carens. Et Christus tamē hūc peruersum intellectum confutauit, cum dixit. Omnia cùm enim iā ante de excidio locutus esset Hyerosolymę, & deinceps de die nouissimo, quid op' erat dicere, omnia, si primum tātū voluisset intelligi? Vnde fit, vt magis placeat nobis solyda sanctorum patrū expositio Chrysostomi, Hieronymi, Bedę, &c. qui vno cōsensu intelligunt illud de omnibus, quę toto isto erant pertractata sermone. Et generationē hanc intellige cū Chrysostomo Christianitatē totā, quę vsque ad ipsum finē mūdi duratura est, nec pręteribit, cū sit illa de qua Dauid ait, Generatio quęrentium dominū. Pote-
Psal. 23. rat enim aliquis apud se cogitare, si tot futura sunt ante diem nouissimum signa, si tanta afflictio & calamitas, quid mirum si tota periret ecclesia, vel solis tantùm hęreticis oppressa
&

& pseudoprophetis? Hanc vt cogitationem reiiceret dominus, testatur, Quoniam non præteribit generatio hæc fidelium, donec omnia fiant. hoc est, vsque ad finem mundi: sicut & Petro promiserat, Ego, inquiens, pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Vt ergo tyramni quondam, & qui nunc illis in impietate non impares successerunt hæretici, ecclesiam illam sanctam persequuntur: non tamē ideo peribit ecclesia. Rectè enim & veteres dixére, & cecinit ille pontifex. *Luc. 22.*

Niteris incassum Petri submergere nauem.
Fluctuat, & nunquam mergitur illa ratis.

¶ Ideoque abbatis Ioachimi hic non exiguus error est, putantis tertium adhuc accessurum testamentū: ita vt sicut vetus ex deo patre, & nouum fuit ex filio, ita tertium fore ex spiritu sancto. Non sic vtique, non sic: non enim est quod quisquam vel euangelium expectet aliud, vel testamentum vel aliam etiam ecclesiam: quod etiam in sancto Missæ sacrificio confirmat ecclesia, cùm ait, Hic est sanguis meus noui & æterni testamenti. Non ergo pręteribit fidelis illa Christianorum generatio vsque ad consummationem mundi. *In canon. Missæ.*

IIII. Adhuc sermonem suum confirmat. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Nihil, inquit Gregorius. in rerum corporalium natura cælo & terra durabilius, & nihil in rerum natura tam velociter quàm sermo transit. Quousque enim imperfecta sunt verba, non sunt: cum verò perfecta fuerint, omnino iam verba non sunt. Cùm autem nos Christus de verbo suo certos facit, de verbo inquam illo quod perpetuò duraturum est immutabile, insinuat se maioris facere fidem Christianam, verborum nempe suorum, quàm cælum & terram Christianam quoque plebem chariorem sibi esse, quàm vniuersum hunc mundum. Quanuis hoc ipsum quoq;, quod cęlum & terra transibunt, non intelligere debeas essentialiter, ita vt esse aliquando in sua desinerent substantia: sic enim manebunt, quando certa sunt illa Ecclesiastis verba, Generatio præterit & generatio aduenit: terra autem in ęternum stat. Præteribunt autem in ea qua nunc sunt forma, si quidem tunc speciem aliam habebunt, iuxta prophetam Dauid, Opera manuum tuarum sunt cęli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. De qua mutatione satis dictū est in tertio ser- *Gregor.* *Eccle. 1.* *Psal. 101.*

mone. Subinde ergo recogitate, dilectissimi, diem illum magnum aduentus domini, ipsúmque iudicium extremum, vitam vestram in melius emendate, corrigite opera, malas diaboli tentationes superate forti resistétia: pœnitentiam agite de peccatis commissis, eáque fletu & planctu deponite: eò enim eritis in aduentu iustissimi iudicis securiores, quò magis in timore illius preuenietis acerbitatem. si quidem hic ille est qui viuos iudicabit & mortuos, hoc est, iustos & iniustos qui vel ante diem istum mortui fuerint nouissimum, vel tunc inter viuos adhuc erunt superstites: qui etiam sanctos ipsos iudicaturus est & angelos, iustósque introducturus in vitam æternam: quam idem ipse nobis quoque largiatur, qui est benedictus in secula, Amen.

¶ DOMINICA TERTIA ADVENTVS, EVANGEL. MATTH. 2.

Lucæ 7. *IN illo tempore, Cùm autem Ioannes audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et respondens Iesus, ait illis, Eúntes, re-*
Lucæ.7. *nunciate Ioanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Illis*
Luc. *autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne, Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis*
Mar.1. *videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in*
Luc.7. *domibus regum sunt. Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico*
Mala.3. *vobis, & plus quàm prophetam. Hic est enim de quo scriptum est, Ecce*
Luc.1. *ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.*

HOMILIA PRIMA.

QVia contra adulterium Hærodis grauiter inuectus erat sanctus Ioannes, inclusus est carceribus. Herodes enim fratris sui Herodiadem vxorem sibi iunxerat, teste Mar
Mar. 6. co. Qui dum ita in carceribus tenebatur vinctus, discipuli eius sicut & ante & post hæc vincula sui magistri, plurima ducebantur inuidia, magnáque superbia aduersus Christum quoniam paulatim iam eius augebatur plus quàm Ioannis gloria, vnde fiebat vt Christum etiam non verum crederent

esse Mesiam, Quod sanctus etiam Hieronymus ex gemina
nititur probare ratione. namque & ad dominum venerunt, *Hyerony.*
dicentes, Quare nos & pharisæi ieiunamus frequenter, di- *Matth. 9*
scipuli autem tui non ieiunant? Sed & Ioannes refert Chri- *Ioan 3.*
sti discipulos venisse ad Ioannem, eique dixisse, Rabbi, qui
erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti,
ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Neque multò
pòst idem euangelista ait, quoniam iesus plures discipulos
faciebat quã Ioannes. Cùm ergo iam viduæ filium Christus
in Naim ex morte resuscitasset, eáque statim per vniuersam *Luc. 7.*
Iudæam fama dispergeretur, venerunt ad eum discipuli Io-
annis, idipsum illi ex inuidia annunciantes, rabbi suum ma-
gistrum & maximum esse decere & potentissimum. Hæc iam
quando discipulis suis referentibus cognouisset facta Chri-
sti Ioannes, duos ex illis misit ad iesum, vt hodiernum habet
& testatur euangeliũ, in quo Ioannis cõtinetur interrogatio,
laus item & commendatio, quam Ioanni attribuit Christus.

2 Deinde Ioannes tum veritatis, tum saluberrimæ suæ
doctrinæ causa ita captiuus, duos ex suis misit ad Christum,
quærens, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et
hanc interrogationem sunt ex doctoribus sane quidam qui
admirentur. Ille enim Christum in vtero adhuc matris de-
litescens agnouerat iuxta illud Elizabeth verbum, Ecce vt fa- *Luc. 1.*
cta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gau-
dio infans in vtero meo. Cui reuelauerat spiritus sanctus, su-
per quem videris spiritum descendentem & manentem su-
per eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Ille etiam Io-
annes Christum ab eo baptizari volentem cùm prohiberet, *Ioan. 1.*
dicens, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me! baptizans
tamen eum, vidit cælos apertos & spiritum sanctum descen-
dẽtem sicut columbam: audiuit insuper vocem patris, Hic est *Matth. 3.*
filius meus dilectus, in quo mihi complacui, Hic etiam de
Christo dixerat, Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi. *Ioann. 1.*
Testimonium quoque iam dederat ille vidisse spiritum san-
ctum super eum, dum baptizaret ipsum. Venientibus etiam
ad se discipulis & multum conquerentibus, quòd Christus tã *Ioann. 3.*
multos baptizaret, idem respondit, Illum oportet crẽscere,
me autẽ minui. Illi, inquã, multis iã modis Christo testimo- *Ioann. 1.*
nium dederat, esse eũ qui expectatus tot fuisset retro seculis
Mesiam, sicut & Ioannes in euangelij sui statim exordio, &

Ioann. 5. apud eundem Christus dicit, Ioannem testimonium dedisse veritati, Cùm itaque Ioannes etiam puer, imo ex ipso etiam matris vtero Christum agnouerit esse Mesiam, priusquam dominus miracula facere cœpisset, quid est quòd nunc tandem interrogat, vel vt ignarus, vel certè vt dubius?

¶ Ad hanc quæstionem vno velut ore omnes respōdent doctores, quoniā Ioannes nihil dubitarit Christum esse Messiam, quandoquidem eum Christus ipse post hanc statim interrogationem adeò cōmendauit, vt etiam plus quàm prophetam diceret, & angelum suum vocaret. Fieri itaque non potuit, vt hæc interrogatio ex aliqua veniret dubitatione super Christo: cui tamen certum & efficax ille semper dedit testimonium. sed aliud est, quòd hac sibi interrogatione voluit Ioannes, idque nunc nobis occurrit perscrutandum.

3 Ex prædictis iam duobus articulis sequitur. quia nō Ioannes, sed Ioannis discipuli de Christo nonnihil ambigebāt omnem hanc interrogationem discipulis ipsis bono & commodo factam esse. Nam cum plus Ioanni tribuebant, quàm priuato cuiuis homini, & tamen Ioannes de venturo semper loquebatur & docebat, Alius veniet post me, &c. sicut die ab hinc octauo audietis: baptizabat etiam in nomine tantum venturi. credebant illi quidem Ioanni, sed tamen non credebant Iesum eum esse, quem venturū subinde promiserat Ioannes. si quidem in hac erant opinione, vt persuasum haberent Christū in maiori apparatu, longéque splendidiori pōpa esse venturum: quod vt olim, ita nunc quoq; Iudæi plerique omnes mordicus sentiunt & tenent. Quicquid itaque eis de Christo dixerat Ioannes, non adducebantur vt crederent, vnde nō immeritò ipsos ad Christum ablegauit, vt qui verbis Ioannis de christo credere recusabant, maximis illis christi crederent operibus, sicque discipulos ille suos placidè & humaniter ad Christum prouocaret sequendum, qui iam nimium velut in verba eius iurati, ex suo pendebāt magistro. Ideoque & interrogabant, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Quo sanè innuere etiam tunc voluit Ioannes, fore vt alius aliquando expectaretur, quem nunc quoque obstinata Iudæorū gens præstolatur, sed falsa omni sua expectatione, Antichristū enim pro Mesia recipient, quod iam olim etiā Christus prædixerat, Ego veni in nomine patris mei, & nō me recepistis: veniet alius in nomine suo hūc

Margin notes: Ioann. 1. (beside "priuato cuiuis homini"); Ioann. 5. (beside "iam olim etiā Christus")

recipietis. Et hæc ſanè ſententia eſt Chryſoſtomi, Auguſtini, Theophylacti. Sáctus verò Ambroſius ex Scripturis etiam probat, non omnem interrogationé ſemper aut ex ignorantia venire aut dubitatione, ſed non rarò ex pia & tenerrima charitate in eruditioné aliorũ. Sic de Lazaro chriſtus interrogauit, vbi poſuiſtis eum? nõ quòd ille ignoraret, vbinam ſepultus foret Lazarus, ſed vt per hoc audientes ad fidem inſtruerentur, quando iam Lazarum ex ſepulchro viderent reſurgentem. Ad eundem planè modum hîc Ioannes per diſcipulos ſuos chriſtum interrogat, non vt ipſe vel ignarus vel dubius, ſed vt illi hac ipſa interrogatione occaſionem haberent veniendi ad chriſtum, videntéſque miracula eius crederent in illum. Quanuis verum eſt, ſanctum Hieronymum Gregorium, & Bedam interrogationem hanc eo etiam referre, an chriſtus in propria ipſe perſona deſcenſurus eſſet in limbum patrum, an ſuo nomine alium illuc redimendi vinctos miſſurus: quem ego nunc intellectum omitto. *Auguſt.* *Ambro.* *Ioan. 11.* *Hierony.* *Gregor.* *Beda.*

4 Ad hanc iam nunc interrogationé chriſti ſequitur reſponſio, Ite & renunciate Ioanni, quæ vidiſtis & audiſtis. Nouerat ſanè pius ille, & quem nil latet, dominus Ioannis animum: vnde etiam non reſpondit, Dicite Ioãni quoniam ego ſum. idipſum enim ſi reſpondiſſet, poterat interrogantium perturbare affectum, vt pulchrè hîc expendit chryſo. eos denique nonnihil offendere, vt ait Hieronimus. Non ergo ad verba reſpondebat interrógationis, ſed tantũ ſigna ante oculos eis ponit & miracula, quæ illis loquantur & reſpondeãt: vt ſic doctrina ſua magis extra omné eſſet ſuſpicionem. Quis enim neſciat, teſtimoniũ quod ab ipſis datur operibus & factis, longè eſſe efficacius certiúſque eo, quod ſolis præſtatur verbis? Chriſtus autem ea hora, qua ad ſe diſcipuli venerant Ioannis, multos (vt teſtatur Lucas) ſanauerat à morbis & ægritudinibus variis, à ſpiritibus immundis, cæcis plurimis viſum reſtituerat. Ad hæc itaque opera Chriſtus nuncios illos cõſideranda prouocabat, dicens, Renunciate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis: Cæci vident, claudi ambulãt, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt. Hæc nimirum illa mirabilia admirandi dei opera, & magna per ſe erant, & efficacia: quæ probarent hunc eſſe illum venturũ, nec aliũ eſſe qué expectarent. Hîc enim erat ille deus, & per hũc de' mirabilia opera tanta operabatur: vnde etiam factũ eſt, vt Chri- *Chryſoſto.* *Hierony.* *Lucæ. 7.*

ſtus miracula digitum diceret dei. ſi quidem vt nos aliquid monſtramus digito, ita miracula deum demonſtrant. Quo
Luc.11. pertinet illud Chriſti apud Lucam verbũ, Si in digito dei e-
Exo.8. iicio dæmonia, profectò venit in vos regnum dei. Ita & malefici apud Pharaonem dicebant, Digitus dei eſt hic.

¶ Digito igitur miraculorum ſuorum Chriſtus declarat diſcipulis Ioannis ad ſe miſsis. ſe & deum eſſe & Meſsiam illũ in lege promiſſum: Meſſiam autẽ tãta operaturum miracula
Eſa. 35. iam olim prædixerat Eſaias, Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Vſqueadeo hæc euidens fuit diuinitatis Chriſti cõprobatio, eundemq́; eſſe Meſſiam, eo quòd hæc miracula tanta propria faceret poteſtate.

5 Enumeratis miraculis magnis, ad extremũ Chriſtus illud quoque adiungit, quod ſuperioribus nihilò eſt inferius, Pauperes euangelizantur. Quod vulgò ita ferè exponitur, Pauperibus prædicatur euangelium, quod ipſum ſanè inter
Eſa.61. præcipua Meſsiæ officia Eſaias vaticinatus erat, dicens. Spiritus domini ſuper me, eo quod vnxerit me, ad annunciandum
Luc.4. manſuetis miſit me. Quem prophetæ locum Chriſtus ipſe in ſynagoga Nazareth & legit, & ad ſe retulit. Poteritq́; illud de pauperibus ſpiritu intelligi, ſicut apud Matthæum
Matt. 5. ait, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Vel etiam accipi idem poterit de iis, qui diuitiis pauperes ſunt. idq́; nõ malè contra ipſos diſcipulos Ioannis, qui cum à magiſtro ſuo edocti eſſent de venturo, putabant eundem in magno & ſplendido mundi huius venturum eſſe apparatu. Et hanc itaque opinionem erroneam dominus loco Eſaiæ inducto velut clauo fortiſsimo retruſit, quoniam manſuetis annunciaturus eſſet. Quamobrem iſti Chriſtum non ita debebãt vilipendere, quamuis in maxima venerit humilitate. hæc enim iã enumerata in propheta Meſsiæ tribuuntur. Video etiam inter doctores quoſdã, qui verba hæc, pauperes euangelizantur, propriè & in ſua planè forma intelligant, paſsiuè nimirũ & tranſitiuè, non acquiſitiuè: quoniam pauperes euangelizantur, hoc eſt, euangelicè ſuſcipiuntur.
Theophyl. Eiúſque ſententiæ fuit (vt equidem ſentio) Theophyla. dicens, Pauperes qui euangelizantur, intellige vel apoſtolos euangelium prædicantes: pauperes enim erant & piſcatores & vt priuatim contemptibiles, vel auditores euangelij, de

cœlestibus bonis audientes. Vbi sensus hic for ·,quòd Christus hic potestatem insinuasset spiritualem, in quam pauperculi etiā piscatores à Christo sunt electi. Qui em̄ animū suū à bonis temporibus omnibus abdicauerunt, tantùm cœlestia meditati,euangelizati sunt vtique, & ad Euangelium electi, iuxta hanc vocem Petri, Domine,reliquimus omnia & secuti sumus te. Et ij nimirum fratres erāt verè euāgelici,nō vt nostrates oretenus tantùm Christiani, in ore solummodo circonferentes euāgelium,& laceris pannis,libris nimirū, operibus autem ne minimo quidem digitulo euangelium attingunt, vt rectè dixerit in Canonica sua Iacobus, Nōnne deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide, & hæredes regni,quod repromisit deus diligentibus se? & vt tandem hæc intelligantur,sat est nos hîc discere iuxta sanctum Hieronymum,nullā inter nobiles & ignobiles,inter diuites & egenos in prædicatione esse debere distantiam, nec prædicatoris esse,vt blandiatur diuitibus veritatem celans, cùm tamen omnibus in commune dicere debeat, quæ & diuinam gloriam & animarum contingunt felicitatem. Verum est sanè, quoniam pauperibus magis quàm diuitibus euangelium annūciatur,eo quòd ad illud audiendum magis approperent, cùm interim diuites elati sint,suóque cōtumaci fastu intumescāt inflati,putantes se satis sapere,nulliúsque proinde indigere prædicatione,dum emere,vēdere,fallere, & hominibus simplicibus imponere pulchrè norint, neque interim Paulum obseruant dicentem,Sapientia huius mundi,stultitia est corā deo. ideóque non audiunt libenter prædicatores euangeli eos,verùm assentatores suos,& istos qui teneras aures mordaci radere vero verentur, blandos adulatores, prædicatores carnis,quos boni omnes & ecclesiastici & ex vulgò odere,eos inquam tenelli tantùm, & qui nunc maximi habentur, mercatores audiunt & ciues. Mat. 19. Iaco. 2. Hiero. super Mat. 1. Cor. 13.

3 Subiungit ad hæc dominus. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Quibus ille verbis rursus suam declarat diuinitatem: nisi enim deus esset, beati non forent,qui in eo non offenderentur. Sanctus Chrysostomus tamen vult Christum iisce verbis latenter tetigisse, & vt Hieronymus ait,percussisse internuncios Ioannis,eósque occultò arguēdo momordisse. Nam cùm illi scandalum propter ipsum paterentur,passionē mentis eorum ita detexit, vt nullus huius rei Chryso. Hierony.

testis esse posset, sed conscientiæ ipsorum, qui sibiipsis conscij erant, res tota relicta sit, quantum in ipso scandalum paterētur. Non tamen ineptè intelligi potest etiam de generali illo scandalo, quod omnes passuros Christus vna nocte prædixit.
Mat. 26. Et sic, iuxta Gregorium, illis verbis palam hîc mortem suam
Gregor. contumeliosam confessus est, quasi diceret, Mirabilia quidē operor, sed contemptum pati non recuso. Multos autem in Christo scandalum passuros etiam Simeon ille pater prædixerat, Ecce hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur. Et Petrus de
Lucæ 2.
1.Pet.2. Christo loquens, Vobis, inquit, credentibus honor, non credentibus autem lapis offensionis, quem reprobauerunt ædificātes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali, iis qui offendunt verbo, nec credunt, in quo & positi sunt. Quapropter quanuis promptum, & expeditum tunc omnibus fuerit Christum sequi, tanta miracula operantem, eundem tamen suæ humanitatis imbecillitatem, ostendentem exhorruerunt multi, retrocedentes & offensi in illa summa Christi humilitate: vbi cogitare magis debebāt quā-
Bernard. tum malum sit peccatum, cuius gratia filium quoque dei mori oportebat. Expendere debebant præterea immensam illā charitatem dei erga genus humanum, qui suo non parcens filio vnigenito, eundem tradidit in amarissimam passionem & mortem crucis, vt sic miserrimo consuleretur homini, illé-
Ioan. 3. que redimeretur à peccato. Cogitare debebant, non sine magno mysterio filiū dei sese in terras humiliter demisisse, carnémque sumpsisse, vt hominē reduceret, & reuocaret ad cœlum, cœlestémque illam & æternam felicitatē. Quam nobis quoque concedat Christus Iesus in secula benedictus, Amen.

HOMILIA III.

PRius quàm textum aggrediar Euangelicum, quia hæc tertia est dominica Aduentus, vobis edisseram, quisnam in ecclesia hodie recolatur aduētus. Dico itaque omni Christiano diligenter hodie esse recolendum, quomodo eum Christus in morte sua præcipuè sit iudicaturus, sicut in die nouissimo omnes in vniuersum iudicabit: idq; ita esse ex scri-
Hebr. 9. pturis palam faciemus. Ad Hebræos enim Paulus, Omnibus, inquit, hominibus statutū est semel mori, post hoc autē iudiciū. Vnde satis patet, iudiciū omnium hoīm morti succedere.

Quod & apud Matthæum Christus in parabola docuit, vbi *Matt.22.*
eum qui sine veste nuptiali in conuiuium tamen irruperat,
iubet in tenebras proiici exteriores. quod sanè nō in vniuersali
iudicio, sed particulari factum agnoscitur. Sed & Ioannes
cum clamore sanctorum loquitur pro vindicta sanguinis *Apoc.6.*
sui, ait, Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. Atque hoc
quidem ante diem factum est nouissimum, cùm eos agnosceret
deus vita dignos æterna: quapropter propriè Christus
dixit, Pater omne iudicium dedit filio. Vbi particulam hanc, *Ioan.5.*
omne, nota diligentiùs: quia sic non vnum tantùm extremum
illud, sed omne iudicium dedit filio. Quo facit vulgare
illud dictum, Qualem te, dum vocat, inuenit deus, talem & iudicabit.
Quæ sanè sancti etiam Cypriani martyris sententia *Cypria.*
est, cùm ait, Non te vocat dominus per mortem ex hoc seculo:
quare & pariter nō iudicaret te exeuntem ex hac vita? Sed
& sanctus Hiero. super Ioelem dicit, Quòd in die iudicij futurū *Hierony.*
est omnibus, hoc in singulis in die mortis impleri. Num
verò Christus corpore suo in cruce pendens appareat morientibus,
quod voluit Innocētius, nōdum in scripturis me- *Innocen.*
mini me inuenisse, vnde nec reiicio, nec vt certum accipio. satis
est Christū omnes homines mortis tempore, vel cœlo adiudicare,
vel inferis, vel purgatorio. Verum est enim, quod aperte
dixit Christus apud Lucam, se venire ad cuiuslibet hominis
mortē. Beati serui illi, quos cū venerit dominus, inuenerit
vigilantes. Et vos estote parati, quia qua hora non puta- *Lucæ.12.*
tis, filius hominis veniet. Et hoc cummuni fit cursu legis diuinæ,
neque multùm refragor, Christum posse nōnunquam ex
causa differre iudicium, sicut de morte sancti Hieronymi in
quadā ad Augustinum epistola refert Cyrillus, vbi talis exo- *Cyrillus.*
riebatur hæresis, animas sanctorum non esse beatus, nec in
cœlo ante diē iudicij nouissimi, (sicut nunc quoque hęresim
istam satis sopitā, ex ipsis vsque cineribus excitare rursus nō
verentur) nec aliquod esse purgatoriū, Ibi sanè sanctus Hie- *Historia*
ronymus suo discipulo apparuit Eusebio, eidémque commisit *de purg.*
corpora mortuorum tria ponere in Bethleem iuxta suum
sepulchrum, & ibi cilicium, quo vsus, dum viueret, erat sanctus
Hieronymus, in tota concilij congregatione ponere super
illa, vt sic reuiuiscerent, & quod verum esset, ipsique adeò
demortui vidissent & experti essent, edicerent, vnde tandem
hæresis ista refelleretur. Quod & factum est, Cùm enim reui-

xiſſent, Cyrillus eos coram populo vniuerſo interrogauit, quomodo ſe res cum animabus haberet mortuorum. Vbi ſtatim ex illis vnus reſpondit, Anima mea cùm primùm à corpore eſt ſeparata, in momento præſentata eſt deo iudici, vbi peccata mea omnia, quæ vnquam per omnem vitam commiſi, ſunt manifeſtata: ibi ſtatim immenſa aſtitit dæmonum nos accuſantium turba, declarãtium etiam tempora, loca & ſpecies peccatorum, vt iam negare non poteramus, agnoſcentes iuſtiſsimum illũ iudicem, quẽ nihil latet. Cúmque iam pferenda eſſet ſententia, interuenit ſanctus Hieronymus, petẽs vt ſententia iudicij paulùm prorogaretur: quod cùm factum eſſet, tres illi cùm pœnitentiam egiſſent diebus viginti, tandem cum Euſebio rurſus mortui ſunt, ſicut ei in principio ſanctus Hiero. reuelauerat. Prolixior quidem hæc eſt hiſtoria, ſed eam in pauca cõtraxi. Et licet non ſoleam multas extra bibliam recenſere hiſtorias, tamen cùm tanti patres ſanctiſsimíque viri aliquid factum eſſe deſignẽt, immeritò credendũ eſt illis. Deóque tamen omnis dãda gloria, cuius nondum abbreuiata eſt manus. Quòd ſi autem ſolidam certãque ethnicis mũdaníſque hiſtoriographis fidem damus, vt Liuio, Saluſtio, Iuſtino, Quinto Curtio, & cæte. qua tandem fronte, quáue impudentia ſanctis patribus credere recuſabimus, hiſtoriam quæ ad fidẽ noſtram pertinet, ſcribentibus? Nec eſt quod ſuſpiceris Cyrillum rem tantam, niſi ita eſſet planè, Auguſtino ſcribere voluiſſe. Neque verò multũ abſimilè eſt, quod in origine legitur Carthuſienſium, quod Pariſiis magnus quidam doctor dum ad ſepulturam ferebatur mortuus, clamauit, Accuſatus ſum coram iuſto dei iudicio. Ibique cùm eſſet cõſultatum, pheretrum cum cadauere relictum in diem eſt poſterum: quo rurſus clamauit, Iuſto dei ſum iudicatus iudicio. Tertiò tandem die inclamauit iterum, Iuſto dei iudicio ſum condemnatus. Vbi iudicio non ſtatim homini illi aduenit mortuo, ex cauſa, quoniam per hoc factum deus ſanctum inſtituere volebat Carthuſianorum ordinem. Omnis itaque homo hodie diligenter recollat diem obitus ſui, cóque quàm duram ſubiturus ſit prouinciam, cũ hac ipſa hora anima ſua à proprio angelo in faciem adduceretur iuſtiſsimi iudicis Ieſu Chriſti, vt ibi pro meritis ſuis cõdigna recipiat. Ecce enim ex vniuerſo hoc mundo nec bona, nec honores, nec amici, nec liberi, hominem ad tribunal illud comitabũ-

Eſa. 59.

Ex hiſtoria Carthuſiani.

tur, sed tantùm eius opera. Et quocunque ceciderit lignum, *Eccle.11.*
ibi iacebit, siue ad austrum, siue ad aquilonem, inquit Sapiēs,
Quid porrò in hoc iudicio sanctus Michaël sit facturus
in illius dicam festiuitate. Deus & Dominus noster gratiam
nobis suam concedat, vt angelus noster in hora mortis nostræ
nos cum gaudio offerat iudicio illi diuino, vnde gaudia
tandem sanctorum acquiramus æterna, Amen. ¶ Nunc denique
ad textum veniamus euangelij, vbi inquit Matthæus, *Matth.11.*
Abeuntibus illis, internunciis nimirum Ioannis, cœpit Iesus
dicere ad turbas de Ioanne. Eiusque sermonis rationem geminam
reperio. Alteram quoniam Christus Ioannem cœpit
laudare post abitum suorum tandem discipulorum, ne in
suspicionem populi veniret, & ab eodem pro assentatore haberetur,
quasi qui in gratiam discipulorum Ioannis magistrū
eorum voluisset laudare Ioannem. Illis itaque iam ab eo digressis,
Ioānem demum laudare cœpit: vnde nos quoque docemur,
eos qui laude digni sunt laudare, sicut prꝫter hoc Christi
exemplum Sapientis quoque monemur consilio, dicentis, *Eccle.4.*
Laudemus viros gloriosos, sapientiam ipsorum narrent
populi, & laudem eorum nunciet ecclesia, & cæte. Sed & totum
illud caput eò vergit, vt viros honestos honore & laude
afficiamus, vt iam meritò Christus Ioannem, veluti viuum
quoddam honestatis exemplum, laudare voluerit, Alteram
verò causam Chrysostomus insinuat. Quòd enim ad *Chrysosto.*
legatos attinebat Ioannis, illi iam vel ex solis Christi miraculis
certi erant, Christum esse Messiam illum qui venturus
erat: plebs autem ignara quo animo quóve consilio Ioānes
Christum per discipulos interrogasset, cogitare poterat,
Ioannem de Christo dubitasse, instabilem item fuisse, nec
in priori perseuerasse testimonio, quod toties Christo dederat:
hanc nimirum suspicionem, vt Christus ex corde populi
euelleret, cœpit Ioannem laudare sicut iam explicabimus.
Neque enim sibi, sed discipulis suis Ioannes interrogauerat, *Hieron.*
inquit Hyeronymus. Et hac ipsa laude Ioānis, declarat Christus
se Ioannem non intellexisse, cùm de scandalo loqueretur,
beatum prædicans qui non foret scandalizatus in se. quę *Hilarius.*
sanè sententia est Hilarij, vt sic Christus vtrorunque corda
vno inspexerit intuitu, discipulorum Ioannis, qui se non illum
credebant venturum: & populi, qui ex interrogatione
Ioannem insimulare poterat dubitationis. *Matth.11.*

2 Quod verò ad Ioannis laudem pertinet Christus eũ laudaturus, à persona statim orditur audientium, quod nimirum est scopum tangere, & ait, Quid existis in desertum videre, arundinem vento agitatam? Obseruandum est quod hîc Christus Ioannem ex quatuor rebus cõmēdat, quod quidem hodiernum habeat euangelium. nam quinta laus alibi continetur. Principiò à constantia, quòd vir esset cōstās, quo minus suspicere populus posset Ioannem in Christo dubitasse, cui tam certum iam antea dedisset testimoniū. Certè enim si instabilis fuisset, nec ipse sibi constitisset, sed magis instar arundinis vento agitatæ, huc illuc impulsus fuisset, non sanè tantus eum populus in desertum vsque sequutus semper fuisset, omnibus itaque secūdum Chrysostomū modis voluit Christus, ne plebs Ioānem alicuius insimularet leuitatis, cū propter veritatem & iustitiam capite tandem sit plexus. Et arundinem quidem designare instabilitatē, vel ex ipsa Regū docemur historia, cùm Abias diceret ad vxorem Ieroboam, Percutiet dominus deus Israël domum Ieroboam, sicut moueri solet arundo in aqua. Volebat itaque Christus Ioannem arundinem non esse, nec inconstantem: quod ipsi ex discipulorum poterant interrogatione colligere, vnde hanc quæstionem Christi pro negatione accipi decet, quasi diceret, Non, Ioannes arundo non est. 2 Ab austeritate deinde vitæ durissima Ioannem Christus collaudat, dicens, Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Hoc eò dixit Christus, inquit Hieronymus, quòd poterant Ioannem ambitionis gratia è priori testimonio cadere in dubitationem. Id vt reficeret Christus, iterum cum negatione interrogat, sicut de arundine. Vir huiusmodi, qui honores appetit & voluptatibus inhiat, nō deserta sectatur: sed magis opus habet vt bene vestitus nitidas sequatur aulas. Atqui Ioannes hoc nō fecit: neque enim vos eum in aulis, sed deserto quæsiuistis, vnde & hac de causa non potuit ille à priori deficere testimonio. De vestitu autem Ioannis, Matthæus clarè testatur eum habuisse vestimentū de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: escam quoque illi fuisse locustas & mel syluestre. Qui sanè vestitus tanto fuit homine dignissimus, de quo sic locutus fuerat angelus domini, Præibit ante illum (Christum nempe) in spiritu & virtute Eliæ,

Prima laus Ioānis. *Chrysost.* *Marc. 6.* *3. Re 14.* *2. Laus.* *Hierony.* *Chrysost.* *Matt. 3.* *Lucæ 1.*

ad præparandam domino plebem perfectã. Náque & de Elia legimus in libris Regum, interrogasse regem Ochoziam, *4. Reg.1.* Cuius figuræ & habitus est vir ille, qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc? At illi dixerunt, Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait, Elias Thesbites est. Meritò itaque Christum præcessit Ioannes vt in spiritu, ita & in vestitu Eliæ. S. Gregorius in homilia hodierna docet, neminé *Grego.* existimare debere in luxu atque studio preciosarum vestium peccatũ deesse: quia si hoc culpa non esset, nullo modo Ioannem dominus de vestimenti sui asperitate laudasset. Si hoc culpa non esset, nequaquam Petrus apostolus per epistolam *1 Petr.5.* fœminas à preciosarũ vestiũ appetitu cõpesceret, dicẽs, Nõ in veste preciosa. Cuiusmodi nimirũ habitu vestiebatur diues iste, quem quotidie purpura indutum fuisse & bysso Euãgelica testatur historia. Quando autem splendor ille vestiũ *Luc.16.* peccato tribuatur & imputetur, quando non, & amplior est pertractatio, & huc quoque parum pertinet. Quanuis in hac re quoque & similibus, notabilis est regula quam dat Augustinus, In omnibus, inquiens, talibus non vsus rerum, sed libido mentis in culpa est. Hieronymus quoque hîc ostendit, *Lib. 4. de doctrinâ Christiana.* docet rigidam vitam & austeram, prædicatorem vitare debere aulas regum, & mollia hominum palatia declinare.

3 Quum iam satis hisce duabus quæstionibus Ioannẽ excusasset Christus, quia nõ decidisset à veritate, quum & constãtissim⁹, & vitę quoque esset asperrimę, nũc ex duobus adhuc cũ cõmendat, vt eo minus cogitare posset populus Ioannem de Christo dubitasse. Ioãnis enim intellectũ plus quam *3. Laus.* prophetarũ omnium prædicat fuisse illuminatum: & ait, Sed quid existis videre? prophetam? Etiã dico vobis, & plus quam prophetam. In hoc nanque prophetis omnibus fuit Ioannes excellẽtior: quòd digito etiam ostendit præsentẽ, quem illi prædixerunt esse venturum, inquit Hieron. dicebat etenim, *Hierony.* Ecce agnus dei, qui tollit peccata mũdi. Et prophetæ quidẽ *Ioan.1.* ministerium est ventura prædicere, non etiam demonstrare, *Grego.* quod Ioannes fecerat, vt Gregorius ait. Præterea vltra omne munus propheticum. Ioãnes ministerium quoque habuit Messiam baptizãdi. Quanuis Chrysostomus arbitratur Ioã- *Chrysost.* nem eò etiam fuisset prophetis maiorem, quo Christo fuit propinquior. sicut qui regi astant, eúmque sequuntur proximi, nobilissimi iudicantur. Et tamen quomodo Ioannes &

propheta ſit,& plus quàm propheta,& etiam non propheta, dicemus quarta dominica Aduentus.

4 Angelum nunc quoque vocat Ioannem Chriſtus oſtendens officium illius ſcriptis etiam propheticis, Hic eſt de quo ſcriptum eſt,Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam. Angelus quidem appellatur Ioannes, non natura,ſed dignitate officij,inquit Hierony.ἄγγελος enim idem quod nuncius eſt, quem deus ipſe miſit ante faciem Chriſti præparare vias eius. Et hunc ſanè deus miſit ante Chriſtum in annunciatione, quum ſex ſeptimanis antè ſit annunciatus Zachariæ, quàm Chriſtus Mariæ. Miſſus deinde ante Chriſtum eſt & in natiuitate, quia Ioannes æſtate, Chriſtus demum hyeme natus eſt. Miſſus etiam in morte ante Chriſtum eſt ad limbum patrum. Chriſto enim magna miracula operante.Herodes dixit pueris ſuis, Hic eſt Ioannes Baptiſta,ipſe ſurrexit à mortuis. Quod quum audiſſet Ieſus,ſeceſsit in locum deſertum ſeorſum. Quibus porrò modis Chriſto Ioannes præparauerit viam, luce clariùs teſtantur Euangelia.In præcipuis enim quatuor viam ei parauit.Et primùm quidem teſtimonio ſuo,quod illi exhibuit. vel Chriſto apud Ioannem idipſum confitente, quoniam de ſe teſtimonium dederit:ſed & Euangeliſta Ioannes ait eum à deo miſſum, vt daret teſtimonium, &c,

Mal.1.

Luc.1.

Matt.14.

Ioan.1.3.5.

2 In baptiſmo:hic enim eſt qui primus baptizare cœpit, hominéſque baptizare paulatim in conſuetudinem adduxit, vt ne deinceps baptiſmum Chriſti reſpuerent,ſicut & doctores omnes conſentiunt,& ipſa Ioannis verba hinc nõ diſſentiunt,apud Matthæum ſic inquientis,Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam. Qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt,ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto & igni.

Matth.3.

3 In prædicatione pœnitentiæ: ſicut enim prædicare cœpit Ioannes,pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum:ita & Chriſtus cùm audiſſet Ioannem vinctum,venit in Capharnaum,& ibi cœpit prædicare, Pœnitentiam agite.appropinquabit enim regnum cœlorum.

Matth.3.

Matth.4.

4 In confeſsione quoque viam Chriſto præparauit Ioannes.Erat enim,vt Marcus refert, in deſerto baptizans & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum.Et egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Hieroſolymitæ vniuerſi, & baptizabantur ab illo in Iordanis

Marc.1.

flumine, confitentes peccata sua. Et quanuis plures paratæ viæ modi possent induci, iis tamen quatuor nunc contenti sumus. Ex prioribus tamen & iis quoque quas nunc indicauimus rationibus, & præcursor domini dicitur, & stellæ cófertur matutinæ, quæ solem iamiam oriturum præcurrit eodem enim modo & Ioannes ante solem illum ortus est iustitiæ. Deus optimus maximus gratiam, virtutem & fortitudinem nobis concedat, vt & ipsi viam hanc ingredi queamus, quam sanctus Ioannes præparauit: tandèmque decurso huius viæ & vitæ spatio, introire mereamur gaudia salutis æternæ, Amen.

DOMINICA QVARTA
ADVENTVS EVANGELIVM
Ioannis primo.

IN ILLO tempore, miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes
& leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, Tu quis es? Et con-
fessus est. & non negauit. Et confessus est, quia non sum ego Chri-
stus. Et interrogauerunt eum, Quid ergo? Elias es tu? Et dixit, Non
sum. Propheta es tu? Et respondit, Non. Dixerunt ergo ei, Quis
es? vt responsum demus his qui miserunt nos. Quid dicis de
teipso? Ait, Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam domini, Esa. 40.
sicut dixit Esaias propheta. Et qui missi fuerant, erant ex pha- Matth. 3.
risæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei. Quid ergo bapti- Marc. 1.
zas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta? Respondit Luc. 3.
eis Ioannes, dicens, Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum ste- Matth. 3.
tit quem vos nescitis. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me Marc. 1.
factus est, cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam cal- Luc. 3.
ceamenti. Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioan- Act. 1. 19.
nes baptizans.

HOMILIA PRIMA.

PRINCIPIO statim euãgelij huius meditetur & recogitet apud se quilibet Christian⁹, quã cõmodè spiritus sanctus, prouidus nimirũ illæ ecclesiæ sanctæ gubernator & rector, euangeliũ illud huic accõmodauerit dominicæ. Die eni ab hinc octauo ecclesia nobis velut ob oculos proposuit, quã & laudarit & maximi fecerit Christus Ioannem, quod adeò

esset constans, támque asperam vitam viueret, & plus quàm propheta esset, imò & angelus domini, ex testimonio Malachiæ prophetæ. At hoc iam hodierno euangelio adhuc tamē nobis Ioannem proponit, quomodo ille semet humiliauit, dicens se nec Christum esse, nec prophetam, sed tantùm baptizare in aqua, tantúmque vocem esse Messiæ, dúmque dominum magnificat, indignum se reputat, qui corrigiam solueret calceamenti: & sic sua illa humilitate præceptum impleuit Sapientis, Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia dei solius, & ab humilibus honoratur. Quòd ipsum quoque Sapientis præceptum nos ponderare, auribúsque & animo sedulò concípere debemus, & nosmet submittere & humiliare, sicut sanctus Ioannes humilimè se subiiciebat coram domino Iesu Christo. Sed nos iam textum aggrediamur euangelicum, illúmque auxilio diuino interpretemur. continet enim ille principio legationem Iudæorum ad Ioannem, deinde interrogationem eorum sibi commissam, mox abnegationem Ioannis, postremò confessionem ministerij sui.

Eccle. 3.

1 Quod ad primum attinet, euágelium sic habet. Miserunt Iudæi ab Hierosolymis, &c. Hic nos primum edisseramus, cur tandem Iudæi ad Ioannem miserint, éstque hæc ferè communis ratio, quoniam Hierosolymis, vbi tunc studiū florebat & doctrina legis ac prophetarum, fama vulgò iam increbuerat, Messiam statim venturum, aut etiam iam venisse. Iam tum enim signum à patriarcha Iacob datum illis impletum erat, quoniam ablato ab eis omni septró regali, domino subiecti erant externo, magistratus habebant sibi à Romano delegatos, Pilatum, Herodē, Philippum, &c. Neque id tantùm, poterant etiam colligere ex propheta Daniele hebdomadas illas, vel ad ipsum iam finē decurrisse, vel certè prope illū cōsistere. Ita enim Daniel prædixerat, Septuaginta hebdomadas abbreuiatæ sunt super populum tuum & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & addatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorū. Nūc sciebant sanè, se tot hîc annos intelligere debere, quot dies hîc cōtinerētur, ex illa Ezechielis prophetia, Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. Cúmque iam adesse & penè ad euētum festinare videbātur

Gene. 49.
Dan. 9.
Ezech. 4.

tur tempora, circumspiciebant, si quo loco Messias se exhiberet. Quod dum faciebant, videbant admirandam & stupendam illam sancti Ioannis Baptistæ natiuitatem, quã Lucas cõmemorat, asperitatem vitæ suæ intuebantur, motũ cogitabant sanctimoniam, grauitatem admirabantur prædicationis, quotidianum immensæ plebis meditabantur concursum: neque illud mysterio carere credebant, quòd jam inciperet baptizare. Quæ omnia occasionem illis offerebant, vt optimo affectu secundũ Origenem ad illum legationẽ mitterẽt, intellecturi sic ex illo, essétne Messias ipse verus. Quãuis Chrysostomus eius est sententiæ, vt putet Iudæos nullo animo bono misisse ad Ioannem, sed tantum ex liuore & maleuolentia: qui vel sic tandẽ blanditiis apud eum efficerent, vt ille Christũ se esse profiteretur: siquidem libentiùs illum agnouissent, suscepissentque Messiã, quam ipsum Christum. Id ille suo more, vt omnia, verbis exornat elegãtissimis, vnde meritò etiam aurei oris suscepit appellationem, hoc enim est quod Græce dicitur, χρυσοῖον σ͂όμα. Verũ & literæ & omnibus euãgelij huius circũstãtiis sẽtẽtia Origenis nõ paulò est cõuenientior. vnde hac via omnes communiter ingrediuntur doctores, dicentes, Iudæos animo & affectu bono legationem suam ad Ioannem misisse: quod ex quatuor etiam argumentis, articulo proximo enarrandis, colligi potest. Luc. 1. Origen. Chrysost.

2 Textus ipse quoque extẽdẽdus hic est, quàm magnifica & planè honestissima ad Ioannẽ missa sit legatio, quem sanè honorem nunquã Iudæi detulére Christo, licet Ioãnes discipulos suos ad ipsum miserit, sicut dominica audistis proxima. Et tamẽ quod Ioannẽ honorare voluerint Iudæi, ex 4. illis apertissimè licebit coniicere. Ex eorũ qui mittebãt magnificẽtia. Iudæi enim qui superiores erãt misére Iudæos ex summa illa & principali ciuitate Hierusalẽ, quę & metropolis vniuersæ erat Iudææ, in qua sapiẽtissimi, doctissimi, potẽtissimíque tũc degebãt Iudæi, vbi & templum erat & cultus ille domini. Ex illa tã inclyta nobilissimáque vrbe à viris dominísque grauissimis legatio ecce mittitur ad Ioãnẽ, nõ abiecta & vilis, inquit Chrysosto. sicut ad Christum Herodianos miserũt Iudæi, sed sacerdotes & leuitæ: & (vt sequitur in euangelio) ij quoque ex pharisæis erãt, quæ honestissima tũc inter Iudæos erat secta: sicut adiuuãte deo dominica vicesimatertia post Pẽthecostẽ declaraturi sum᷎. Vlterius Chrysost. Matt. 22.

quoque non magnitudinem tātùm considerare debemus legantium, legatorum, & vrbis vnde hæc fiebat legatio, sed rei quoque & negocij quod agebatur. hoc enim illis incumbebat munus, vt inquirerent, Messias ne ille esset. Honestissimè itaque tota hæc legatio & instituta est & absoluta, quod quidé Chrysostomus, Theophylactus, aliíque cōmemorant.

Præter hæc omnia notatu dignissimū est, quàm hîc grauiter tentatus sit Ioannes. Sicut enim semetipsum tentauit diabolus, vt similis esset altissimo: Ego, inquiens, in cœlum conscendam, supra astra dei exaltabo solium meum, ascendā super altitudinem nubium, & similis ero altissimo: sic per serpentem tentata est Eua, vt semet quoque cōpararet deo. Ita enim serpens ait, Deus scit quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Sicut ergo in cœlo Lucifer, Eua in paradiso, ita hîc Ioānes tentatur in deserto, vt similem se faceret deo, vt se Christum esse profiteretur: sicut hîc Gregorius inquit. Ex huius nobis lectionis verbo, fratres charissimi, Ioānis humilitas commendatur, Qui cùm tantæ virtutis esset, vt Christus credi posset, elegit solidè subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter super se. Sed cùm non vult appetere nomé Christi, factus est mēbrū Christi, &c. Grauis itaque & magna hæc fuit etiā ad blasphemiā affectio, vsque adeo vt maius peccatū facere non potuisset aliquis in vniuerso mundo homo, quàm hîc Ioannes, si post tanta gratiarū sibi collata dona, deum tamē blasphemasset, séque Messiam professus esset. Et hîc tria mihi diligenter expende, constātiam Ioannis, qui à veritate abduci se passus non est, sicut eū Christus euangelio dominicæ proximæ commendauit.

Ioānes his grauiter tentatus. *Esa 14.* *Genes. 3* *Grego.*

2 Quàm non immeritò sanctus Ioannes in supremū angelorum ipus adeò Luciferi locum sit euectus. Cùm enim in summa tentatione fortiter subsititerit Ioannes, in qua Lucifer & succubuit, & non sine magna ruina concidit, meritò ei Luciferi traditus est locus. 3 Quomodo omnes quotquot Messiæ sibi nomen & officium arrogarunt, corruerunt turpissimé. Cùm etenim per vniuersam iam diuulgatum esset Iudæam, tempus instare, quo veniret Messias, nonnulli Messiæ sibi nomen temerè vsurpārunt, testante etiam Iosepho, sicut Theodas & Iudas Galilæus. Cuius historiæ non deest nobis testimonium scripturæ biblicæ, quod quidem in

Iosephus.

Actis apostolorum verbis docemur Gamalielis. Act. 5.

4 Porrò iam textus narrat interrogasse illos, Quis es tu? Ioan. 1.
vbi sanè nec substátiã eius,nec genus quęsiuisse credẽdi sunt, cùm norant vtique filium eum esse Zachariæ & Elizabeth. Sed quia ab infantia & tantum non ab ipsis iam inde cunis in deserto conuersatus & enutritus erat, iámque improuiso egressus, prædicare incipiens quoque & baptizare, confugientibus vndique ex omni regione populis, quidã veluti stupor mũdi efficiebatur,nõ temerè officium illius inquirunt & dignitatem. Et cùm quærere vellent, esset ne Christus, nolebant tamen id apertè proferri.Idq́ue adeò verum esse,& illam eorum fuisse sententiam,vel ex eo liquet quod Ioannes respõdit,Non sum ego Christus. Respõdit hîc sanè Ioãnes non interrogationi eorum,quia sic vltimò demum quis esset elocutus est,sed affectui.Vnde & euãgelium, Cõfessus, inquit,est,& non negauit.Et confessus est, quia non sum ego Christus.Vbi tu Euangelistæ verba excute non sine pondere.Ecce enim tibi rem mirandum Ioannes ait,Non sum ego Christus Euangelista dicit eum non negasse. Nunquid enim non & nos vulgò sic loquimur, vt si aliquis quempiã se non esse dicit,eum negare dicamus? Quid igitur hîc Euangelista loquitur?Operæprecium est non literam mortuam,sed succulentum illum spiritum considerare, quod & Gregorius facit. Confessus enim est,veritatem puta,quandoquidẽ Christus non erat:& nõ negauit,scilicet Christum,maximè cùm id futurum erat Christum negare,semet profiteri Christum. ille enim veritas est. Et ita hîc euangelista rem vnam trifariam exprimit,volens eo quoque excellentem declarare Ioannis cõstantiam,qui vsque adeò à se illum reiecit honorem,quod eum Iudæi messiam esse crederent. Vbi notãdum tibi noris prædicatorem posse tum verbum tum sentẽtiã repetere,neque id vel temerè vel in molestiam fieri, sed ex certa potius causa,vt qui audiunt,melius cupiant, magísque afficiantur:nonnunquam etiam in significationem,cuiusmodi est illud Esaiæ,Sanctus sanctus sanctus, quo propheta trinitatem designare voluit personarum, Itaque & hîc illa euangelistæ repetitio insignem significat Ioannis constantiam.

Origen. Esa. 6.

5 Ioannes vbi Christũ esse se negauerat, porrò iam à legatis quęrirur,num Elias esset.plurimũ enim illi Ioãni tribuebãt,ex causis iã antè cõmemoratis.Cur autem Elias ne esset,

Matt. 17. interrogarint, ex Matthæo liquet, vbi apostolis ad dominũ, dicentibus, Quid scribæ dicunt quod Eliam oporteat primùm venire, ille respõdit, Elias quidé venturus est & restituet omnia. Hoc auté ex Malachia didicerant Iudæi, in per-
Malac. 4. sona domini dicente, Ecce ego mittam vobis Eliã prophetam, antequam veniat dies domini magnus & horribilis. Sed
August. iam iuxta Augustini & Gregorij sententiã quæstio exoritur, quomodo Ioannes Eliam se esse negarit, cum tamen Chri-
Matt. 17. stus eundé esse Eliam cõstanter asseruerit. Loco enim paulò antè memorato de Ioanne sic inquit, Elias iam venit, & non cognouerũt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixis-
Matt. 11. set eis. Et alibi quoque de Ioãne loquitur, Si, inquit, vultis recipere, ipse est Elias, qui vẽturus est. Quãtum auté distant, Elias est, & Elias nõ est? ¶ Verũ hæc iam quæstio verbis an-
Luc. 1. geli facilé soluitur, qui dixit, Ipse præibit Messiæ in spiritu & virtute Eliæ. Spiritu itaque Elias erat: persona, quomodo interrogabant Iudæi, Elias non erat? Profectò enim sicut Elias præcursor erit Christi iudicis ante diem nouissimum, ita Ioannes præcursor Christi fuit redemptoris prius quàm iudicaretur. Et hoc est quod fefellit latuítque Iudæos. Qui bene ex propheta obseruauerant illud, quia Messias ante se Eliam missurus erat: sed in hoc aberrarunt, quòd non altius paulò nisi de vno cogitabant aduentu. vnde factum est, vt Eliam putarint in propria persona venturũ esse ante Messiã. Esse autem geminũ Christi aduentum, cùm nos duabus supe-
Malac. 3. rioribus dominicis aduentus cõprobauimus, tum verò Malachias penitus modo introspectus apertissimè demonstrat. ille enim capite tertio de aduentu Christi in templo loquitur, hócque in sua factum est incarnatione, cùm ait, Ego mit-
Malac. 4. tam angelum meum ante faciem tuam, &c. Deinde in quarto capite de aduentu agit in iudicium, ibíque aduentus Eliæ facit mentionem. Verùm est ergo Ioannem & spiritu & officio fuisse Eliam, persona verò Eliam non fuisse: sicut quos iam suprà citaui doctores, ad longum explicant: & ipse quoque vult Augustinus, quòd quemadmodum Ioannes in spiritu Elias dicitur, ita cùm rursus Elias vẽturus est Antichristi tempore, eius quoque persona in spiritu dici possit.
Chrysost. ¶ Nec multũ dissimilem quæstionem etiam Chrysosto. dissoluit super eo, quod Ioannes à Christo propheta appella-

tus,ſemet tamen prophetam abnegat. Certè enim Chriſtus ait,Quid exiſtis in deſertũ videre?prophetã? etiã dico vobis, & plus quàm prophetã. Illi enim de propheta inquirebant, qui per Moyſem dudum eis promiſſus erat,Prophetã de fratribus tuis ſicut me,ſuſcitabit tibi dominus deus, ipſum audite huiuſmodi propheta Ioãnes nõ erat, ſed ſolus Chriſtus, ſicut illum diſcipuli prophetam vocabant, Quoniã propheta erat potens in opere & ſermone coram deo & omni populo. Quamuis ex ipſis etiam ſcripturis comperio geminos eſſe prophetas,alios ita dici, quoniam inſtinctu ſpiritus ſancti annunciauerunt in conſolationem eorum, qui expectârunt de Meſsia & ſacramentis in lege promiſsis, ſicut & locutus eſt dominus,Lex & prophetæ vſque ad Ioannem.Et ſic bene dixit Ioannes,dum ſe negat eſſe prophetam: in hunc etenim finem eoque animo Iudæi interrogauerant, an propheta eſſet.Adhuc tamẽ omnes illi prophetæ dicuntur, qui futura annũciãt inſpiratione diuina,quomodo Ioãnes quoque propheta extitit,ſicut de eo ſuus cecinit pater,Et tu puer propheta altiſsimi vocaberis.Et hîc quoque propheta dicitur Ioannes,imò plus quàm propheta qniſpiam veteris teſtamenti,teſtante id Chriſto, quoniam præſentem aliquem monſtrare digito plus eſt,quàm venturum prædicare.Quid quod de illo tota etiam chriſtianorum canit Eccleſia?

Matth. 11. Deut. 8. Luc. 24. Matt. 11. Luce 1.

Cæteri tantum cecinêre vatum,
Corde præſago,iubar adfuturum:
Tu quidem mundi ſcelus auferentem
Indice prodis.

Paul' diaconus in hymno.

Quomodo Ioãnes quoque euãgeliſta propheta dici poterit, qui prę cęteris apoſtolis futura multa in ſua deſcripſit Apocalypſi.Sic etiã prophetiſſę fuerũt filię Philippi,teſte Luca. Tales quoq; prophetę plurimi extiterũt i primitiua eccleſia: ꝙ quidẽ Paul' cõfirmat, qui etiã prophetare quoſdam iubet. (Quãuis cõmuni ſententia ibi intelligat interpretes) Ita propheta erat ille Agabus.Vt iã facilè fit & expeditũ colligere quomodo Ioãnes propheta fuerit, & quomodo non, ſed plus quàm propheta,cùm inſtar euangeliſtę demonſtrarit,ſitque in eo impletũ,quod vaticinatus eſt Eſaias,Primus ad Siõ dicet Ecce adſum,& Hieruſalẽ euãgeliſtas dabo. Hęc iã dicta ſufficiant.Deus nobis gratiam ſuam concedat, vt poſt hanc vitam tranſitoriã,illam ingredi mereamur ęternam, Amen.

Act. 21. 1. Cor. 12. Ephe. 3. 4 1. Cor. 4. Act. 21. Eſa. 41.

HOMILIA SECVNDA.

EVangelium illud ſanctum, quod hodie lectum eſt, declarat quomodo Iudæi ad Ioãnem miſerint, interrogantes quiſnam eſſet. Cúmque ille reſpondiſſet ſe nec Chriſtum, nec Eliam eſſe nec prophetam, inſtiterunt adhuc acriùs, Quis es, vt reſponſum demus iis qui nos miſerunt? Quoque benigniùs ſubinde reſpõdebat Ioãnes: eo grauiùs iſti ſemper vrgebant, cupiẽtes extorquere ex illo, vt aliquid de ſe prædicaret ſublimius, authore Chryſoſtomo, prętexẽtes etiã dignitatẽ eorũ à quibus miſsi erant. Quãdo enim ille nullũ eorum quæ interrogauerant ipſi de ſe confiteri volebant, neque ſe vel Chriſtũ vel Eliã, vel prophetã agnoſcere, enixè tamẽ iſti appetebant ſcire, quidnam ille de ſeipſo, & quem ſe eſſe diceret. Quãuis ſunt, qui ex verbis ſequẽtibus colligant, illos iam ferè Ioannem contempſiſſe, quaſi qui magnus adeò non ſit, vt illi crediderant. ¶ Ioannes reſpondet, Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam domini. Reſponſum ſanè magnum, ſed quod non ita intellexerunt qui miſsi erant, Eſſe vocem Chriſti, ſicut Ioannes. Maius vtique fuit, quam vel Eliam, vel prophetam eſſe. Ex prima enim Ioannis reſponſione patebat eum Meſsiam non eſſe, de quo Iacob dixerat, nec prophetam, de quo prædixit Moyſes: ſed vocem illam, de qua Eſaias: vnde meritò coniicere debebãt, magnũ ſanè eſſe eũ, de quo etiam propheta vaticinatus eſſet. neque enim ociatur ſpiritus ſanctus, vel iota vnum ſcribit fruſtrà. Verùm hoc legati iſti non expenderunt, quod ex ſequentibus ſatis patet. Conſidera tamen, quòd pertinaciter ex Ioanne quærentibus Iudæis quis eſſet, immemor Ioannes ſuæ humanitatis, oblitus parentum & totius familiæ, animo ſe ſuo vltra omnem exaltat mundum, conſcendens in ſublimia, vox efficitur verbi æterni: ídque per gratiam diuinã, qua ille ſanctior fieret ſupra natos mulierũ vniuerſos. Ego, inquiẽs, vox clamãtis in deſerto. Sed nos iam verba planius explicemus.

Chryſoſt. *Gene. 49.* *Deut. 4.* *Eſa. 40.*

2 Ioãnes ſe vocẽ prędicat eſſe, ſed quo id fiat modo, mirari ſanè licet, ita facilè intelligere nõ licet, quãuis S. Gregorius illud enarrãs, dicit, Scitis fratres chariſsimi, quia vnigenitus filius verbũ patris vocatur, & ex ipſa noſtra locutione cognoſcitis, quia prius verbũ ſonat, vt verbũ poſtmodũ audiri poſſit. Ioannes ergo vocem ſe aſſerit, quia verbum præcedit,

Grego.

Aduentum itaq; dominicum præcurrens, vox dicitur: quia *De verbo, ac voce notabile.* per eius ministeriũ patris verbum ab hominibus auditur. Et vt hæc homines etiam ex vulgo intelligant, cum hîc de verbo loquimur, non externum illud verbum oris intellige: illud enim vocem dicimus, sed verbum hîc accipe internum cordis: vt si iam in animo patrem meum cogitem, notitia hęc seu verbum cordis hoc loco verbum dicitur. Ita etiam tecum cogita, cùm filium dei verbum nuncupamus patris, eum ex paterni pectoris cogitatione, memoria nimirum illa fœcunda, & ventre intellectus ab æterno natum. Sicut ergo vox pectoris nuncius angelus mentis & intellectus tui dicitur esse interpres: ita etiam Ioannes nuncius fuit & angelus christi verbi ęterni: cum diceret. Ego vox clamantis. Illud verò quid de voce diximus, ex quatuor deprehendi & intelligi potest.

1 Quoniam tu in corde tuo quod locuturus es, prius cogites quàm loquaris, ego tamen antea verbi tui vocem audio, quàm sciã quid cogitaris. Ita sanè licet verbum diuinũ ante Ioannem fuerit ab æterno, vox tamen, hoc est. ipse Ioannes præcursu suo, sermone & baptismo. prius sensus & auditum affecit tergitque hominum, quàm verbum etiam æternum.

2 Per vocem denique declaratur verbum cordis, ita vt si quis sic se sentire dicit, tunc demum ego verbum illius accipio internum. Et eodem quoq; modo Ioannis verbum declarauit æternum, dum & testimonium illi exhibet, & digito demonstat, dicens, Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi. *Ioan. 1.*

3 Queadmodũ vox citò perit & cũ sonitu trãsit, verbũ interim, imo cõceptũ pectore crescit, vnde multis annis antea audita diutissimè seruantur: ita & Ioannes, Me, inquit, vocẽ nimirum, oportet minui, illũ autẽ, verbum scilicet, crescere. *Ioan. 3.*

4 Sicut nihil sine verbo vox prodest, ita nihil sine Christo Ioannes. Baptismus quoq; Ioannis, nisi accedente verbo, profuturus nihil fuerat, vt ex iis iam omnibus meritò Esaias Ioannem, ipseque semet Ioannes, vocem appellarit. *Act. 19.*

3 Neq; verò vocem tantum, sed & clamantis in deserto se Ioannes asserit esse: vbi obseruandũ est pulchrè, Ioannẽ non vocem clamantẽ, sed clamantis in deserto se dicere. Quis autẽ est ille qui in deserto mundi huius clamitat? christus, qui & in euangelio clamat, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, clamat etiam, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Sed & iuxta Theophylactum christus *Ioan. 7. Matt. 11. Theophy.*

vocans nuncupatur, eo quòd apertè sine vllo velamine typico euangelicam annunciauit veritatem. Omnes enim secundum Theophylactum, qui in lege erant, submissè & humiliter sonabant, vt pote qui nondum peruenerant ad tempus e-
1. Cor. 10. uangelicæ veritatis. quæ sanè erat vocis ruditas in Moyse: quia lex obscura erat & non manifesta, neque per orbē adhuc
Psalm. 75. resonabat vniuersum, sed tātùm per Iudæam. At Christus in deserto hoc per totum mundum clamauit, idque per apostolos & prædicatores suos, quorum in omnem terram sonus ex-
Psal. 18. iuit, & in fines orbis terræ verba eorum. Christus ergo qui in deserto mundi huius clamitat, non Ioannes, non Petrus, sed nec ille tuus prædicator qué audis, tantùm qui clamat, Christus est Christi autem vox prædicator, qui & verba à Christo
Lucæ. 8. relicta, & quæ spiritus sanctus largitur, tibi proponit, suáque
matth. 11. voce denunciat. Posset hîc latius induci, quomodo Christus
Ioann. 11. in hoc mundo clamauit orationibus, Hebr. 5. prædicatione cùm diceret, Qui habet aures audiendi, audiat: vocatione quoque hominum, vt ad se peccatis venirent relictis, sicut & Lazarum resuscitabat mortuum, vt exiret foras.

4 Quid hæc nobis vox annunciare debeat. porrò Ioannes
Gregor. insinuat, dicens, Parate viam domino. Id quomodo intelligas, pulchrè te docebit sanctus Gregorius, inquiens, Via domini ad cor dirigitur, cùm ad præceptum vita præparatur.
Ioann. 14. Vnde scriptum est, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus Quisquis ergo in superbiam mentem eleuat, quisquis auaritiæ æstibus anhelat, quisquis se luxuriæ inquinationibus polluit, cordis ostium contra veritatem claudit, & ne ad se dominus veniat, claustra animi seris vitiorum damnat. Quid multa? omnis ista eo vergit interpretatio, nos operibus bonis Christo viam dirigere debere. Quid enim est via domini, nisi mandata eius? Eam nos sanè illi viam præparamus, dum
Psal. 118. illa seruamus, dicente Dauide, Viam mandatorū tuorum cucurri, dum dilatasti cor meum. Quapropter & Glossa hoc loco sic habet, Via domini est præcepta eius per fidem, per opera, per quæ dominus ingreditur. Et hîc sanè argumentum latet contra Lutheranos nouos, Manichæos fortissimum, qui pertinaciter liberum negant arbitrium, non videntes quàm strictè iubeamur hoc loco vias domino parare & dirigere:
Prou. 16. quod Sapiens quoq; nos admonet, dicens, Hominis est ani-

mam præparare. Vbi ergo nunc Lutherus, qui negat hoc hominem posse? Verùm sanè est, hominem illud viribus tantum naturalibus, sine gratia diuina non posse: sed tamen cùm iam homo quod suum est facit, eum deus gratia sua non destituit. Misericors enim ille est. Quo modo intelligi debet illud prophеticum, Scio, domine, quia non est hominis via eius, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos. scilicet sine auxilio gratiæ diuinæ, quæ nos non deserit. Semper etenim apertas & obuias habet deus manus, gratiam nobis suam porrecturus, modò nos parati semper essemus illam percipere. Itaque & in Psalmo dicit, Hodie si vocē meā audieritis. Hodie. inquā vbi tu notabis, præsentē tibi semper esse deum: sicut ipse quoque per Ioannē clamat, Ego sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ, & sedere mecum in throno meo. Et quid obsecro poterat spiritus sanctus dicere apertiùs, nósque docere clariùs, quid nobis sit faciendum, nisi audire, aperire, vincere? Et hæc sanè nos decet implere, non aures animumq; nouellis istis dare Christianis, Luthero suísque sequacibus, qui liberum nobis arbitrium extorquere conātur. Sed de his aliâs. ☞ Quintò & vltimò. Cùm hodie sancta mater ecclesia quarum recolit domini aduētum in corda fidelium per gratiam suam, nos quoque meminisse huius decet. Quòd quanuis deitas ipsa, vt est infinita, in omni sit loco & vbique præsens per suam omnipotentiam, vnde & per prophetam dicit dominus, Cœlum & terram ego implebo. Et Dauid canit in Psalmis, Quo ibo à spiritu tuo? aut quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. Cuius vna hæc causa, quoniam infinitus est deus, qui cum fine careat, in omnibus est locis sine comprehensione, omni tempore absque permutatione, in omnibus creaturis citra commixtionem. Peculiariter tamen impiis hominibus hîc quidem per gratiam, illic verò per suam gloriam est & fœlicitatem: sicut dixit Esaias propheta, Cælum sedes mea est, terra autem scabellum pedum meorum. In iustis enim, qui quidem quid aliud sunt quàm ipsum cælum: & habitat deus, & eosdem gubernat, qui voluntati suæ deuoti sunt & obedientes: Iniustos verò, terrā nimirum istā conculcat, & veluti scabellum rigore iudicij sui conterit. Et hoc ipsum est

Hier. 10. Psal. 90. Apoca. 3. Hiero. 23. Psal. 138. Esai. 66.

quod Sapiens dixit, Thronum sapientiæ animam esse iusti. Quem etiam aduentum dei alacritate & gaudio plenum, quo ille ad peccatoré quoque venire non dedignatur, vt eum iusti ficet, hodie cõmemorat recolítque ecclesia: vbi omnes bonos piósque acurrere addecet, vt beneplacentes deo & grati inueniantur. Certè enim ille alius aduentus nõ est, quam quem

Matth.6. ipsi quotidie in oratione dominica oramus petentes. Aueniat regnũ tuum: hoc est, gratia tua diuina, per quam tu in nobis dominaris & imperas, & non iste impius hostis per suas suggestiones. Quod regnum illud est, de quo Christus apud

Lucæ.17. Lucam, Regnum, inquit, dei in vobis est. Nãq; in huiusmodi anima sancta deus velut in sublimi residens palatio regnat,

3. Reg. 2. cum homo, quæ deus præcepit, facit: quæ vetuit, cauet. Quomodo de rege Salomone legitur, Quoniam Salomõ sedit super thronum Dauid patris sui, & firmatum est regnũ eius nimis

Thronus Salomonis Salomon autem idé est quod pacificus. Pacificus ergo ille sedit super thronum suum in corde hominis boni. Cùm ergo de⁹ in animã hominis non venit, nihil in ea aliud regnat, quàm peccatum, diabolus, caro & mundus, ibíque nulla requies, nullum solatium. De hoc aduentu apud Ioanné Christus ita dixit, Si quis diligit me, mandata mea seruabit. Et pa-

Ioann.14. ter meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansioné apud eum faciemus. Vide hîc & obserua, deum quoque patrem venire ad hominem, deum filium, & deum spiritum sanctum. Tunc autem venit, cùm mandata eius seruantur, cùm verè diligitur: & vbi charitas, ibi spiritus sanctus, imo deus ipse

Rom.5. est. Quamobrem & Paulus dixit, Charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. O quã felix, ô quam sancta & beata est anima, quæ ita Chri-

1.Cor.3. stum suscipit, quæ domus dei, quæ templum dei, quæ habitaculum dei efficitur! Videte iam charissimi, vt omnes hospites huiusmodi efficiamini, ad hæc sancta natalitia christi festa. Et ad hoc diuersorium non est quod multo cellaria vestra vino impleatis, complures roboãtes excipiatis rusticos. Tantùm cor habéte pœnitentes & contritũ: illud enim deus non

Psal.50. despiciet, cùm ipse dicat quoque, Fili, præbe cor tuum mihi.

Prou.23. Facili contentus est victu Christus, neque vult apparatum magnificum: humilia te tantummodo, & statim veniet apud te diuersurus. Vide obsecro quàm facilè adducere queas ad te maximũ illum & potensissimum dominum, cum quo omnis

tibi felicitas, omne bonum, & omnis aduenit gratia dei.
Meditare itaque gatiam illam immensam, quæcunque es anima pia, eiúsque temet fac participem. An nō mitissim⁹ ille Christus est, vt qui non dedignatur se in animas sanctas demittere planèq; transferre? Hoc est, vt & prima dominica diximus, quod maiores nostri, homines nimirum & Christiani & piè religiosi, aduentum tam sanctè obseruârunt, vt digni haberentur imminenti iam festiuitate puerum Iesum spiritualiter in cordibus suis suscipere & parere. Rectè etiam adhuc canit ecclesia illud Psalmistæ, prope est dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus qui inuocant eum in veritate. Et deinde, Veni domine, & noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ Israël, In collecta quoque, Excita, domine potentiam tuam, & veni, & magna nobis virtute succurre, vt per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propiciationis acceleret, Et in inuitatorio, Vigilemus animo, in proximo enim est dn̄s deus noster. Quo modo omnia cætera cantica ad aduentū pertinent dn̄i in animā hominis. O quàm felix anima est quæ tantum hospitem suscipit! Sed quid interdicendum admirari incipiemus? Refrixit heu iam charitas multorum. Plerique putant aduentum se bene transegisse dum nouis se exornant vestibus, dum splendidè epulantur & bibūt: psaltant & cantillant, puerûmque Christū cantilenis suis ita demulcent, vt angeli omnes doleant, solus applaudat diabolus. Væ væ illi, qui dominum Iesum spiritualiter non suscipit. Profectò enim (quāuis cum dolore etiam vix dicimus) verum est tamen, quod Bernardus ait, Maius de Christo venturo adhuc conceperunt desiderium patres illi antiqui, quàm nos iam habeamus de eo cùm dudū venerit. Vos ergo in Christo dilectissimi, vocem sectemini in deserto clamantis, parantes viam domino, rectas facientes semitas dei nostri: vt & ipsi remissionem impetretis peccatorum, gratiam quoque ipsius, & post hanc vitam, illam assequamini sempiternam. Amen.

Sapien. 7. *Psal. 144.* *Matt. 24* *Berna.*

HOMILIA III.

EVANGELISTA Ioannes euangelio hodierno testatur Iudæos ad Ioannem legationem misisse honestissimam, interogasse quædam illúmque vicissim respondisse, se nec Christum, nec Eliam, esse, neç prophetam. Post hæc infert Ioannes, Et qui missi-

Origen. fuerant, erant ex Pharisæis. Vbi quàuis Origenes putat aliam hanc fuisse legationem à superiore: siquidem priores quæ supra audita sunt interrogarint tantum, eáque cùm audissent legati pharisæorum, quæ iam sequuntur inquisierint: tamen *August.* Plerique omnes ita sentiunt doctores, vt iidē omnes illi fuerint legati: ac proinde Augustinus ait, Ex pharisæis, id est principibus sacerdotū, qui quicquid non cœpissent, ipsi contemnebant. Ideóque in baptismo etiam assendebantur, non *4. Reg. 2.* ignari tamen, illum iam olim in Elia & Elisæo præsignatū, cùm Elias tolleret pallium suum, eóque inuoluto percuteret aquas, quæ diuisæ sunt in vtranque partem. Norāt illi etiam *Ezec. 36.* ex Ezechiele aliisque prophetis, fore vt baptismus aliquando innotesceret. tantum in hoc velut ringebantur, vnde illā suā haberet baptizandi potestatē Ioannes. sciebant enim ex scripturis venturum baptismum: de sola ergo dubitabant potestate, vnde veniret. Sequitur, Quid ergo baptizas, si tu non es *Ioan. 1.* Christus, neque Elias, neque propheta? Hæc autem immensa est fidei nostræ & sacramenti potissimum baptismi confirmatio: quoniam isti futurum aliquando baptismum ex scripturis cognouerant. poterant etiam colligere, neminem sibi sumpturum munus illud baptizandi tantùm, nisi qui eius rei potestatem haberet diuinitùs: quo magis mirabantur, vnde illud esset quod baptizaret Ioannes, nec tamē propheta, nec Elias, nec Christus esset: ac propterea à baptismo eum deterrere volebant, quoniam ex officio ad eum non spectaret. Verū immobilis in sua cōstantissimè perstitit humilitate Ioannes. Expēdunt etiam hîc doctores sancti, quomodo Ioannes in illa sua grauissima tentatione per humilitatem tria maxima vicerit peccata. Siquidem peccatum superbiæ in tribus præcipuè consistit, vt si quis nimium sibi arrogat potesta- *Esa. 13.* tis, sapientiæ etiam aut sanctimoniæ vitæ. Et Lucifer quidem in cœlo peccauit, summam sibi volens vsurpare potestatem *Genes. 3.* contra deum: idque dum molitur, decidit è cœlo. Eua quan- *2. Thes. 2.* do sapientiam sibi cupiebat vēdicare diuinam, expulsa est ex paradiso. Antichristus quoque dum sanctimoniam virtutum sibi attribuet, interficietur in aëre à Christo, spiritu oris sui. Ioannes autem ille noster in singulis illis tribus grauiter tētatus, triumphauit fortissimè per humilitatē suā. Nā in magnitudine potestatis tētatus est, dū illi habere eum pro Christo volebant: in sanctitate vitæ, cùm Eliā credituri essent: in

illuminationis & sapientiæ magnitudine,dũ eũ de prophetię spiritu quærebant,Verum hæc omnia fortis & inuicta illa vicit triumphatrix humilitas. ¶ Secũdò,Nũc vicissim responsionem audi Ioannis,Ego,inquit,baptizo in aqua. Baptismus suus in aqua tantũ erat,non etiam in spiritu sancto: ideóque baptismus Ioannis sacramentum non erat,neque ex se gratiã conferebat spiritus sancti:sed nec sufficiens erat ad vitam æternam: siquidem peccatũ non delebat. Atque ideo qui baptismo Ioannis baptizati iam erant, demũ baptizati sunt baptismo Christi: sicut Hieronymus super Ioelem testatur, & in epistola de vnius vxoris viro. Ambro.quoque in libro de spiritu sancto Nec desunt nobis sacræ scripturæ super hac re testimonia.Nã ipse hîc Ioãnes, & paulò apertius apud Matthæum, suum istum, qui in aqua erat baptismum, discernit à baptismo Christi,in spiritu sancto. Patet idẽ ex Actis apostolorum,vbi dicit Lucas,Paulus dixit ad discipulos, qui erãt Ephesi. Si spiritum sanctũ accepisti credentes? At illi dixerunt ad eum,Sed neque si spiritus sanctus est,audiuimus. Ille verò ait,In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt, In Ioannis baptismate. Dixit autem Paulus, Ioannes baptizauit baptismo pœnitétiæ populum,dicens, in eũ qui venturus esset post ipsum, vt crederent,hoc est,in Iesum. His auditis,baptizati sunt in nomine domini Iesu. Ecce hinc apertissimè liquet,baptismũ Ioannis, qui in aqua tantũ erat, nec sufficientem, nec aliquid fuisse sacramentũ:illósque qui eo baptizati erant,baptismum demũ suscipere debuisse Christi in aqua & spiritu sancto. Et Ioannes quoque in baptismo suo aquæ tantum mentionem facit apud Marcum,Ioannem & Lucam.

Baptismus Ioannis. Hieron. Ambro. Ioan. 1. Matt. 3. Act. 19. Marc. 1. Ioan. 1.

¶ Hinc sequitur, baptismum, quo vel hodie baptizatur infans, meliorem esse, quàm si ab ipso Ioanne baptizaretur in Iordane. Ratio, baptismus Ioannis sacramentum nullum erat, sed nunc baptismus quo paruulus baptizatur. Vbi intueri decet non personã ministri qui baptismum subministrat,sed ipsum(de quo & Ioannes dixit. Hic est qui baptizat)Christum Iesum, Itaque hîc etiã non Ioannis magnitudinem intueberis,quæ sanè dignior nostratibus esse sacerdotibus,sed illum supremũ qui baptizat nunc & semper per ministros suos sacerdotes,Christum Iesum.Et errat igitur,& omni cõtradicit scripturæ Zuinglius,baptismũ Ioannis æquare volens baptismo Christi.Deinde sequitur,etiã hæreticum

Act. 3. Matth. 3.

aut ſchiſmaticum baptizare, & dummodo ille forma vtatur atque intentione eccleſiæ catholicæ,puerum ab eo baptizatũ, ſacramentum baptiſmi verè ſuſcipere. Ratio, Non eſt quod miniſtrum aſpicias & conſideres,ſiue ille probus ſit,ſiue impius,vel etiam Chriſtianus aut hæreticus aut Iudæus. Chriſtus eſt qui baptizat,columba baptizat.ſatis eſt miniſtrum affectum habere & intentionem illud agendi, quod ipſa agere intendit ſancta eccleſia,materia quoque & forma vti debitis. Contrarium quoque dicere, error eſt & hæreſis Donatiſtarum,qui baptiſmum hæreticorum reiiciebant, contra quos
Auguſt. cùm hinc inde in libris ſuis validè ſcripſit Auguſtinus, tum verò fortiſsimè in libro de baptiſmos contra Donatiſtas, qui & per Cócilium cōdemnati ſunt Aphricanum in Carthagine. Quanuis hoc verum eſt, quod cui catholici ſacerdotis copia non negatur,hæretici in baptizando officio vti nó debet.

¶ Quæris aũt,In eadem adhuc dubitationis naui ſto, in qua Iudæi erant.Si baptiſmus Ioannis nec ſacramentum fuit,nec peccata remiſit,ad quid profuit,aut cur tandem ille baptizauit? Reſpondeo,baptiſmũ Ioannis tunc temporis bonum & vtilem fuiſſe,licet ſacramentum nó erat,potiſsimum ad tria. Primum,Ad ſignificandum baptiſmum Chriſti,quē etſi multæ præſignauerant veteris teſtamenti figuræ, baptiſmus tamen Ioannis & clariùs præfigurabat & expreſsiùs, adeò vt
Act.19. hunc,ab illo etiam paulò adhuc deinceps erat diſcernere neceſſariũ.Secundò,Non præparabat tantũ,ſed paulatim etiam aſſuefaciebat homines ad Chriſti baptiſmũ:ſicut enim in ſermone,ita & in baptiſmo præcurſor erat Chriſti,id quid ipſa
Matth.3. ſecum important etiam verba Ioannis, Ego baptizo in aqua ad pœnitentiam,veniet alius fortior poſt me, hic baptizabit vos in Spiritu ſancto & igni. Tertiò, Vtilis quoque fuit ba-
Ioann.1. ptiſmus Ioannis ad declarandum Chriſtum, ſicut ipſe ait, Vt manifeſtaretur in Iſraël,propterea veni ego in aqua baptizãs: & vt latiùs ibi indicat, apparitione Spiritus ſancti in ſpecie columbæ,vocéque paterna declaratũ eſſe Ieſum fuiſſe filium dei. Et vſqueadeo vtilis erat baptiſmus Ioannis, vt qui eo babaptizati erant, faciliùs adducerentur ad baptiſmum & fidé Chriſti. Quapropter hîc Ioannes vocem ſe nominat clamantis in deſerto, dirigite viam domini.

Ioannes Baptiſta. ¶ Et hinc iam apparet ratio, cur Ioannes ille Baptiſta dicatur, & non vel Petrus, vel Paulus, cùm tamen apoſtolorum

baptismus perfectior fuerit. solus enim ille Christum baptizauit,quo etiã baptismo Christus tactu suæ mundissimæ carnis dedit vim regeneratiuam aquis.& quia sic Ioannes caput ecclesiæ Christi baptizauit, meritò ab vniuersa ecclesia Baptistæ nomine salutatur. Potest tamen hæc quoque secundũ Augustinum causa assignari, Quia quanuis baptismus Ioannis sacramentum non erat,baptismus tamen Ioannis erat,& nihil aliud nisi Ioannis baptismus:apostolorum autẽ baptismus non suus,sed Christi erat,qui denique verus est sacerdos, præterquam quod baptizat, etiam gratiam infundens. Apostoli itaque alio baptismo vtentes,baptistæ dicti non sunt, sicut Ioãnes à suo baptismo. illud enim Christi erat, hoc Ioannis. Et quod dabatur à Paulo,& quid dabatur à Petro Christi erat: & quod datum est à Iuda, baptismum Christi erat. *Augusti.* *Augusti. tracta.5. super. 10.*

3 Vt ad euangelium redeamus, pergit Ioannes dicere ad Iudæos, Medius autem vestrum stetit quẽ vos nescitis. Quomodo autem medius steterit Chrysostomus exponit, quoniam decẽs erat, vt Christus in populo tanquam vnus ex multitudine versaretur,qui vbique mansuetudinem & humilitatem doceret. Et quoniam humilis erat Christus, vt magis videretur, ideo lucerna accendebatur, sicut de eo Christus ipse loquitur,Ille erat lucerna ardens & lucens. Sed & in reliquo populo Christus ad baptismum venit,vt vel sic medius steterit inter Iudæos.Quasi diceret, aduẽtũ expectatis Messiæ, ecce iam adest, & quidem in medio vestrum. Quanuis enim verbum patris naturam assumpsit humanam, filius tamen dei semper permansit: nec vnquam in essentia sua mutatus est diuina, licet etiam tunc Christus steterit, & nunc quoque stet medius inter deum & peccatoré: atque vt Paulus inquit, Mediator vnus dei & hominum homo Christus Iesus. Verum intellectus hic spiritualis esset & mysticus. Secundũ literam ergo dicimus Ioannem hic humilitatẽ declarasse Christi,quæ tanta erat,vt illum Iudæi non agnoscerent. vnde Ioannes dixit,Quem vos nescitis, ó deum vt altissimum, ita tamen occultum, vt de eo Ioannes ipse diceret, Et ego ne sciebam eum. Verba hæc Ioannis si secuti fuissent Iudæi,ipsi quoque ad agnitionem Christi venissent sicut Ioannes. *Chrysosto.* *Augusti. Ioann.5.* *1.Tim.2.* *Ioan.1.*

4 Porrò iam de Christo loqui pergit Ioannes, dicens, Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam calcea-

menti. Mitto hîc impiam Arrianorum inductionem, tantùm catholicum illũ sectabor intellectum, sicut Cyrillus, Chrysostomus, & Augustinus faciunt. Ioannes cùm ait, Qui post me venturus est, non de natiuitate loquitur, si quidem iam natus erat Christus, sed de illius aduentu ad prædicationem: quoniam apertè prædicare tunc demum incepit Christus, cum iam Ioãnes in carcerem esset detrusus. vt quidem Mar-
Mar. 1. cus scribit. Postquam traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam, prædicans euangelium regni dei. Idem quoque Mat-
Mat. 4. thæus habet, vt si iã ille planè sensus verborum Ioannis, Qui post me venturus est, scilicet ad prædicandum, ante me factus est, hoc est, maior digniorque me habitus est, adeò quod
Ioan. 3. odio quasi mouebantur discipuli Ioannis, quoniam & plures homines baptizaret Christus, & maior ad ipsum confflueret copia. Et sic ante Ioannem factus erat Christus, in excellentibus nimirum gratiarum & virtutum donis & populi authoritate. Quod autem subiungit Ioannes, se indignum esse, qui corrigiam soluat calceamentorum Christi, profunda illa Ioannis humilitas est, indigniorem se reputantis, quam qui minimum Christo exhibeat ministerium. Quo loquendi modo etiam vulgus vtitur, dicens, Indignus es qui calceum tangas homini. Quãuis verbum illud in se quoque verissimum est, Omnis enim homo quantumuis probus, bonus, sanctúsque existat, deo tamen collatus, quid aliud quam puluis est & cinis? Quod verò illud quidam ad coniugij conantur referre diuortiũ, sicut in Deuteronomio commemoratur, hîc omit-
Gregor. to. Sanctus tamen Gregorius & alii spiritualẽ hîc vestigantes intellectum, dicunt, Quoniã pes Christi sua est diuinitas, per calceamẽtum autem assumpta humanitas designatur: corrigia calceamenti, est ligatura mysterij vnio illa hypostatica. Ioannes igitur soluere corrigiam calceamenti eius non valet: quia incarnationis eius mysteriũ nec ipse inuestigare sufficit. Quid est ergo dicere, nõ sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius, nisi apertè & humiliter suam ignorantiam
Psal. 109. profiteri? Quis enim, inquit Augustinus, comprehẽdere poterit intelligentia sua supernaturale, & antehac inauditum miraculum dei, ubi deus homo factus est & homo deus? Et sic illum Psalmi locum nonnulli intelligunt, In Idumæam ex-
Psal. 59. tendam calceamentum meum. Hoc est, in gentilitatem prædicabo etiam calceamentum meum, humanitatem nimirum

meam

mem extendam & annunciabo. ¶ Ad extremum iam locum ostendit euangelista, vbi testimonium huiusmodi Christo dederit Ioannes, dicens in Bethania id esse factum. Bethaniam non illam intelliges Lazari, vbi manducauit dominus in ędibus Simonis leprosi, vt Matthæus & Marcus testantur. Sed ex sententia Bedæ, alia adhuc fuit Bethania prope Iordanem, vbi baptizabat Ioannes, cui aliud nomen tribuere quidam volunt nouatores. Sed hæc ad scholas pertinent, quia Vaticanum constanter legit Bethania. Euangelista Ioannes in ipso euangelij sui principio refert, Ioannem Baptistam missum esse in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum: Quod nónne fideliter hîc impleuit ille, sanè eius rei testimonium vicissim ei præbuit Christus: vnde nec immeritò tanta hîc diligentia locus ipse indicatus est. Verus enim testis, circunstātias etiam loci ita cognitas habere debet, vt cùm opus est ostendere posśit. In Bethania illud esse factum, vbi & Ioannes baptizauit, inquit euangelista, & Christus adeò ipse est baptizatus. Atque ideo plurimi dum sanctum Christi sepulchrum Hierosolymis, emenso mari, inuisunt, tandem etiam ad Iordanis terminos proficiscuntur, & in eodē se abluunt, in remiśsionem peccatorum suorum. Nos quoque deus lauet per gratiam Spiritus sanctiā delictis nostris omnibus, & vitam concedat sempiternam, Amen.

Mat. 26.
Beda.
Ioan. 1.
Ioan. 5.

DOMINICA POST CHRISTI NATALEM, EVANGELIVM, LVCAE 2.

IN illo tempore, Erant pater Iesu & mater eius mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem eius, Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser, hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua erat vsque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus, seruiens deo nocte ac die. Et hæc ipsa hora superueniens, confitebatur domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israël. Et vt perfecerunt omnia secundum legem domini, reuersi sunt in Galilæam

Zach. 14

in ciuitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat & confortabatur spiritu, plenus sapientia: & gratia dei erat in illo.

HOMILIA PRIMA.

Lucæ 2. EVangelij huius historia non die contigit hodierno, sed eo quo purificata est Maria, Christo iam nato, circuncíso, à tribus Magis adorato, in templum præsentato, & in summa, existente dierum quadraginta. Hodie tamen illo vtitur ecclesia, quoniam Maria & Ioseph admirantibus super omnibus illis, quæ de Christo puero dicebantur, multò magis nos quoque cum stupore quodam velut attonitos demirari conuenit, tempore præcipuè hoc sanctißimo, super iis quæ de puero Iesu nobis sunt dicta: quomodo ille verus deus & homo ex matre natus sit virgine, quomodo natiuitatem hanc pastoribus annunciarit angelus, quanta lætitia decantarint angeli, Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ volũtatis. Et dum quis talia attentus cogitat, miraculum illud dei meditans immensum, deum hominem factum, natúmque vt alium infantulum, &c. quomodo consilia illa diuinæ maiestatis occultißima non admirabitur? Christum enim verum deum & hominem esse natum, tam est admirabile, vt illud Iudæi, Turcæ, Saraceni, Ethnicique omnes assequi nondum poßint. De quo aliâs.

1 Admirationem parentum Christi, Lucas primùm commemorat, dicens, Erant pater eius & mater eius mirantes super iis quæ dicebantur de illo. Patrem Christi, Iosephum intellige, sed non eo quo Photinus hęreticus putabat modo, Iosephum fuisse parentem verum Christi, quod & falsum est & impium. Sed neque euangelista ille noster immemor hîc erat eius, quod capite primo scripserat: sciebat adhuc quid illi per Gabrielem & denunciasset & promisisset deus. Nihilo mutatum perstitit ibi sanctæ virginis propositum, cùm diceret, Quoniam virum non cognosco Quomodo autem hic pater Christi dicatur, Beda respondet, Patrem saluatoris appellat Ioseph, non quo verè pater eius fuerit, iuxta Photinianos, sed quo ad famam Mariæ cõseruandam, pater sit ab omnibus æstimatus, & opinionem vulgi exprimens: quæ vera historiæ lex est, patrem Ioseph nuncupat Christi, quanuis & eo modo pater illius valeat dici, quo & vir Mariæ rectè intelligitur,

Beda super Luc.

¶ Deinde pater Christi dici etiam potest, tanquã nutritius, quia eum enutriuit: quomodo filium aliquis suum nominat, quem tamen non genuit, sed adoptauit tantũ. Et hoc quoque apertè testatur euangelista sequenti capite, cùm ait, Iesus erat incipiens annorum quasi triginta, vt putabatur filius Ioseph: vbi omnis iste Photinianorum hæreticorum error deuictus & confusus corruit. Euangelicus porrò contextus sic habet. Erant pater eius & mater eius mirantes. Super quibus tandem? iis nimirum, que dicebantur de illo. At quis tanta hæc dixerat? Angelus nempe ad Mariam, ad Ioseph, ipsa quoque ad Mariam Elizabeth, & ad pastores angeli, tres magi, Simeon & Anna. Omnes illi admiranda prædicauerunt de Christo. Atqui Bernardus hanc virginis matris admirationem pulcherrimè inducit: ego vltrò breuitatis studio pertranseo. Nanque ex euangelio magnas habemus huius admirationis causas, quòd angeli annunciârunt, quòd exultauit Ioãnes adhuc infans in vtero matris; quòd Zacharias mutus antehac, loqui cœpit & benedicere dominum, quòd eundem laudabant pastores, quòd angeli cantabant, quòd lucebat stella, quòd currebant magi, quòd Simeon ille senex prophetabat, & Anna, vt meritò illud Esaiæ dicere potuissent: Quis vnquam audiuit tale, & quis vidit huic simile? *Institu. de inpe ff. de adop.* *Luc. 3.* *Lucæ 1.* *Matt. 1.* *Bernard.*

2 Sequitur in textu, Et benedixit illis Simeon. Quæ qualisque fuerit benedicendi formula, scriptura non exprimit. Sunt qui putent eum laudes tantum & gratias deo egisse omnipotenti. Tunc enim deum benedicit creatura, dum & grata est illi, & eum laudat. Alij tamen volunt Simeonem ita benedixisse eis, sicut Heli Annæ benedixit, cùm filium suum Samuelem adduceret in templũ. & quidẽ sanè diligenter super hac benedictione inquisiui, Et nemo miretur principio Simeonem Mariæ benedixisse & Ioseph, quãuis vitæ sanctimonia dignioribus se apud deum: ille tamen maior eis fuit in officio sacerdotali, cui hoc quoque propriũ incũbit, benedicere populo. Et quod ad benedictionẽ attinet, crediderim ego illam fuisse, de qua in Numeris sic habetur, Locutus est dominus ad Moysen, dicens, Loquere Aaron & filiis eius. Sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis, Benedicat tibi dominus & custodiat te, ostendat dominus faciem suam tibi, & misereatur tui, conuertat dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Inuocabúntque nomen meum super filios Israël, *Num. 6.*

& ego benedicam eis. Magnum vero est quod nō abiecti nominis quidam ex Rabinis Iudæorum, Moyses Maimonis in libr. More dicit, sacerdotes benedictione hac vlos vsque ad Simeonem iustum, nec post eum amplius: quæ sanè fidei nostræ longè efficacissima probatio est. Cùm enim sacerdotiū

Hebr. 7. Aaronis in sacerdotio Christi cessauit, Paulo testante, illius quoque cessauit sacerdotij benedictio: omniáque nunc nouo modo in nomine Iesu cōsecrantur, sicut quondā in illo ineffabili nomine tetragrammatum. ¶ Audiant hæc qui sapiētes sibimetipsis videntur, stultissimi tamen sunt, Neochristiani, qui & contēnunt & inutilem putant illam mulierū post partum benedictionē. An digniores maioréſque sunt homines isti Maria, quæ benedici sibi voluit à sacerdote Simeone, quam à puerperio tantum iter non exterruit, quo veniret in templum, ibique & offerret, & benedictionem susciperet?

Prophetia Simeonis. 3 Simeon post illam diuinam laudem, impleta iam benedictione, ad prophetiam conuertitur. Et quanuis Iosepho non minus quàm Mariæ benedixerat, in prophetia tamen sese ad Mariam tantùm conuertit: quique in benedictione Iosephum similitudine patris fraudare non voluit, nunc tamen, quia Maria vera illa erat Christi genitrix, ei tantùm

Luc. 2. loquitur, & de Christo puero tria prophetando prænunciat. Primùm, Hic positus est in ruinam multorū. Secundum,

Ambro. & in resurrectionem. Tertiùm, in signum quoque cui contradicetur. Quā propheticam multùm expendit Ambrosius. Diues enim & exuberās hîc gratia declaratur, quæ per Christum in fideles est transfusa, sensum quoque illum planè elicit, quem nos articulo iam secundo attulimus. Hactenus ego vobis benedixi, iam porrò ille benedicet, qui in resurrectionem positus est multorum. Possent autem verba hæc sim-

Origin. pliciter admodum intelligi, etiam secundum Origenem, in ruinam eum venisse infideliū Iudæorum, & in resurrectionem credentium (non enim legendū est gentium, vt maculati libri habent.) sed nos ea pauló adhuc penitùs introspiciamus. Simeon dicebat, domine, viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Ecce salutaris illius p. çparatio per Christum facta est coram omni

1.Timo. 2. populo. sicut & Paulus dixit, Deus vult omnes homines saluos fieri. Salutare illud licet & omnibus à deo proponitur & paratur, nō tamen ab omnibus acquiritur, cum resurgētibus

aliis,alij per infidelitatem in æternam corruāt damnationē: quo modo Christus etiā in parabola illa euangelica,eos qui ad nuptias vocati erant indignos fuisse prædicat. collapsi enim iam errant iuxta illam Simeonis prophetiam Nec est quod intelligamus,cùm ait Simeon,Christum in ruinam positum multorum, ruinam illam Christum facere:cùm deus vt nullius mali author est, ita peccare nequeat, sed ipsi sibi ruinam hanc parant homines,dum Christum redēptorem & saluatorem sibi datum, non tantùm per infidelitatem suam non recipiunt, sed illi etiam mandatisq; ipsius resistūt, idque per vitam suam peccatis perditam. Sanctus Augustinus similitudinē adducit huiusmodi, Sol cum plurimum radiat, virtutem suam in bonis & malis oculis declarat: mali enim ex illis fulgētissimis radiis perturbātur,boni nō item: idque totum ex oculis tantùm pēdet. Ita hîc,cum aliqui corruunt,nouo illo iustitiæ sole Christo exorto, suopte fit vitio & culpa,vt qui splendidum illum sanctæ & piæ cōuersationis fulgorem sustinere non potuerunt. ¶ Simpliciter quoq; ad Iudæos hæc referre aliquis posset, quorū sanè plurimi nec doctrina,nec miraculis Chrsti moueri voluerunt, qui sua tantùm malitia sæpe in illo sunt offensi: sicut ipse etiā Christus dixit,Beatus qui non fuerit scandalizatus in me An non offensi sunt,cum dicerent,miracula illum etiam tanta in Beelzebub facere? Sed & discipuli eius non sine offensa dixerunt Durus est hic sermo, & quis potest audire eum? cùm illis de sacramento loqueretur. Dicebant quoq; discipuli aliquando ad Christum, Scis quia pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt? At ille respondens,ait,Sinite illos,cæci sunt, & duces cæcorū. Et quot tandē in passione & morte Christi sunt scandalizati,qui cogitarunt filium dei morte tam contempta & ignominiosa crucis mori nō debere, vbi Christus ipse apostolos suos omnes scandalum in se passuros in illa nocte prædixit? Quæ omnia Paulus vno velut fasciculo cōplexus, Nos, inquit,prædicamus Christum crucifixum,Iudæis quidē scandalum,Gentibus autem stultitiam:ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis,Christum dei virtutem,& dei sapientiam. Ecce quomodo in ruinam & resurrectionem multorum positus est Christus, secundum quod prædixit Simeon. Beda etiam hoc, verbis Christi & Petri exponit dicens, Bene in resurrectionem,quia lumen est,quia gloria plebis Israël, quia dicit,

[Margin notes: Matth.22 (beside "positum multorum"); August. (beside "non recipiunt"); Mat.11. (beside "tùm malitia"); Mat.12. (beside "fensi sunt"); Ioan.6. (beside "zebub facere"); Mat.15. (beside "Durus est"); Luc.22. (beside "stolos suos"); 1.Cor.1. (beside "dixit? Quæ"); Beda. (beside "est Christus")]

Lucæ 2. Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiam ſi mor-
Ioan. 11. tuus fuerit viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non mo-
rietur in æternũ. Quomodo auté in ruinam, niſi quia & la-
pis offenſionis eſt & petra ſcandali? id eſt, ruinæ iis qui offen-
Ioan. 15. dunt verbo, nec credũt: de quibus ipſe dicit, Si non veniſſem
& locutus eis non fuiſſem, peccatum nõ haberent: nunc auté
excuſationem non habent de peccato ſuo. Et ideo inter cęte-
1. Pet. 2. ra de Chriſto inquit Petrus, Vobis credentibus honor eſt, nõ
credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes,
hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis, & petra
ſcandali, iis qui offendunt verbo, nec credunt, in quo poſiti
ſunt. Præuidit hoc ipſum etiam propheta Eſaias in ſpiritu,
Eſa. 8. Dominus, inquiens, erit vobis in ſanctificationem, in lapidẽ
autem offenſionis & petrã ſcandali, duabus domibus Iſraël,
& in laqueum & ruinam habitantibus Hieruſalem. Et offen-
dent ex eis plurimi, & cadent & cõterentur, & irretientur, &
capientur. Hoc nimirum illud in Chriſto Ieſu factum eſt, in
quo Pilatus, Herodes, Annas, Caiphas, cæteríque offenſi ſunt
Eſa. 3. Iudæi. Ita prædixerat Eſaias, Ruit Hieruſalẽ, & Iudas conci-
dit, quia lingua eorũ & adinuentiones eorũ contra dominum.
Oh quoties contra Chriſtũ fuit lingua eorũ, cùm iam aduer-
ſus eum murmurarent, iam falſa excogitarent conſilia, & ad
vltimum teſtimonia quoque inuenirent incouuenientia &
vaniſsima, ſicut totus vndique euangelij textus declarat!

Origen. ¶ Id omne & hanc quoque Simeonis prophetiam, ſuo iam
Ioan. 9. Chriſtus ipſe teſtimonio confirmat, ſecundum Origenem,
cùm ait, In iudicium ego in mundum iſtum veni, vt qui non
vident, videant: & qui vident, cæci fiant. Quomodo ergo in
mundum venit, & non videntes de nationibus, viderent: &
qui prius videbant de Iſraël, cæci fierent: ſic venit in ruinam
& reſurrectionem multorũ. In aduentu enim domini gẽtes
per fidem veram reſurrexerunt, & Iudæi interim fidem quã
eò vſque rectam habuerant, amiſerunt, collapſi hîc per indu-
ratam obſtinationẽ in errorũ barathrum, & illic in æternam
2. Cor. 2. damnationem. Neque verò hoc in Chriſti tantùm perſona
eſt, ſed & in ſuis membris, prædicatoribus nempe, in quibus
ille poſitus eſt in ruinam & reſurrectionẽ multorum. Quod
& Paulus teſtatur, cùm ait, Quoniam Chriſti bonus odor
ſumus deo in iis qui ſalui fiunt, & in iis qui pereunt: aliis qui-
dem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.

Quiſquis enim,vt ait Beda,prædicāte apoſtolo, verbū quod Feria.
audit amādo ſequitur,bono odore ſurgit: qui autem odiēdo
inſequitur,eodem ipſo odore corruit & moritur. Sed & ingens fuit Iudæorum ruina, etiam ſi corporaliter expendas: ſancta enim ciuitas Hieruſalem deſtructa eſt, ipſique ex terra promiſsionis extruſi, & in vniuerſum hunc orbem miſerè depulſi,pleni timore & moleſtia, ſine tegimine & magiſtratu, ſed poteſtati Chriſtianorum & Turcarum ſubiecti, in perpetuo degunt exilio. Quibus omnibus grauior adhuc eſt illa quam animo cōtraxêre iactura, quæ vrget detruditq; eos in damnationem æternā. ¶ Hinc iam inferemus & docebimus,cùm in multorū ruinam poſitus ſit Chriſtus, quid Euangel.
mirum,ſi ſanctum quoque ſuum euāgelium,ſcriptura illa ſa- in ruinam
cra,in ruinam(hoc nunc præcipuè ſeculo) poſita eſt multo- hæretic.
rum,quæ multipliciter adeò de Chriſto iam olim à prophetis prædicta eſt & apoſtolis? Quod enim nūc prætextu verbi diuini in hæreſes prouoluuntur? Quibus tamē omnibus, quia euangelium nō vero accipiunt intellectu, ab ipſis iam inde apoſtolorum temporibus in eccleſia ſemper obſeruato, Euangelium eis fit in ruinam, idque tantùm ex peruerſo ſuo intellectu. Quod tamen nunc non eſt nouum: ſemper enim id ita contigit. vt hæretici venenum ſuum mixto ſacræ ſcripturæ melle conditum,proponerent. Siquidem omnes hæreſes,ſecundum Auguſtinum, Hieronymum & Gregorium,ex ſcripturis ſacris ortæ ſunt malè intellectis. Videte modò, quomodo ſcriptura in ruinam poſita eſt & reſurrectionem multorum:nō quod id vitio fiat ſcripturæ, ſed tantùm ex inſolentia,excæcato ſenſu,& maleuolentia iſtorum: de quo aliâs plura. In ſumma ex ipſo deo, ex ſcriptura diuina,& omnibus quæ ad deum pertinent, animus ſibi peruerſus anſam arripit peccandi. An non ſic res habet? ex immenſa illa dei miſericordia, quàm multi pœnitētiam prorogant Roma. 2.
& cōtritionē? Et illis ſanè miſericordia dei poſita eſt in ruinā. Quam verò plurimi gratiæ diuinæ cōceſsis ſibi donis ſuperbiūt inflati,illiſque dum abutūtur,eadē faciūt ſibimet in ruinam. An paucos eſſe putas,qui ſacramenta diuina conficiant indignè? Et ipſi ſanè ruinam ſibi parant. Aut quis nō blaſphemos iſtos videt noſtri ſeculi hæreticos, ſacrum Chriſti corpus in ſacramēto altaris abnegātes? Quis etiā verè fidelis & bonus Chriſti ſectator, nō videt Chriſtum hæreticis

ruinam esse suæ damnationis maximam, contra quoque bonis & piis omnibus resurrectionem in vitam æternã. Quam nobis donet deus optimus maximus, Amen.

HOMILIA SECVNDA.

IN hoc sancto Euangelio reliquam adhuc vnam habemus prophetiam Simeonis,& aliam Mariæ, cum' sua ratione. Has quoque nunc auxiliante deo ex scripturis satis declaremus. Simeon ad Mariam ait, Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur. Signum hoc intelligi potest de omnibus sanctæ fidei nostræ articulis,inquit Origenes. Omnibus enim qui narrant historiam de saluatore, id est, Euangelium, contradicitur.non quidem à fidelibus: credimus nanque quicquid scriptum est,& verum esse, & ad nostram salutem scriptum esse,vt Paulus ait: sed tantùm penes infideles omne quod scriptum est,signum est cui contradicat. Quomodo autem doctrinæ contradicatur euangelicæ,patet. Siquidem Euangelium Christianis datum est in signum: sicut & Dauid ait, Domine,dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.Et in euangelio quidem in primis docemur, quid voluntati diuinæ beneplacitum, & quid sit aduersum. Cui tamen signo Christi per vniuersum mundum contradictum est, cum apostoli iuxta præceptum domini exirẽt euãgelium prædicaturi omni creaturæ, quemadmodum & Iudæi ad Paulum dicebant Romæ, De secta hac notum est nobis, quia vbique ei contradicitur.Neque id sermone tantum, sed & facto,cùm tyranni aquis vsi sint,lapidibus,gladio,rota,flagellis.cruce,clauis,catenis,& ferris quoq; immanissimis,ad euellandum euangelium.Et tamen signũ illud nobile Christus virtute sua retinuit & conseruauit,multis aliis miraculorũ signis,quæ subinde per martyres suos operatus est deus, vt in eorum vitis auditis.Quamuis etiam quotquot opera faciunt Christiano indigna, toties Christo dici possunt contradicere:iuxta illud verbum Pauli, Confitentur se nosse deum,factis autem negãt. Hîc cuiusuis hominis appello mẽtem & conscientiam,vt cogitet, quomodo nunc in mũdo fiant omnia,cum breui adeò tempore, tantum hæresum & errorum irrupit,an non Christo, sanctóque suo contradicatur euangelio,quod iam olim omnes semper fecerunt hæretici?Christus in cœna de sacramento loquens,ait, Hoc

Lucæ 2. Origen. Rom. 15. Psal. 59. Marc. 16. Actu. 28. Hebr. 11. Tit. 1. Lucæ 22.

est corpus meum. Huic verissimo signo contradicunt sacramētarij, asserētes nō esse illud verū corpus Christi. Christus seruare præcepit, quicquid dixerint, qui in cathedra sedent Moysi: docens qui prælatum audiat, eum audire Christum. Nunc verò isti prædicatores carnis surgunt, contradicentes & iubentes, præceptis tum ecclesiæ, tum prælatorum parendum non esse. Sanctus Iacobus fidem sine operibus mortuam esse prædicat. Nouelli autem Christiani contradicunt, fidem nullam esse contendentes mortuam: siquidem fides sola hominem iustificat. Possem ita per omnes veterum & recentium currere hæreticorum articulos, vt ampliter copiosèque satis ostenderetur, contradictionibus huiusmodi Christianorum pias illas ordinationes dissui, & leges sanctas scindi: sicut dixit Abacuc, Factum est iudicium. & contradictio potētior, propter hoc lacerata est lex. 2 Cùm diligentiùs sanctorum patrum scripta inuestigo, inuenio Christum etiā signū esse positum virtutum omnium, cui contradicūt peccatores omnes. In signum enim castitatis positus est, cùm conciperetur: in signum humilitatis, dum nasceretur. Est præterea signum patientiæ, signum redemptionis, signum illuminationis. Cuius rei per singula possent afferri scripturę sanctæ testimonia, nisi breuitati mallemus cōsulere. Huic illi signo contradicunt peccatores omnes, velut sagittarij in vnū hunc scopum intendentes, ebrij & temulēti, superbi impudici omnes: omnes impij blasphemi cōcionatores contradicunt huic signo, quotquot etiam peierant temerè. Et quid multa? Omnes qui mandata eius non seruant, signo huic contradicunt. Graue enim illud & plane serium est, quod dixit Christus, Si vis vitam ingredi, serua mandata. Isti seruare nullum volunt. Rursus inquit ille, Angusta est quæ ducit ad vitam via. Isti latam & amplam volunt, imo vndique contra gubernationem & administrationem diuinam garriunt temerè & murmurant. Vbi rectè in eorum persona dixerit Abacuc propheta, Vsquequo domine clamabo, & non exaudies? Vociferabo ad te vim patiens, & non saluabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborem, videre prædam & iniustitiam contra me? Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se? Huiusmodi temerariç oblocutiones quia nunc quotidie fiunt, pene cœperunt vilescere, dum iis non paulò grauiores patentur, quibus summam illam

Matt. 23. *Lucæ 10.* *Iaco. 2.* *Abacuc 1.* *Matt. 19.* *Matth. 7.* *Abacuc 1.*

dei calumniantur monarchiã: vsque adeo, vt quilibet quantumuis abiectissimus, etiã terrę filius, putet se, si deus esset, aliter lógè mundum hunc gubernaturum. Vides nunc quomodo deus ipse signũ sit, cui peccatores & homines temerarij omnes contradicãt. Posset hęc quoque interpretatio per vniuersam scripturam satis fundata, latissimè explicari. Sed hęc nunc sufficiant. ¶ De signo miraculorum, locum hunc quidam conantur exponere, quoniam miracula istiusmodi à Christo posita sunt in signum diuinæ potestatis, dicẽte Ni-
Ioan.3. codemo, Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit deus cum eo. Quomodo cæcus ille natus quoque dicebat,
Ioan.9. A seculo non est auditũ, quod quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic (Christus) à deo, non poterat facere quicquã & sic vndique miracula signa dicuntur: & ita ea Christus ap-
Mat. 16. pellauit apud Marcũ, Signa eos qui crediderint, hæc sequẽ-
Ioã.4.12 tur. Ita apud Ioannẽ & Paulum secundo ad Corinthios & ad
Hebr.2. Hebræos. Verum illis quoque signis Christi contradixerunt Iudæi, sicut Ioannes & Membres miraculis Moysi corã Pha-
Matt. 12. raone, eáque tribuebant diabolo: sicut & gentes signa calumniati sunt sanctorũ, dicentes ea arte fieri magica. Nec desunt adhuc hodie ex nouellis Christianis, temerarij quidam, imo & hæretici, miracula sanctorum authori ferẽtes accepta diabolo, sicut apostata Oecolampadius, & alij complures faciunt. Hanc itaque explanationem etiam hîc lubens prætereo. Non alienum esset si induceretur, quomodo nostrates hæretici signo Christi contradicãt, imagini passionis suæ, eã conculcantes & confringentes, more & impietate Turcica. Sed & illa missa facimus. Tandem iam expositionem dabo communem. Neque enim euangelium tantùm & doctrina Christi, nec sua tantùm, quanuis probatissima vita, nec lex quoque solummodo & miracula, signum illud sunt à deo positum, sed hoc quoque nobile signum est crucis, imo Christus
Beda. ipse. Et ita quidẽ Beda, Signum, inquit, cui cõtradicetur, fidẽ
Theophy. dominicæ crucis accipe. Et Theoph. quoque dicit, Quoniã signum crucis, cui vsque in tempus contradicitur, hoc est, nó recipitur ab incredulis. In huius nẽpe figuram iam olim dixerat dominus ad Moysen, Fac serpentem æneũ, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet. Vnde & san-
Nume.21. ctus Grego ait, Honor & contumelia non longè absuerunt.
Grego. Quod enim Christus in signũ erectus est, honoris fuit: quod

ci cõtradicebatur,cõtumeliæ fuit. Catholicis nobis signum crucis est insigne decoris, Iudæis & Gẽtibus id cõtemnentibus & reiiciẽtibus, imo etiam pedibus calcãtibus. Quamuis & ipse Christus signum illud nõ incommodè dici poterit, sicut de seipso per prophetam loquitur, dicẽs, Posuerũt me Tre.3.
quasi signum ad sagittam. An non satis amarulenta, neque parum veneno illita tela sua Iudæi Christo in crucem suffixo incusserũt, dum maledictis linguis illum impeterent, omnique calumnia proscinderent? Adeo vt ille non teme- Psal. 56.
rè in persona Dauidis conquestus sit, Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ, lingua eorum gladius acutus. Hæc nimirum sunt, quibus isti Christo cõtradixerũt. Vtut tamẽ peruersi Iudæi pertinaciter reluctati sint olim Christo, idẽmque iam nũc pari impietate Gẽtiles, Turcæ, hæretici quoque & mali faciãt Christiani: illud tamẽ & triumphabit signum, & permanebit in æternum, sicut prædixit Esaias propheta, Erit dominus nominatus in signum æter- Esa. 55.
num, quod nõ auferetur. Signum illud cõstãs & perpetuum nullus poterit Iudæorum cõtemptus, nulla quãtumuis vehemẽs tyrannorum persecutio, nullum virus, nullãque secta abolere hæreticorum: sempiternum est enim, licet multum ei cõtradicatur. Per Psalmistam ergo dicebat deo patri, Eri- Psal.17.
pies me de cõtradictionibus populi, constitues me in caput gẽtium. Nec ipse tantùm, sed & omnia sua sancta piáque membra, quæ contradictiones vicerint huiuscemodi, eodem testante. qui promisit, Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ, & sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & Apoc.3.
sedi cum patre meo. Multiplicem illam adeóque variam signi huius, cui cõtradicetur, expositionem, nõ libuit deducere ad lõgum: leuiter tãtùm velut extremo digito ostendere vt appareat saltem, quàm verum sit illud Augustini, copiosè & abundãter scripturam sacram vberrimum quẽdam secum afferre intellectũ: nec vllum alteri cõtrarium, sed omnẽ illũ iuxta salutarẽ, bonũ & vtilẽ, iámque olim à spiritu sancto primùm inspiratum. ¶ Deinceps quoque Mariæ nõnihil vaticinari pergit Simeon, declarans & ipsam participem eius fore, quod filius suus in signũ positus esset cui contradiceretur, eiúsque nõ paruã partem ad ipsam quoque peruẽturam. & ait, Tuam ipsius animam pertrãsibit gladius, vt reue- Lucæ 2.
lẽtur ex multis cordibus cogitationes. Atqui nulla (vt inquit

Origen. Origenes) docet historia, beatam Mariam ex hac vita gladij
Ambro. occisione migrasse, præsertim cũ nõ anima, sed corpus soleat ferro interfici. Intelligi itaque illud oportet de gladio passionis dominicæ, qui vsque adeò tenerrimũ cor Mariæ ineffabili & immensa quadam compassione velut transuerberauit. Quanuis enim illa Christũ & dei filium norat, & sponte sua mori sciebat, sicuti nec ambigebat ipsum deuicta morte triumphaturum, potẽtérque resurrecturũ. cvm non poterat eam
Oseæ 13. latere, ꝗ in Christi persona dixerat Oseas propheta, De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors, ero morsus tuus, inferne. Nõ poterat tamen gloriosa illa dei genitrix Maria filium suũ dilectissimum, ex se tam & admirabiliter & spiritu sancto cooperante natum, iam in tãtis videre doloribus, pœnis & cruciatibus mori, nisi ipsa
Beda. quoque ex animo vehementissimè & acerbissimè condole-
Psal. 140. ret. Beda porrò vult hunc esse scripturę morẽ: quoniã & Dauid dixit de Ioseph, Misit ante eos virũ, in seruũ venundatus
Gene. 30. est Ioseph: humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum
Ambro. pertransiit animam eius. Et omnis iste dolor carcerum tantũ fuit, in quibus detentus est Ioseph. Ambrosius iisdem hîc vtitur cũ Origene & Beda verbis. Addit tamẽ insuper, prudentiam Mariæ haud ignaram cælestis fuisse mysterij. Siquidẽ viuũ est verbũ dei & validum, & magis acutum omni gladio
Damas. acutissimo. Sanctus Damascenus velut peculiaris quidam virginis Mariæ seruitor & amator, inde non multùm differẽtiẽs, inquit, Dolores quos non habuisti in partu, vt sentires te esse matrẽ, nũc exoluas in morte filij, sentiẽdo te esse matrẽ. natura enim quæ dolorẽ remorata est & distulit, cum instaret iam tẽpus, & acuit fortiùs & anxit. Quã etiam ob cau-
Hieron. sam sanctus Hieron. in sermone de assumptione beatæ Mariæ, ad Paulã & Eustochiũ scribit, Beata dei genitrix, & martyr, & virgo fuit, quanuis in pace vitam finierit. Hinc quoque quod verè passa sit, testatur Simeon propheta loquens ad eam Et tuam inquit, ipsius animam pertransibit gladius. Ex quo cõstat, quòd martyr fuerit. Alij nanque sancti, etsi passi sunt pro Christo in carne, tamen in anima, quia immortalis est, pati non potuerunt. Beata verò dei genitrix, quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur, imo (vt ita fatear) quia spiritaliter & atrocius passa est gladio passionis Christi, plus quã martyr fuit. Et infrâ, Quæ quia mente passa est, plus quã

martyr fuit: quia mortem Christi suam fecit, sicut & propheta Ioël secundum quorundam prædixerat interpretationem cum diceret, Sol conuertitur in tenebras, hoc est, Christus in *Ioel.2.*
passione sua, & luna in sanguinem, Maria nempe per suam cõpassionẽ. Tãtus aũt & tam vehemẽs ille fuit in Maria dolor, iuxta sententiam doctorum, vt ipsa eũ viribus sustinere & perferre naturalibus nequaquam potuisset, nisi singulari quadam & præuenta & adiuta esset virtute diuina. Vnde & Bernardus ait, Verè tuam, ô beata mater, animam gladius pertransiuit. alioquin non nisi eam pertransiens, carnem filij sui penetraret. Et quidem postea quàm emisit spiritum tuus ille Iesus, ipsius planè non attingit animam crudelis lancea, quæ ipsius aperuit latus, sed tuam vtique pertransiuit animam. *Bernard.*
Tuam ergo pertransiuit animam vis doloris, vt plus quàm martyrẽ nõ immeritò prædicemus, in qua nimirũ corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. Et iterum, Fugientibus apostolis, in faciem filij sui se opposuerat mater, ac gladio doloris eius animæ infixo, vulnerabatur spiritu, & cruciabatur affectu. Et quid in carne Christi agebant claui & lancea, hoc in eius mente faciebat cõpassio naturalis & affectionis maternæ angustia. ¶ Claudit iam prophetiam suam Simeon, Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Vbi quid ad literam attinet, apertũ est sanè, quomodo penetrante pectus Mariæ gladio in ipsa Christi passiõe & morte, reuelatæ sint cogitationes pleræque hoĩm oĩm. Nanq; & Christus iam antè, apud Ioannem, discipulis suis dixerat, Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est? Verbum *Ioan.6.*
autem illud vsque ad passionem Christi, quid sibi vellet, non patuit. si quidem tunc demũ discrimen apparebat Iudæ & Petri, Petri item, & Mariæ. Tunc quoque tandem constabat, quid erga christum in pectore celauerant Annas & Caiphas, quoque in eundem animo fuerant Nicodemus & Ioseph. Sed & vix dum nato christo, idem hoc statim apparuit. Nanque cũ primũ fama de christo per tres magos percrebuisset, turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo, pastores *Matt.2.*
verò cũ omni gaudio euangeliũ annunciauerunt pacis. Nec *Luc.2.*
multò post, christum, cùm iam prædicare cœpisset, quidam vt magistrũ secuti sunt veritatis, aliis interim eum tanquam seductorẽ fugiẽtibus, Quidã etiam dicebant, quia bonus est, *Ioan.7.*
alij verò dicebant, Non, sed seducit turbas. Atque ne nunc

quidem ita pacatam ſemper ſinit Eccleſiam ſuam ſanctam eſſe deus, vt non calamitates interdum in ea ſubnaſci permittat, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes: quod & in noſtro tam calamitoſo ſeculo videmus euenire. Quotquot tandem homines, imo vrbes etiam & oppida, à catholica quotidie decidunt eccleſia, à Chriſtianis deficiunt ordinationibus? Et tamen qui nunc primi cadunt, eos ante annos aliquot

1.Reg.10 (quantum humano licet aſſequi iudicio in illis externis) optimos credidiſſes Chriſtionos, Deus autem intuetur cor. Ad eundem quoque modum per ipſos prædicatores non rarò reuelantur cogitationes multorũ, qui & eccleſias frequenter ingrediuntur & orant, ita vt habeantur optimi. Verum vbi primum ſtimulis tangantur veritatis, tunc demum furore percipi inclamitant: Nihil nouit ſacrificulus dicere, niſi iſta, &c. Ecce quomodo prædicatoris voce, hominum cogitationes reuelantur. Atque huiuſmodi hominum reuelationem & probationem Paulus in cæteris ponit rationibus, quamobrem hæreſis fieri permittat deus, quod noſtris nunc temporibus, prohdolor, videmus accidere. Ait enim, Oportet hæreſes eſſe

1.Cor. 11. vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. Et vos itaque chariſsimi, laudem date Chriſto Ieſu, & gratias agite in omnibus, quoniam fecit vobiſcum hactenus miſericordiam & gratiam illam, in iſtis tam peririculoſis temporibus, quibus fides catholica vſque adeò fluctuat & periclitatur, quod & tam miſericorditer vos in ſua illa ſancta, antiqua, indubitata, vera & Chriſtiana fide conſeruauit, nec excidere permiſit ex vnitate ſanctæ eccleſiæ catholicæ ſicut alij multi ſemet

1.Ioan. 2. ſeparauerunt ab illa. Verùm iſti, vt ait Ioannes, ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcũ. Sed vt manifeſti ſint, quoniam nõ ſunt omnes ex nobis. Sed vos vnctionem habetis à ſancto, ſcilicet ſpiritu, & noſtis omnia, quæ ad ſalutem vobis ſunt neceſſaria: ſuſtinete modo, & perdurate i illo veſtro propoſito ſancto deũmq; ſedulò orate, vt ille vos in tanta fidei conſtantia ſemper cuſtodiat, iam hîc per omnem vitam & tandem in morte, poſt quam vitæ vobis ſempiternæ fœliciſsima gaudia donet. Amen.

HOMILIA III.

DILIGENTER omnino & fideliter euangeliſta deſcripſit, quæ Mariæ contigerunt Hieroſolymis, cũ pri-

mũm egressa esset puerperii tẽpus,puerúmque Iesum in templo præsentasse,quanta ibi mysteria. S.Simeõ prophetico spiritu prædixerit de Christo simul & Maria.Nũc viduã quoque cõmemorat, dicens, Et erat Anna prophetissa filia Phaguel, de tribu Aser,hæc processerat in diebus multis,&c.Iuxta historiam conuictũ Annæ hîc declarari Beda ait honestissimũ. dignãque senectã tali maximè muliere, quæ Christo domino testimoniũ perhiberet. Et fungitur hîc euangelista fidelissimi velut notarij officio,dum testé describit, primum à nomine,deinde à tribu,mox à senectute,&c. vt vel sic tandem quod narraturus erat, & certius haberetur,& verisimilius esset testimoniũ, quod tamen rursum Beda ad mysticũ referens sensum, Annã significare dicit ecclesiam, quæ in præsenti quasi spõsi domínique sui est morte viduata. Anna em̃ gratiã significat,& misericordiã: habet autem ecclesia gratiam ex deo, & sancta sacramenta. Sed hæc trãseant,ad literam redeo. Anna hæc secundum Ambrosium in huiusmodi virtutibus & moribus ab Euangelista laudatur, vt quæ digna habita sit aduentum nunciare redemptoris mundi. Iam verò coniuges duo prophetauerant,Zacharias & Elizabeth,virgines quoque duo Maria & Ioseph, Simeon ille Senex, & paruulus adhuc in vtero matris clausus Ioannes. Vidua deerat, cuius nunc tandem meminit Euangelista: vnde colligere licet, ipsum quoque Simeonem cœlibem fuisse. aliâs enim suum quoque ad Christum venisset comitatus vxore. De nomine quoque Annæ hic taceo, & de quinque nominis huius laudatissimis mulieribus. Vide homiliam in die sanctæ Annæ.

Lucæ.2. *Beda.* *Beda.* *Ambro.*

¶ Ex quatuor autem hîc Euangelista Annam commendat. Et primùm quidẽ à genere,quoniã filia fuerit Phanuel de tribu Aser,in quo quãuis multum a deò positum non est, maximè cùm proprias cuiusque intueamur virtutes. Verũ est tam̃ quod ait Hieronymus, Hoc solum video in nobilitate generis apparendũ,quod quasi quadã necessitate astringuntur, ne à maiorũ nobilitate degenerent, maximè cũ hoc fiat sæpissimè, quod patri optimo filius obtingat pessimus, sicut Adæ Cain,Noe Cham,& Abrahæ Ismael. Et contra quoque fit, vt parens iniquus filiũ habeat optimum.sicut de Achaz legitur, quoniam malè fecerit,exemplo aliorũ regum Israël,filiũ suũ per ignẽ transferens & consecrans idolis, aliásque impias idololatrarũ vanitates exercens: qui tamen pium habuit filiũ

Hieron. *4.Re.20.*

4.Re. 18. Ezechiam,de quo scriptura ait,quod fecerit bonum corã domino iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius. Quãuis hoc in ea re periculum est,quòd plerunq; arbor mala malos fert
Ezec.16. fructus,& (vt Ezechiel inquit)prouerbiũ est, sicut mater, ita & filia. Sed & in ipsa Christi generatione clarè conspicimus non semper moribus & vita liberos suos repræsentasse parentes. Euãgelista hîc tantũ dicit, Annam Phanuelis fuisse filiam de tribu Aser. Et quòd illum in virtutibus sit secuta,ex sequẽtibus patet,cum eam prophetissam nominat. Celebres porrò in veteri testamento prophetissas quatuor agnoscimus, Primam Mariam illam Moysis sororem,quæ canticũ deo cecinit pro populo ex redemptione Pharaonis. Quæ sanè figura erat redimendi aliquando generis humani per Christum, sicut in
Exo.15. Exodo legitur. Sumpsit Maria prophetissa tympanũ in ma-
Iudi.4. nu sua. Secũda Delbora fuit,quæ per sapientiam qua plurimũ calebat,populũ rexit,defenditque ab hostium incursu. Et hæc typum gessit sapientiæ Christi, qua ille & dæmones vicit, &
4.Re.22. infernum expugnauit. Tertia verò Olda fuit, quæ Iosiæ regi Iuda prædicebat eum in pace moriturum quidem, sed tamen iram dei venturã super populum. Quo etiam modo pax Christi erit super regem Iuda, hoc est, super omnes qui Christum confitentur,fideque simul & operibus eum collaudant: sed tamen ira interim dei peccatoribus non parcet. Quarta deniq; prophetissa illa est,cuius hîc mentio fit,Anna,quæ quam cæteræ istæ typo tantum quodam & figura significarunt,apertè confessa est veritatẽ. Neque in nouo quoque testamento pro-
Act.21. phetissæ desunt quatuor illæ Philippi filiæ. Et non temerè euangelista hîc tribus Aser meminit: si quidem vox hæc Hebræis beatum sonat, sicut & Lia à partu suo dixit, Hoc pro beatitudine mea, beatã quippe me dicent omnes mulieres:
Gen.30. propterea appellauit eũ Aser. Quomodo autem hæc Anna gratiã ex deo tantã habuerit, vt in spiritu Iesum agnosceret esse Mesiam, euangelista porrò cõmemorat, quibus exornata fuerit virtutibus, sicut & Simeon, qui etiam iustus & timens deũ commendatur. ¶ De statu viduarum piè & propter deum obseruato, quanquam sit ille & honestus & deo beneplacens,cum Origenes hîc clarè docet,tũ verò Paulus ad Co-
1.Cor.7. rinthios, non paulò euidentiùs arguit,dicens,Non nuptis &
1.Tim.5. viduis dico, bonum est illis, si sic permanserint sicut & ego, vnde & discipulo suo Timotheo pręcipit, Viduas honora,

quę

quæ verè viduæ sunt. Et hæ sanè quàm sint deo gratæ, vel hinc apparet, quod toties præcepit, ne qua eis vis inferatur, né ve opprimantur, à quoquam, sicut constat in lege Deuterono. 24. Esa. 1. Hieremiæ 5. Iob 24. Hieremiæ 22. Zachar. 7. Et ideo dominus præcipiens ait, Viduę & pupillo non nocebitis: si lęseritis eos, vociferabuntur ad me. Sed tu mihi Sapientem quoque audi dicentem. Nonne lachrymę viduę ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt vsque ad cælum, & dominus exauditor non delectabitur in illis. Vbi ego quotquot magistratum gerunt, admonitos diligenter volo, vt pupillos & viduas sedulò tueantur, nec iniustè patiantur opprimi. Quod sanè qui faciunt, nec æquitatem, nec diuinum attendentes præceptum: non tantùm hîc temporaliter ob id punientur, verùm etiam iniquitatis tantæ grauem cogentur aliquando rationem reddere coram deo in iustissimo illo dei iudicio. Et væ igitur illis, væ inquã, qui pupillis bona etiam detrahunt, sua alienant aut collusiones faciunt, &c. Meritò ergo Anna eò etiam laudatur hîc magis, quòd vidua fuerit, quòdque progressa statu iam ad annum 84. peruenerit. Sicut enim bonum erat, inquiente beato Augustino, quod Martha faciebat occupata circa ministerium sanctorum, sed melius quod Maria soror eius sedens ad pedes domini, & audiens verbum domini ita bonum Susannæ in castitate coniugali laudamus, sed tamen ei bonum viduæ Annæ, ac multò magis Mariæ virginis ante ponimus. Super hac re quisquis plura desiderat, videat Ambrosium, qui peculiarem etiam scripsit librum in laudem viduarum: non istarum tamen, quæ temerè & iniquissimè lasciuiunt, sed quæ piè & sanctè viuunt in Christo. Vnde etiam cùm nos de viduarum laude & dignitate loquimur, non est quod in vniuersum omnes intelligas, quæ suis orbatæ sunt maritis: sed eas tantùm, quæ in laudem & honorem dei, constanter animum inducunt in cœpta castitate vitam suam finire. Hoc enim affectu pio Paulus viduas virginibus coniungit, dicens, Mulier innupta, & virgo cogitat quæ domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Huiusmodi viduas pias & sanctas multum remunerabit deus. Rationem addit Ambrosi. quoniam viduæ iuuenes acriùs tentantur quàm virgines, propter recordationem delectationis expertæ. Cùm itaque tanta constantia decertantes, de diabolo, mundo & car-

Exo. 22. *Ecclesi. 35.* *August.* *Luc 10.* *Dan. 13.* *Ambro.* *1. Cor. 7.*

ne fortiter triumphent, meritò etiam à deo plurimum remu-
Psal. 131. nerantur, iuxta illud psalmi, Viduas eius benedicam. hoc est
secundum idioma Hebraicum, valde benedicam. Et rursus
Psal. 145 in alio loco, Custodit dominus aduenas, pupillum & viduam
suscipiet. Et igitur inter cæteras præclaras illas quas Iudith
Iudit. 15. deferebat, populus laudes dicebat ad illam, Tu gloria Hieru-
salem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri, quia
fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eò quòd casti-
tatem amaueris, & post virum tuum, alterum nescieris.

I. ¶ Amplius adhuc euangelista Annam laudaturus, honestam
Anna in talique vidua dignissimam conuersationem declarat & vitã.
templo assidua. Ac principio quidem sedulitatem illam tantam, ita vt à tem-
plo non recederet. Quod etiam non sic intelliges, quasi in
templo desederit assiduò, sed quia iuxta Glossam in eo fre-
quenter fuerit: qui ferè vulgatus est loquendi modus, etiam
1. Thess. 1. apud Apostolum, Memoriam vestri facientes in orationibus
nostris sine intermissione, hoc est, sedulò. Quanuis non de-
sunt, qui putent eam ita in templo semper fuisse, vt etiam ibi
continuò habitarit: sicut etiam nunc Romæ ad sanctum Pe-
trum aliqui includi sese patiuntur, templum illud per om-
nem vitam non egressuri. Deinde à ieiunio quoque commẽ-
II. datur. Et vbi sunt Neochristiani, imo ex Christianis fucati
Ieiunium. & hæretici, qui ieiunium & pias preces respuunt? Ecce hic
Anna ex vtroque peculiariter collaudatur: adeò, vt ob id te-
stis messiæ facta sit. Quanuis quid opus est multis hoc loco
illud commemorare, quando tota scriptura vndique plenissi-
ma est testimoniis locorum aduersus hereticos istos ieiunium
Ioel. 2. contemnentes? Namque per Ioelem dominus ait, Conuerti-
mini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu & planctu,
& scindite corda vestra. Vt iam non immeritò euangelista
III. Annam tertio loco ab oratione commendet. si quidem iuxta
Oratio. salubre illud Tobiæ consilium, Bona est oratio cũ ieiunio &
Tob. 12. eleemosyna. In hoc velut speculo iam se nostrates contem-
Eleemosi. plentur viduæ, considerantes non suum esse, vt hinc inde per
plateas discurrant, vt ad omnes choreas & saltus cursitent, vt
nimium lasciuiant, vt crapulentur, potirent, garrulentur. Sed
in templo potiùs sint sedulæ, conuersationis sint honestæ,
orent & ieiunent, ac tum demum status ille earum non tan-
tùm coram deo laudabitur & hominibus, verum etiam in æ-
ternam ipsis cedet remunerationem. Nunc denique testi-

monium Annæ euangelista commemorat, quæ eadem quâ Simeon hora venit, quáque puerum Iesum Maria obtulit in templum. Sed quid de verbo ad verbum loquuta sit Anna, in euangelio expressum non est: tantùm enim dicit euangelista, quoniam confitebatur domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabāt redemptionem Israël: hoc est, ex sententia Theophylacti, gratias agebat, & docebat de domino, quod ipse esset saluator & consolatio nostra, expectantium redemptionem. Nec est quod dubites, quin, sicut ea hora in templum aduenit Simeon instinctu spiritus sancti, ita etiam Anna eodem venerit inspirante. Et rationem quidem, cur euangelista Annæ verba in propria forma non posuerit, afferunt nonnulli, dicentes eum Simeonis verbum, non Annæ expressisse, quòd mulieres silere magis quam loqui in ecclesia, & doceri quam docere debeant, ex doctrina Pauli, Mulieres in ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui. *Muliebre silentium.*

¶ Sequitur, Et vt perfecerunt omnia secundū legem domini reuersi sunt in Galilæam in ciuitatē suam Nazareth, non ita tamen, vt illic permanserint, quandoquidem non multò pòst Ioseph ab angelo admonitus, fugit in Ægiptum. Rebus ergo suis compositis, aufugerunt illuc cum puero. Quod cùm satis descripserit Matthæus, Lucas non commeminit. *1. Cor. 14.* *Matt. 2.*

¶ Postremò egregia euangelium hoc clauditur coronide. Puer crescebat & confortabatur, plenus sapientia, & gratia dei erat in illo. Quod sanè intelligendum venit, cum eorum omnium, quæ Matthæus adhuc de fuga in Ægyptum scribit, inclusione. Etsi verò poterat Christus iustam statim & perfectam sibi assumere magnitudinem, voluit tamen vt puer tempore crescere, non dedignatus omnem illam humanæ naturæ conditionem, dum modo peccatum exceperis, suscipere. Verū de hoc aliàs. Satis enim hîc est & dicere, & nosse, quod corpore creuerit Christus ordinatè, vsque ad iustam ætatem secundum naturalem perfectionem, modum in hoc præscribens & terminum omnibus hominibus, quónam sint resurrecturi ætatis habitu: sicut & Paulus dicit, Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Qua de re plura dicentur in sermonibus de nostra resurrectione. Hoc ergo primum illud est, quod puer paulatim corpore creuit: aliàs enim visum fuisset phantasma, vt ait Theophylactus. *Christus creuit.* *Ephe. 4.*

Christus confortatus. ¶ Addit deinde Euangelista, Et confortabatur. Vbi si virtutem Christi expendas animalem, seu vitalem aut naturalem, non est quod ambigas corporea eum male creuisse, cum eadem ratione qua imbecillitatem suscepit humanam, & creuerit etiam, & sit confortatus. Verùm si confortationem inspicias, spiritus confortatus ille non est: si quidem quanuis etiam ad eum confortandum angelus descendit de cælo in
Luc. 22. montem Oliueti: non tamen id accipiendum ita est, quasi ipsum
Mat. 24. confortarit: cùm legantur alibi accessisse ad eum & ministrasse illi, vnde & ministri eius fuerunt quidem, non confortatores: sed angelus ille se habuit in mundum consolantis seu confortantis, & veluti dicentis, Ah domine, operare salutem mundi per passionem tuam, &c. vide in passione.

¶ Porrò Euangelista puerum sapientia plenum vocat. Et hîc
Christus plenus sapientia. quoque nemo ea sit stoliditate, vt putet Christum etiam secũdum humanitatẽ creuisse scientia, ratione & sapientia, sicut pueri indies efficiuntur prudentiores. Absit enim procul hăc nos tribuere Christo tam insignem contumeliam, quanuis id ex veteribus impurissimus hæreticus Nestorius, & ex recentioribus isto nihilo inferior Zuinglius somniarunt. Verùm
in disput. Bernensis. hoc doctores catholici intelligunt eo modo, non quòd in sapientia creuerit, secundum sapientiam in se, sed tantùm in exhibendo & notificando illam, ita vt indies magis ac magis apparuerit & sic. Theophylactus dicit, Prodigiosum visum fuisset, si Christus, quandiu paruus fuisset, omnem ostendisset sapientiam, quanuis in ipso adhuc virginis matris vtero tanta fuerit in illo sapientia, quãta iam in crucifixo. Idque adeò esse verissimum scripturæ testantur. namque de humanitate
Ioann. 1. Iesu Christi Ioannes ait, Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate. Sed & Pau-
Coloss. 2. lus in Christo reconditos thesauros omnes sapientiæ & sciẽ-
Esa. 11. tiæ prædicat. Et Esaias, Super eum, inquit, requiescet spiritus scientiæ & sapientiæ. Neque aliud est quod cum virum
Hiere. 31. appellat Hieremias, nisi quod anima Christi rationem & sapientiam omnem habuit à principio suæ creationis, cum ait, Creuit dominus nouum super terram, fœmina circundabit virum. Quodnam illud est nouum, nisi quia anima Christi in vtero matris intellectum habuit virilem? Et quod iam de Christi sapientia dictum est, idem de eius sentien-
Ioan. 3. dum est gratia, tantum enim grãtiarum benedicta Christi

anima principio statim suscepit, vt plus suscipere non potuisset neque enim secundum mensuram datus illi spiritus erat, & in eo tamen requieuit plenitudo diuinitatis, atque ideo incrementum gratiæ in illo, non secundum gratiam in se factum est, sed tantum in exhibitione externa. Et ideo plenitudinem ille habet gratiæ, vt omnes nos ex illa reciperemus, vt Ioannes ait, Et hîc quidem in tempore gratiam suam, illic autem gloriam: quam nobis tribuat deus Amen.

DOMINICA POST FESTVM.
EPIPHANIAE. LVCAE. 2.

IN illo tempore, Cùm factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis in Hierosolimam secundam consuetudinem diei festi consummatisque diebus, cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum. Et factum est post triduum, inuenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos: Stupebant omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Et videntes, admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum, Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos, Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis. & venit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud deum & homines.

Esa.27. Actu.3. Matt.7. Marc.1. 1.Reg.2.

HOMILIA PRIMA.

ANte huius euangelij contextum dicit Lucas, Et ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die solenni paschæ. Vbi Chrisostomus, In festis, inquit, Iudæorum non solum tempus, sed & locum obseruabant. Ita enim præceperat dñs in lege: Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis: Ter in anno apparebit omne masculinum tuũ corã dño deo tuo, Quæ sanè festiuitates fuerũt, paschæ, seu panis azymi, primitiarũ, vel pentecostes, fructuũ siue

Chrysosto. Exo.23.

tabernaculorum in autumno. Ad hæc tria festa conuenire viris tantùm præceptum erat, mulieribus non item: vnde cõstat, quòd Maria dum ascendit in Hierusalem, idipsum non ex obligatione legali, sed propria fecit deuotione. Quanuis
Festa. qui à Hierusalem procul aberant, excusati habebantur, etiam si ad festa pentecostes & tabernaculorum non venirent: sed in festo paschæ nisi morbo excusari non poterant. Et hinc quidem error apparet nostratium hæreticorum, qui festa abrogare conantur & abolere, clamitantes, in nullo diem alium alij esse præferendum. Quæ eorum vox & vana est & erronea & deo aduersa. Nunquid enim non deus ipse festa quædam obseruari præcepit, & quidem longè præ aliis diebus? sicut & iam auditum est, & alibi dicetur adhuc copiosiùs. Præcipuè verò id in festiuitate apparet paschali, quam solenniter adeò Iudæi obseruare cogebantur ex præcepto cum agno paschali, qui typus erat veri paschalis agni Christi, qui venturus erat. Et nos cur non potiùs magisque meritò de iis quæ
1.Cor.5. præterierunt, festa celebremus, quoniam pascha nostrum Iudæi de eo quod futurum erat, celebrabant?

Luc. 2. ¶ Ac nunc quidem post hæc sequitur euangelium hodiernum, Cum factus esset (Iesus) annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam, &c. Vbi tu principiò notabis quod dominus Iesus nihil in sua pueritia per se operatus est admirabile, vt inquit Chrysostomus, nisi quod deus pater per magna miracula, per angelos, per stellam, natiuitatem filij declarauit. Vnde libellus de infantia Christi, qui multa habet inaudita miracula, à sanctis patribus vt apocryphus reiicitur. Quia autem iam antè euangelista creuisse Christum plenum sapientia commemorauit, nunc dicere pergit, quomodo ille sapientiam suam tantam declarauit. Dominus nanque, vt ait
Beda. Beda inter homines homo natus, fecit quod faciendum hominibus per angelos imperauerat Deus, seruauit ipse legem quam dedit, vt nobis qui puri homines sumus, seruandum per omnia, quicquid deus iubet, ostenderet. Sed vt supra hominem, cum duodecim adhuc esset annorum, disputauit cum sapientibus Iudæorum, quod aliâs impossibile est, vt puer hac maximè ætatula, nisi scientiam habuisset desuper, disputationem tantam subire ausus fuisset. Numerum annorum duodecim doctores hîc ad sensum exponunt spiritualem:

quod,quia idiotas scire parũ refert, pertrãsco. Alia dicã quæ nosse plus retulerit. Principio, quoniam pueri ab ipsis iam inde teneris vnguiculis assuescendi sunt pietati & cultui diuino, tu quisquis es, liberos tuos prima statim ætate tecum adhuc in templum, audiãt ibi missam,auscultẽt & obseruent verbum dei,aquam sumant benedictã,cæteráſque discant ceremonias non negligere,vt sic vnà cum annis succrescant in illis amor dei,& cultus pietatis:sicut Hieremias dicit,Bonum est homini, qui portat iugũ domini ab adolescentia sua. Profectò enim cùm pertinax indurauerit iuuentus,frustrà laboraueris:& quod semel caruum, haud vnquam rectum. principiis primæ statim ætatis occurrendum est. Quod & Sapiẽs prudenter consuluit, Filij tibi sunt,erudi illos,& curua illos à pueritia eorum. Curua, inquit, ad similitudinem virgulti, quod dum tenerum est in quãuis partẽ & quemcũque voluc-ris modum flexibile est:sed cum iam indurueril, fregeris citius quàm flexeris. Ad honorem ergo & timorem dei educa liberos tuos. Melior est enim vnus timens deum, quam mille filij impij. Et hoc est quod Ioel docuit, quibus modis iram effugiamus diuinam, dicens, Canite tuba in Sion, sanctitate ieiunium,vocate cœtum,cõgregate populum,sanctitate ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos & sugentes vbera. Ecce quomodo hic docemur in honorem dei infantulos quoque esse ad templa ferendos, eorúmque nomine orandum deum,vt si peccatis sit iratus seniorum, saltem, innoxio & innocenti parcat sanguini paruulorum, ob eorúmque innocentiam faciat nobiscum misericordiam suam.

Ire. 3. *Eccle. 7.* *Eccle. 16.* *Ioel. 2.*

¶ Hinc quoque disces,sapientiam tuam non vbique temerè ita profundere,quasi omni debeat innotescere mundo,sed cõpetenti sapere & tempore & loco,vt rectè dixerit Sapiens ille Salomon, Tempus & responsionem cor sapientis intelligit. Et hoc quoque indubitatum est, quisquis sapientiam suam cõstare cupit omnibus,stultus est & stolidus: vult enim potiùs videri sapiens, quàm esse. Christus nãque summa illa dei patris sapientia,celauit eam vsque in duodecimum annũ, qua ferè ætate aduenit pueris vsus rationis & intellectus:tũc demum suam quoque Christus sapientiam reuelauit.

Eccle. 8.

Christus cur manserit Hierosolymis.

2 Euãgelium habet Christum Hierosolymis mansisse, Maria tamẽ & Ioseph eũ in reliquo esse comitatu, arbitrantibus. Hîc si quis quærat,cur ille insciis parentibus istic remãserit,

in promptu causa est, propria eum ibi mansisse tum voluntate, tum ordinatione, vt sic toti mundo declararet, quàm ardentissimo desiderio & quonam zelo feruenti duceretur adhuc puer rerum cœlestium, vt ipse dicebat, eorum quæ patris sui erant. Quanuis hæc quoque assignari ratio possit, ne ab illis per parentes abstraheretur, néve contemptor horum haberetur, si rogatus ab ipsis, vt secum pergeret in Nazareth, restitisset: ideóque tacitus rem suam & patris cœlestis negocium procurauit. ¶ Aliam quoque adhuc quęstionē hîc inducit Beda, quo tandem modo dei filius tanta parentum cura nutritus, hîc abeuntibus potuerit obliuiscendo relinqui? Cui respondendum, quia filiis Isrēl moris fuerat, vt temporibus festis vel Hierosolyma confluentes, vel ad propria redeuntes seorsum viri, seorsum autem fœminæ choros ducentes incederent, infantésque & pueri cum quolibet parente indifferēter ire potuerint, Ideóque beatam Mariam vel Ioseph vicissim putasse puerum Iesum, quem se comitari non cernebant, cum altero parente reuersum. Huius adeò rei fundamentum ex Zacharia adducunt, dicente, Plangent terræ familiæ, & familiæ seorsum: familiæ domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum, &cæte. Quanuis ipsa per se ratio causam præbet sufficientem, quod honestatem illud docebat conuersationis sanctæ, non citra omnem pudorem temerè in leuitate & inordinate hincinde discurrere, sicut, proh dolor, hodie magno scandalo inter christianos fieri videmus: quod sanè eorum qui magistratum gerunt, interesset præcauere. Hinc & ex illo Iudæorum more omnino factum est, vt existimāte Ioseph puerum in comitatu esse muliebri, & vicissim Maria putāte esse illum inter viros, faciliùs puer remanserit, & neuter interim parentum nec negligentiæ, nec reprehēdendus veniat leuitatis. Quid multis opus est? sic visum, sic constitutum & ordinatum erat à spiritu sancto.

Beda.

Zach. 12.

3 Diligentiam parentum insinuat euangelista, in quærendo puero inter amicos & cognatos, vbi tamen eum non inuenerunt. Quod attendentes sancti patres, volunt inquisitionem istam altero demum die factum, & sic eos die tertia tandem Hierosolymam esse reuersos. Cùm autem sedulò puerum inter amicos quæsiuissent, nec tamen inuenissent, exterriti sunt vehementer, metuentes ne quod Herodes in infantia eius patrare quæsierat, iam in pueritia positum, inuenta

Glos. ord.

opportunitate, alij interficerent. Metuebant etiam præ aliis Archelaum Herodis filium, magnóque demum dolore revertebantur in Hierusalem, non ignari pietatis & assiduæ orationis pueri, cogitantes in templo diutiùs solito eum remansisse, dicendo cum propheta, Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Sed & spirituali sensu, explicari solet illud hoc modo, Quoniam non inter amicos inuenitur dominus, non inter familiares, sed Hierosolymis, in templo, in locis sanctis, vbi seruitur deo. Apud amicos non semper reperias concilia bona & salutaria vitæ: vnde & insalubre agnoscitur illud, quod interdũ parentes, fratres item aut sorores, aduocant & ad se domum recipiunt religiosos suæ familiæ, qui si diutiùs domi desideant, quid boni pariat? An non messem carnis quàm spiritus semper vides vberiorem? Atque ideo Paulus dicebat, Nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem. quo consilio quicunque de generatione illa cupit esse sancta, de qua dixit Dauid, Hæc est generatio quærentium faciem dei Iacob. hoc idem faciat cũ Maria & Ioseph in templo. Religiosi & qui in cœnobiis ex voto habitare assueuerunt & debent, si quando erũpunt, fit in illis, quod Dauid dixit, Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum. De quærendo dominum alibi fortè dicetur: nunc satis sit, admonitos esse vos, vt dominum Iesum & quæcunque placent illi, quæratis diligenter, non inter cognatos & familiariter notos. nã & cognitio dei, & omne quod pertinet ad salutem, maiùs vtcunque est, quàm quod humana per se possit assequi conditio. In templo ergo quæritur deus, inter verbi diuini præcones, in templo dei filium, ipsam nimirum sapientiam dei inuenies.

Psalm. 25. *2. Cor. 5.* *Psal. 23.* *Psal. 150.*

4 Contemplantur etiam hîc sanctissimi quique patres anxiam vtriusque parentis Christi compassioné, cùm iam Christum amisissent, vbi etiam gladius Simeonis pertrãsiuit animam Mariæ. Contéplantur quoque quibus illa flexibus, quàm profusis lachrymis discurrerit vndique amaritudine maxima concepta, quòd filium nec apud Ioseph, nec apud cognatorum quenquam inuenit. Quantas ibi inquietudines noctu tam perturbata sensit sanctissima virgo pro filio suo dilectissimo, thesauro spritus sancti? Quisque igitur fidelium diligẽter expendat, secúmque recogitet triduanum istum dolorem Mariæ, maximum sanè & acerbissimum, quum vsque adeo

Cõpassio Mariæ de amisso puero.

solicita dominū Iesum quæreret vndique. Verùm sancti doctores admirantes quidē facta illa Euangelica,& tamen cōsiderantes interim ibi spitualem quādam & illustratam diuinitùs significationem,intelligunt & inquirunt hîc triplicem legem:naturæ,Moysis & gratiæ Christi. In prima illa Christum patres & sancti quæsierunt patriarchæ, & similiter altero die reges & prophetæ sub lege Mosayca:nec tamé vtrinque quem quæsierunt,inuenerunt. Ad extremum gentes sub euangelio die tertio illum inuenerunt in templo ecclesiæ catholicæ. Quod & Christus professus est,dicens, Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt:& audire quæ vos auditis,& non audierunt.

Lucæ 10. ¶Et quòd gentes Christum inuenerunt,Paulus testatur,cùm
Rom.11. ait,Quod quærebat Israël,hoc non est cōsecutus. Electio auté (hoc est,gentes)consecuta est. Sunt qui triduum hoc ad pœnitentiam referant,eo quod qui triduum totum fideliter perambulat,diem vnum in contritione,secundum per cōfessionem,& tertium per operum bonorum satisfactionem,dominum Iesum certo inueniet, insuper signum illi dabitur certum & ineffabile,sacramentum sacerdotalis absolutionis, lo-
Exo. 3. co dei. Quod & in figura dictum est de iudæis, Ibimus viam trium dierum in solitudinem,vt immolemus domino deo nostro. Vicissim quoque peccatores triduum sibi quærunt in via diaboli,quæ ducit ad inferos, per malas cordis cogitationes, per proteruas locutiones oris,& sceleratas operationes. Pōderāt etiā hîc doctores nōnulli, quomodo no temerè tripli-
Luc. 2. ces personæ Christum quæsierunt ab infantia sua. Pastores quidem in præsepio adhuc positū inuenerūt:tres Magi, qui eundem inuenerunt in Bethlehé cum Maria:& nunc Ioseph vnà cum Maria in templo. Qui auté ibi significentur, prælati nimirū,spirituales quoque,& alij laici Christiani, cuius expeditū est facilè est ex scripturis colligere. Pastores enim prælatos designant,Ezechielis trigesimoquarto, quomodo se Christus ipse pastorē dixit. Magi,spirituales homines signi-
Ioan.10. ficabāt,quoniā illis peculiaris stella relucet ex deo & gratia, vt cùm mundum potenter reliquerint, Christum inueniant in Bethlehem,hoc est,domo panis: sicque in cœnobiis piè & sanctè viuant, lætitia immensa & gaudio perfruantur spiritua-li, inq; vita cōtemplatiua pascantur assiduò. Per Iosephū & Mariā parētes Christi omnes figurati sunt homines pij &

Christiani: iuxta verbũ dñi, Qui fecerit voluntatem dei, hic *Mar. 3.*
frater meus, & soror mea, & mater mea est. O ergo, dulcissime
dñe Iesu Christe, gratiã nobis tuã clementer impende, vt
ita voluntatem patris tui cœlestis valeamus hîc implere in
terris, quo tãdem te in felicitate inueniamus æterna, Amen.

HOMILIA II.

FACTVM est, inquit Lucas, post triduum, inuenerunt illũ *Lucæ 2.*
in templo, &c. Atque ibi quidem expendendum est principio
diligenter, quòd in templo Christũ inuenerint, non in
diuersorio, non in ludo, & non circa alias id genus vanitates,
quas etiam pueri exercere solẽt: sed in templo, vt hîc habeas
exemplum filios tuos quoque educandi & erudiendi, vt & ipsi
templis assuescant, sicut sanctus Nicolaus & sancta Elizabeth
fecerunt, aliíque complures, qui ab infantia statim sua pietati
sese addixerũt & orationi sedulæ, quod priore iam sermone
diximus. Discant hinc seniores etiam cũ inuenimus Christum,
se nẽ inuenire, ac proinde nec quærere debere in symposiis
& potatorum conuenticulis, in foro item & aliis huiusmodi
locis voluptariis. In templo quærendus est, & ibi inuenitur *Origenes.*
in sermonibus, & sancto dei cultu. Et tu ergo, inquit
Origenes, quære Iesum in templo, quære in ecclesia, vbi Christi
sermonem atque sapientiam, id est, dei filium reperies.
Quamuis Ambrosius spiritualem hinc eruere sensum conatur,
dicens Christum post triduum esse repertum in templo,
vt esset indicio, quia post triduum triumphalis illius passionis
in sede cœlesti & honore diuino fidei nostræ se resurrecturum
offerret, qui mortuus credebatur. Sic inuentus est
ille, ait Beda, in medio doctorum sedens, quasi fons sapiẽtiæ.
Sed tamen quasi exemplar humilitatis audire prius & interrogare *Beda.*
doctores, quam instruere quærit indoctos. Vnde disce
re debent iuniores, vt si qua illis data sit gratia diuinitùs tanta,
vt præ aliis quid sciant: ne nimium præsumant, ne cæteros
spernãt, sed alios quoq; placidè audiãt, alios interrogẽt, quid
hîc summam dei patris sapiẽtia Christus fecisse conspicitur. *Doctus*
Et hinc quidẽ duos cõsiderare debemus acquirendæ sapiẽtiæ *quomodo*
gradus: quorum prior est, vt qui sapiẽtiæ studet, audiat & au- *fias.*
scultet diligẽter, iuxta verbũ illud Sapientis. Audiẽs sapiẽs sapientior
erit, & intelligẽs gubernacula possidebit. Ita opor- *Prou. 1.*
tet modis omnibus auditũ illud præcedere, ne fortè contingat
istud quod Sapiens dixit, Qui prius respondet quàm au- *Prou. 18.*

diat,stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. Itaque quisquis respõdere vult,causa nondum satis intellecta, sapiẽtes prius interrogare debet & seniores:sicut præcepit in
Deut. 32. lege dominus,Interroga patrem tuum,& annũciabit tibi:seniores tuos,& dicẽt tibi. Hoc si iam obseruaretur consilium, vt est consultũ prudẽtissimẽ,non tot vndique calamitatibus destineremur:neque tot passim nos augerẽt miseriæ, dũ nouelli isti Christiani & hæretici soli sapere,solique scire sibi videtur omnia,sapiẽtiã habẽtes per se vltrò natam, audire volũt neminem,nec quẽquam interrogare sapiẽtẽ. Quod vtique si facerent,patres sanctos sanctáque requirentes concilia,primo statim aspectu se deprehenderent errare, séque scripturas sacras falsò & contra verũ spiritus sancti intellectũ explicare,& aliud non iactare nisi commenta propria & ineptissima somnia glossemata fictitia, & vanissimas doctrinas. Verum hæc aliás. Aliter nos docuit dominus Iesus, qua fuit ille humilitate,doctores audiuit: non quod ex iis quicquã didicisset,cũ esset per se omniscius, esséntque iam ante
Coloss. 2. in eo thesauri omnes sapientiæ diuinæ reconditi, vt Paulus scriptum reliquit:sed quod suo ille facto docere nos voluerit vt ipsi quoque alios audiamus. Ille enim cũ facere simul cœperit & docere,meritò etiam auscultauit, interrogauit,
Act. 1. respondit.Si quidem ex vno doctrinę fonte manat & inter-
Origen. rogare & respondere sapienter,vt ait Origenes. Nã sine ratione temerè interrogare,magis hominis stolidi est quã sapientis,quomodo plerique videri volentes, tãtũ temerarias & sua sententia subtiles,in se tamen inutiles, proponũt quæ-
Eccle. 1. stiones.Quãobrem rectè dixit sapiens ille Ecclesiastes, Proposui in animo meo quærere & inuestigare sapienter. Sed
2.Ti. 2. ad Timotheum Paulus sic scribit. Stultas & sine disciplina quæstiones deuita,sciens quia generant lites. Verùm quid hîc interrogauerit Christus,euangelista non expresit.

2 Sequitur,Stupebant omnes,qui eum audiebãt super prudentia & responsis eius. Satis est hoc nobis scire, etiamsi quid tũ responderit,tũ interrogauerit,ignoremus: satis, inquam,est nobis ita eum & respondisse & interrogasse, vt in
Hierony. stuporem omnium verteretur:quomodo B. Hieronymus in prologo Bibliæ dicit, Duodecim annos saluator impleuerat,& in templo sedens de quęstionibus legis interrogãs, magis docet,dũ prudentes interrogat. Qui sanẽ fulgor erat &

radius,quem ille relucere permisit ex diuina sua sapientia
sicut vndique in euangelio fecit, vbi operaturus aliquid in
humana natura,subinde concurrere aliquid fecit quod diui-
nitatem suam argueret,sicut hîc Beda dicit, Quod ipse duo- *Beda.*
decemnis in templo sederit in medio doctorũ,audiens & inter- *Regula.*
rogãs illos,humanæ est humilitatis indiciũ. Et ide, Qui idem
verus homo & verus erat deus: ad ostendendum quia homo
erat,homines magistros audiebat : & ad comprobãdum quia
deus erat, eisdem loquentibus sublimiter respondebat . Et
hoc quidem magnũ fuit ex deo miraculum, quod omnes illi
puerũ cũ stupore quodã admirabãtur . Quod magis appare-
bit nobis,vbi ipsa euãgelistę verba proprius inspexerimus.
Ait enim,Stupebãt omnes qui eum audiebãt, super pruden-
tia & responsis eius. Et videntes admirati sunt : vt sic omnis
illa admiratio ad ea quæ tum audierãt,tum viderant, verge-
bat. Audierãt autem sublimem sapientiam , & viderãt tenerã
adhuc illius in annis pueritiã,in qua communi naturæ cur-
su non magna latet sapientia(quãuis non ignorem quosdam
admirationem videndi ad Mariã referre & Ioseph : commu-
niùs tamen intelligi illud omnibus quotquot aderant, sicut
vtrunque sensum hîc Glossa ordinaria habet.) O quàm fœ- *Glossa or-*
lices futuri erãt doctores illi & Iudæi,si scripturas suas scru- *di.*
tari voluissent,& videre,quis quantúsque puer ille esset, in
quo intellectus & sapientiæ lumen tantum refulgeret. In-
uenissent vtique apud Esaiam illud , Paruulus natus est no-
bis,& filius datus est nobis:& factus est principatus super hu- *Esa.9.*
merum eius:& vocabitur nomen eius admirabilis, consilia-
rius, deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Hinc di-
cere poterant facilimè, quid in hoc puero admirarentur po-
tissimùm,quis esset,sicut ex multis aliis certissimis argu-
mentis euidenter cognoscere debebãt, Messiã illũ esse suũ,
totiúsque mũdi redemptorem. Vnde apud Ioannem dicebat,
Scrutamini scripturas,quia vos putatis in ipsis vitã æternam
habere:& illæ sunt quæ testimoniũ perhibent de me. Et de-
inceps,Si crederetis Moysi,crederetis forsitan & mihi: de me *Ioan.5.*
enim ille scripsit. 3 Et dixit mater eius ad filium, Fili,
quid fecisti nobis sic?Ecce pater tuus & ego dolentes quæ-
rebamus te. Quamuis Ioseph pater Christi habebatur, ipse
tamen ea non erat confidentia,vt illũ increpasset, quoniam
firmiter credebat ipsum filiũ esse dei,sicut audierat ex ange-

Io, Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariã coniugem
Matth. 1. tuam: quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Passus itaque est Ioseph Mariam Christum alloqui, quæ affectu materna dicere filio poterat, quod Iosepho non item licuisset. Et ecce Maria quoque Ioseph patrem vocat domini, opinione & fama vulgi quidem, sed magno & occulto quodam est filio spiritus sancti. At quo animo Maria interrogarit, hîc inquirũt doctores sancti, putantes Mariam nihil horum dixisse affectu corrigendi & increpãdi filium, quasi malè id fecerit, sed quia norat filiũ illum esse dei, & sapientiam summam, ideo scire cupiebat, quãobrem illud fecisset, non ignara
Iob 5. eius quod dixit Iob, Nihil in terra fieri sine causa quasi diceret, Audire cupimus & cognoscere, cur nos reliqueris, cùm scieris (vt te nil latet) quibus doloribus & lamentis te quæsiuerimus, vnde dominus ipse causam tantùm assignat, cur in templo remanserit. Et hîc itaque discant omnes qui amiserint dominum, quibus modis eum rursus quærãt, exemplo nimirũ Mariæ, cum dolore, cum cõtritione & pœnitentia peccatorum: quòd si nõ fecerint, dominũ nũquam omnino inuenient, Verè enim qui Christũ quærit in dolore, inueniet
Psal. 104 eum in lætitia: iuxta illud Psalmi, Lætetur cor quærentium dominum, quærite dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper. Quisquis ergo es, homo peccator qui dominum Iesum amisisti, hoc ipso bonum summum amisisti, ne
Hiere. 2. conquiescas igitur, quære dominum, & (vt Hieremias ait) scito simul ac vide, quia malum & amarum est reliquisse te dominum deum tuum, & non esse timorem eius apud te, dicit dominus deus exercituum. Quære itaque dominũ deum tuũ, salutare tuum, medicũ illum tuum & saluatorẽ: idipsum fac diligenter cum dolore, humilitate & ardenti charitate, sicut Maria & Ioseph fecerũt. Et inuenies eum proprium tibi, clemẽtem planè & misericordem in iis quæ patris sui sunt negociis, sicut idipsum Christus fieri iussit, inquiens. Petite, & accipietis: quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. O beatã animã, quæ assiduò quærit dominum? quod my-
Matth. 7. stica illa spõsa facit, dicens, Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascat, vbi cubet in meridie. 4 Respondit ad hæc iã Iesus matri suę Marię, Quid est, quod me quęrebatis? Ne-
Lucæ 2. sciebatis, quia in iis quæ patris mei sunt, oportet me esse? Hic est quod sapiẽtiam illam dei admiremur immẽsam. Ma-

tia enim Christo patrem proposuerat Ioseph, qui pater non verus illius erat, sed deo habitus tantúm quod & nutritius esset,& Mariæ maritus. Verum longe alium, tum sublimiorem, tum excellentiorem patrem suum Christus vicissim nominat,deum adeò illum patrémque cœlestem. Nihil itaque ac ne in minimo quidem hic eos Christus,quod se quæsierint increpauit,tãtum pectora eorum & corda eò eleuare voluit,vt cogitarent plus se patri debere deo, quàm ei quæ corporis tãtum erat mater. Quáuis ergo vt hominis filius, cum parẽtibus quo iubẽt statim regreditur, antea tamẽ quasi filius dei in templo commorabatur: vnde & dicebat,Quid est quòd me quærebatis? Quasi dicturus erat,nõ hoc necessarium fuerat,siquidem nõ hinc inde vagabũdus discurro, nec alicubi pereo: vbi sim scio, quid mihi rei sit apprimè noui: non est quod vel inter amicos vel vicinos me quæratis, sed in patris mei negocio,in ipso templo nimirum, quod dei proprium est,dicente propheta,Domus mea domus orationis vocabitur. Et hinc cum Maria Ioseph dixisset patrem eius,ille dixit,Nõ est hic verus pater, alioqui in domo eius mãsissem: sed deus est pater meus, & propterea in domo illius sum.hoc est,in templo illius Hæc Theophylactus. Beda. Esa. 56. Theop h y.

¶ Vbi obseruãdum etiam est Christianis omnibus; vt spiritualia omnia pluris faciãt quàm hæc corporalia,quãuis animalis homo cõtrarium ferè faciat,quamobrem & Paulus ait, Omnes quæ sua sunt quærunt,non quæ Iesu Christi. Et Bernardus flendo dicit,Cadit asina,& est qui subleuet: perit anima,& non est qui curet. Vsqueadeo, prohdolor, & impij sumus,beluini, planéque efferi vsqueadeo immemores sumus salutis animæ, & eorum quæ ad hanc sunt necessaria, vt magis cordi curæque sit nobis: afficiat etiam magis, si quando vacca, cui pereat, aut equus, si conflagrèt domus, quàm si gratiam dei amittat, An non signum hoc est modicæ fidei? non etiam euidenter arguit nos rem tãtam aut non satis intelligere, aut malè expendere? Quod vtique si faceremus, non adeò nihili mortem animæ penderemus, & ista temporalia,iniqua & impia bona in maximo precio haberemus. Vnde tamen fidelissimo planè consilio nos dehortatus est Christus,dicens, Quid prodest homini, si vniuersum mũdum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quã dabit homo commutationem pro anima sua, Phili. 2. Nota. Matt. 16.

Et nondum ex eis colligere potes eximiã animę dignitatem: quam si in vnam libræ lancem posueris, in alteram verò solem, lunam, cœlum & terram, mundúmque hunc vniuersum
Bernar. collocaris, authore Bernardo, illa tamen sola iis præponderabit omnibus, atque adhuc tamen ita deliramus, vt non doleamus de Christo amisso, nec illũ cũ dolore, quæramus: non omnino in scij quod si Christũ amiserimus, actum iam sit de nobilissima illa creatura anima nostra. quę quidem iactura tanta est, vt ob eam meritò mundus dolere debeat, totúsque orbis terræ tristari, ob vnã animã perpetuis gehennæ flãmis & cruciatibus torquendam. Vsqueadeo tenui nobis hæc omnia filo pendent: nec est qui curet, quin potius ob exiguam & momentaneã voluptatculam animam perdimus. Eua ani-
Gene. 3. mam suam vnico pomo velut vendidit in paradiso. Loth vi-
Gene. 19. ni haustu animã perdidit, Dauid breuissima cũ Vriæ vxore
2. Reg. 11 voluptate animã commutauit. Quamprimum igitur aliquis
Lucæ 9. hoc modo concupiscentiæ malæ aduersus dei præceptum satisfacturus, animæ suæ, quod quidem sibi videtur, bene cupit esse & facere, perdet eã: sicut dominus ait, Vos ergo dilectissimi, si quãdo animam vestram perdidistis, si Christum amisistis, triduum totũ quærite anxij & cũ dolore, per contritionem, pœnitentiam, & satisfactionem, & in templo cordis
1. Cor. 3. vestri inuenietis eum, dicente Apostolo, Vos estis templum dei, & spiritus dei habitat in vobis. O quàm fœlix & beatus est homo, qui ita dominũ Iesum inuenit in templo, vt ipse dei templum efficiatur. ¶ Nunc verò priusquam concludamus, libet ex illis verbis domini doctrinã vnicã adhuc colligere contra nouellos seculi nostri Christianos. Quandoquidem hîc Christus matri suæ proponenti sibi humanã illã & carnalem natiuitatem, aliã obiecit sublimiorem longè & digniorem, cui non tãtum plus deberet ipse, sed in cuius se quoque negociis oporteret esse, apertè & luçe clarius sequitur, hominem aliquem nũc quoque salutis animæ suæ causa quærere posse honorem dei, modò iam ad legitimam ætatem peruenerit, etiã contra vtriusque parentis voluntatem, ita vt puer aliquis Christianus fieri possit, resistente patre, siue Iudæo, siue Ethnico, possit etiam habitum vitámque religiosorum suscipere, & se in monasterium abdere quilibet inuito parente. Idque adeò cum hîc, tum in multis aliis sacrę scripturæ locis firmiter est fundatum, ita vt quicunque contradicere

tradicere præſumunt Lutherani, ſpiritui ſancto aduerſentur in hoc & ſcripturæ, quod & eſſe veriſsimum, aliúde probari poteſt ex Luca, vbi dicit dominus, Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Sed & (vt ſapiēter expēdit B. Ambroſius) cum noſtra cauſa, Chriſtus matri ſuæ renunciarit cum ſibi fratrem, imo & matrem & ſororem, dicendo, quiſquis voluntatem ſeruaret patris ſui: cur non & nos propter Chriſtum poſſemus parentibus renunciare noſtris? non tamen ita, vt in hoc obliuiſcamur naturæ, ſed vt potiùs naturæ honoremus authorem. Et ideo quādocunque nos in laudem & honorem dei, ad animæ noſtræ ſalutem, mūdum iſtum omnis mali machinatorem relicturi, ad vitam properamus monaſticam, parentibus noſtris nos impedire volentibus, dicere debemus cum Chriſto, Quid eſt quod in mundo me quæritis? An neſcitis, quod in iis quæ patris mei ſunt cœleſtis, me magis occupatum eſſe oportet? Aut nónne quod Chriſtus dixit, veriſsimum eſt, Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, nō eſt me dignus. In tali itaque caſu, quum parētes ſancto filij ſui propoſito reſiſtere volent, quominus in cœnobium abeat, vbi ſanctè & piè ſub Chriſtiana viuitur diſciplina, locum habebunt pulcherrima illa & affectu pietatis pleniſsima verba ſancti Hieronymi, in quadam ad Heliodorum epiſtola, Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine & ſciſsis veſtibus, quibus te nutrierat vbera oſtendat mater, licet in limine pater iaceat: per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem. Ad hunc modum S. Bernardus quoque in ſermone 2. dominicæ poſt octauas Epiphaniæ. Vtquid inquit, fratres, vtquid ſic Chriſtus reſpondit matri? Quid mihi & tibi eſt mulier? vtique propter nos, vt conuerſos ad dominum iam non ſoliciter carnalium cura parentum, & neceſsitudines illæ non impediant exercitium ſpirituale. Eadē quoque planè diui Auguſtini ſententia eſt, Honorandus eſt pater, ſed obediendum eſt deo. Ego, inquit dominus, ad Euāgelium te voco, ad illud opus mihi neceſſarius es: magis eſt hoc quam quod vis facere, ſcilicet ſepelire patrem. Sunt alij qui ſepeliant mortuos ſuos. Amate parentes & præponite deum parētibus. Probat ille etiā hoc idem ex Paulo dicēte,

Lucæ 14. *Ambro.* *Lucæ 2.* *Matt. 10.* *Hieronyi.* *Bernar.* *Auguſt. de verbis domini.*

Heb.12. Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerabamur eos. Non multò magis obtemperabimus patri
Lucæ 9. spirituum, & viuemus? Et alio adhuc in loco Augustinus ait, scripturam præcipere nobis parentum dilectionem, sicut membrorum internorum dummodo nos non impediant à cultu diuino, quem si nobis prohibuerint, sepulturam quoque eis iam non debebimus. Quotquot igitur reluctantibus parentibus, sese in probatam & spectatam vitam dedunt monasticam, magis in hoc grati sunt deo, sicut habetur in lege,
Deut.33. Qui dixit patri suo & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum. Possent adhuc complures vtriusque testamenti in hãc rem adduci scripturæ: quibus omnibus volens supersedeo. quando quos iam suprà faciendæ fidei adhibuimus locos, satis possunt facere cuiuis pio & catholico Christiano, ita vt circa hoc negotium facillimè per illos conscientiam suam informare queat & imbuere, vitam tandem adempturus æternam, Amen.

HOMILIA III.

SAnctus Lucas in euangelio hodierno, Descendit, inquit, puer cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Vbi
Beda. Beda diligenter considerat, quomodo Euangelista iam antè dixerit Mariam & Ioseph non intellexisse verbum, quod locutus est ad eos, quòd nimirum in iis quę patris sui sunt, eum esse oporteret: & tamen illis obtemperat, abiens cũ eis quocũ q; volebãt, in omni obedientia subditus eis. Quę sanè sũma fuit Christi humilitas, eadémque forma & exemplar nostræ vitæ, cùm enim honor vertebatur diuinus patrem reliquit & matrem, illo peracto, rursus paruit illis deus & homo. Itaque hîc mihi obseruate superbi omnes, & pleno fastu inflati Christiani, qui vobis iuxta iã recens natã doctrinã videmini etiã intelligere euãgeliũ, omnémque scripturã tãquã apertam & cuiuis peruiã, nec aliud ibi ponderatis, nisi vt legere possitis. Magna & profunda hæc imensæ radix est superbiæ, qua quis suo nimiũ tribuit intellectui, vnde plus quã sexcenta hære-
Lucæ 2. sum pullularũt germina. Ecce Lucas hîc refert Mariã & Ioseph, qui tamen pleni erãt spiritu sãcto, Christi adhuc pueri non intellexisse verba. Et vos vacui omnis spiritus diuini,
1.Cor.1. sermones Christi in sua perfectione intelligetis? Sed & Paulus quod stultum, inquit, est dei, sapientius est hominibus.

Et de epiſtolis Pauli ſic pronũciat Petrus, Scripſit vobis, chariſsimus frater noſter Paulus ſecũdum datam ſibi ſapientiã, ſicut & in omnibus epiſtolis. loquens in eis de iis, in quibus ſunt quædã difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cęteras ſcripturas, ad ſuam ipſorũ perditioné. Hîc videmus difficiles etiã à ſancto Petro iudicari Pauli epiſtolas, quas nouelli theologaſtri clamitant eſſe facilimas. Sed argumẽtũ hinc petimus, epiſtolas ſuas Paulo adhuc viuẽte eſſe deprauatas. ¶ Nõ eſt ergo quod mirũ fiat tibi, quiſquis verè es catholicus, id nũc quoque Lutherũ cũ ſuis ſectatoribus facere, dũ laborãt & ſtudẽt altiſſimã illam diuinæ maieſtatis perſcrutari ſublimitatem, ſuóque ſtupidiſſimo intellectu inueſtigare. Verùm non ſic, non ſic inquam, ſed oportet, quod diligenter monuit Paulus, captiuare intellectũ ad obſequium Chriſti. Quod ſi itaque noſtrates iſti nouelli Chriſtiani noluerint Pauli cõſilio, intellectum ſuum captiuare in obſequiũ fidei & dei, Paulum nũquàm intelligẽt. Quid quod ipſe Hieronymus, q. 8. ad Algaſiam, Epiſtola, inquit, Pauli ad Romanos multis eſt obſcuritatibus inuoluta? Id cùm ſanctus ille fatetur Hieronymus, tantus dei amicus, doctor tam eximius, in literis ſacris à puero tam exercitatè inſtrũctus, inter cæteras linguas Hebraicè Græcè & Latinè doctiſsimus: quid ita temerè audent præſumere Lutherani iſti idiotæ, agricolæ, cerdones & mercatores, imo vetulæ quoque & aniculæ rancidæ, ſibíque velut peculiare ſumũt munus interpretãdi ſcripturas, nõ ſecus ac ſi ſpiritum ſanctum in manica vel ſinu ſecum circũferrẽt? Vah, quæ tibi impietas eſt inſolentiſsima ſuperbia, tu Luciferum extruſiſti è cœlo, tu primos parẽtes noſtros expuliſti in paradiſo. Nunc tot hominum milia è nauicula Petri præcipitas, ex eccleſia in æternũ deiicis dãnationis barathrum. At nõne iſta horrenda & plus quàm Luciferiana eſt ſuperbia, eum qui per omnem vitam ſuam in literis ſacris nũquam ſit exercitatus, intellectũ tamẽ ſuũ & expoſitiones quãtumuis rudiſsimas, præferre velle ſanctis patribus, Conciliis ſacris omnibus, imo eccleſiæ vniuerſæ, vltra mille quingẽtos annos? ¶ Quid itaque mirum ſi eueniat eis quod dixit propheta in perſona domini, Perdam ſapiẽtiam ſapiẽtum, & prudẽtiam prudẽtum reprobabo. vbi ſapiẽs? vbi ſcriba? vbi inquiſitor huius ſeculi? Nõne ſtultam fecit deus ſapientiam huius mundi? Hæc iſti quotidie etiam

2. Petr. 3. — 1. Cor. 10. — Hierony. — Superbia hæreticorum. — 1. Cor. 1. — Eſa. 28. 33

legunt in Paulo verba: verùm, quæ sunt quàmque excæcata
temeritate, non intelligunt. Et accidit illis idem quod Iu-
dæis, qui dum manifestas de Christo scripturas non intelli-
gerent, nec tam admirandis Christi miraculis crederent, ait
Ioan. 12. Euangelista credere non posse. siquidem de ipsis Esaias præ-
Esa. 6. dixerat, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt
non videant oculis. nec intelligant corde, & conuertantur, &
sanem eos. Ita planè indurati nunc sunt isti neoterici Chri-
stiani, quorum tamen misereatur aliquando deus, eósque il-
luminet, & à tam impiis erroribus cõuertat. Et nos interim
Christiani humiles intellectũ nostrũ maioris nõ faciamus,
quàm illi suum fecerũt Maria & Ioseph, scientes quòd scri-
pturam sacram intelligere non possumus sine fide & gratia
dei. Sequamur ergo illam scripturæ interpretationem, quæ
iam olim data est à sanctissimis cõciliis & patribus diuinitus
illuminatis. Multis enim illa modis intellectũ nostrũ exce-
dit, cùm eius capaces etiam nõ simus, sed confiteamur magis
Iob 26. cùm Iob, dicentes, Cum vix paruã stillam sermonis eius au-
dierimus, quis poterit tonitruũ magnitudinis illius intueri?
2 Porrò iam doctores velut vno omnes ore cõcorditer di-
cũt, Christum Mariæ obtemperasse & Ioseph, vt hinc discant
pueri omnes nõ honorare tãtum parentes, sed illis etiam pa-
rere. Vbi multa dici possent, quomodo parẽtes in omni pie-
Educatio tate educare debeãt liberos suos. Vnde fit vt equidẽ morum
puerorũ. seculi huius tam deprauatorũ, rationem ponam non postre-
mã, educationem prauam liberorum, qui in omni leuitate ac
prauitate, & peruersa contumacia educãtur. Vide in sermo-
nibus decalogi, præcepto quarto. Ad hæc quia multum diffu-
sa est materia, hinc eo relegatã volo. Tãtum quod in summa
huc pertinet, satis est dicere, parẽtes teneri modis omnibus
filios instruere suos in fide Christi, in Christianis ceremo-
niis, in cultu dei & ecclesiæ. & quid multa? in omni timore
Prou. 14. dei. Timor enim dei fons vitæ est, & nihil illo melius, nihil
præstabilius: cuius rei tota vndiq; plena est scriptura. Et vbi
Eccle. 23. in iuuene nullus est timor dei, ibi actũ de tota hominis illius
est vita. Instituãt etiam parẽtes liberos suos verbis & exem-
plis piis, nec eos videre patiãtur omnia quæ faciunt prohi-
beãt etiam iurare eos, & peierare, impudicè loqui vetent, si-
militer scommãta & dicteria iactare, lasciuas etiã cantilenas
succinere. Insuper moneant eos calũniari neminẽ, cauillari

& obtrectare, doceant cum nemine vicinorũ iurgari & contendere, nocere nemini, nihil cuiquã furari, deuastare nihil, non mẽtiri, non fallere, in crapula & potationibus, in ebrietate, superbia & præter conditionẽ suam pertinaci temeritate omnino non viuere. Nam vt maximè ipsi parentes probi sint, & suorum tamen negligant educationem liberorũ, grauiter peccant, & irã aduersus se concitant diuinã, quòd magno suo periculo docuit Heli. is enim quod non seriò filios suos reprehendisset, hoc vno commisit, vt deus permitteret, vno die vtrũque eius filiũ cadere in bello, arcã capi, & ne impunè ipsi cederet auctori, factũ est, vt is malis omnibus auditis, vir ille iam senex & grãdæuus, anxio & molestißimo animo, prolapsus de sella retrorsum iuxta ostium, fractis ceruicibus, mortuus est. Hæc de puerorum educatione nũc dicta sufficiant. & quia euãgelium hoc obediẽtiæ tãtum liberorum erga parentes meminit, & nos de illa tãtum dicamus. ¶ Breuiter ergo, liberos dico, non honorem tãtũ, sed & obedientiã suis debere parentibus, id adeò ex veteri primum constat testamento, vbi præcepit dominus. Si genuerit homo filiũ contumacem & proteruum, qui non audit patris & matris imperiũ, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicéntque ad eos, filius noster iste proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, commessationibus vacat, & luxuriæ atq; conuiciis, lapidibus eũ obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malũ de medio vestri. & vniuersus Israël audiens pertimescat. O vtinã nũc quoque lex illa exerceretur aduersus furciferos istos & mastigias, qui non contenti parentibus resistere, insuper totos ludo & alea absumũt diei, id sanè si fieret, non paulò melius res haberent, totius Christianismi. Sed hîc multũ negligentes sunt, & ĩ vtrãque aurem dormiũt prĩcipes, omnésq; qui magistratũ gerũt, nec sceleratũ istud vitiũ puniũt, quo non parentibus tãtûm suus detrahitur honor, sed cæteri quoque miserè depereũt iuuenes, malis exemplis seducti, ac mala societate infecti.

1. Reg. 2.

Deute. 21.

¶ Et esse illud magnum ac insigniter capitale peccatum, vel ex eo patet, quoniã in veteri testamento nihil omnino, nisi peccatum esset mortale, morte puniebatur. Idémque ex nouo testamento magis patet. siquidem Paulus inter cæteras Christianæ conuersationis regulas, & hanc ponit: Filij

Ephes. 6.

obedite parentibus vestris in domino. Et adhuc expresſiùs
Coloſſ. 3. aliquãto in alio loco dicit, Filij, obedite parẽtibus per omnia: hoc enim placitum est in domino. Hæc nimirum clara & apertiſsima ſunt verba, quibus Apoſtolus loco dei obediẽtiam illam præcepit liberorum erga parentes. Atque in
Roma. 1. eius rei argumẽtum Paulus ad Romanos inter cætera vitia, in quæ Gẽtiles turpiter prolapſi erãt, iſtud quoque enumerat, quod parẽtibus fuerint inobediẽtes. At iam nũc quàm prohdolor frequẽs eſt iſtud ſcelus: quàm grauiter eò offendit præceps in omne vitium iuuẽtus dominum deum ſuum, dum pertinaciter adeò iuſſa cõtemnit parẽtum: vnde nõ eſt vt ſperemus meliora, quãdiu inobediẽtia iſta graſſatur im-
Prouer. 6. punè in mũdo. Aliud lõgè, aliud inquam nos docuerat Salomõ, illud attẽdamus, Cõſerua, fili mi, præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: liga ea in corde tuo iugi-
Ambro. ter, & circunda gutturi tuo. Sed & ſanctus Ambroſius ſententiam quandam ſuper Lucam habet, verè Ambroſiam ſpirantem & redolentem: eam quilibet benè educatus iuuenis memori ſemper debet tenere mente. ait enim. Primus gradus pietatis eſt, vt quos authores tibi voluit eſſe deus, honores obſequiis, abſtineas contumeliis, nec vultu lædenda eſt pietas parentum. Tu enim matri debes pudoris iniuriam, virginitatis diſpẽdium, partus periculum, matri lõga faſtidia, matri longa diſcrimina, cui miseræ in ipſis votorum fructibus maius periculum eſt. Et cùm ediderit quod optauit, partu abſoluitur, non timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum proſpectu, & multiplicatis alienis vſibus, cenſus, iactâque agricolæ ſemina, poſterorum ætatibus profutura? Profectò etiam, ſiquando liberi parentes ſuos temerè: & leuiter offendunt, quid mirum ſi ipſi quoque deinceps à liberis ſuis tractentur iniquiſsimè, párque ipſis reddatur pro ſua ingratitudine gratia, maximè cùm fallere non poſ-
Luca 7. ſit certiſsimum illud Chriſti iudicium. Qua mẽſura menſi fueritis, eadem remetietur vobis? Quod ſanè vt quotidiano omnes ſubinde experimur vſu, ita nemo pepẽdit, nemo cõſiderat. Verùm in omnibus illis ita intelligi hæc dicta volo, ſi parentes & honeſta præcipiant, & pia, non quæ cõtra deum ſint. Aliàs ſanè hîc locum viréſque habeat verbum illud in
Deut. 27. lege domini, Maledictus qui non honorat patrem ſuum aut matrem ſuam. Et dicet omnis populus, Amen.

3 Ad hoc quod sequitur in Euangelio, Mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo, dicit Beda, Maria conseruabat verba, siue quæ intellexit, siue quæ necdum intelligere verba euangelij potuit: omnia pariter in suo corde, quasi ruminanda & diligentiùs scrutanda recondebat, quasi sedula discipula, non ignara etiam, paruulum illum summam esse sapientiam dei patris, vnde nihil temerè, nihil frustrà ab eo diceretur aut fieret. & igitur sicut antea verbũ dei in immaculato sanctissimòque vtero suo conceperat: ita nunc verbi illius tum declarationem, tum manifestationem in corde & pectore suo concepit, cùm & ipse Christus in doctrina & miraculis suis omnibus verbum se declarauit esse dei patris, forma tamen & habitu hominis velatum: & hoc est quod attentissimè semper Maria considerauit. Et ratio quidem, quaobrẽ Maria hæc omnia ita conseruarit, asignari potest hęc, quoad seipsam, vt nimirum à filio suo repleretur in omni sapientia dei. Altera quoque dari poterit, quoniam ipsa erat, cui concessum fuerat desuper mysteria cognoscere regni diuini. Conseruabat ergo tantisper, dum tempus esset ea reuelare, & id quidem erat post ascensionem Christi, cùm iam omnia hæc apostolis & discipulis Christi manifestauit. Vnde etiam patres sancti dicunt Euangelistam hunc Lucam præ cęteris tribus plura scripsisse de pueritia Christi, de salutatione angeli, &c. quoniã hæc peculiariter ex Maria cognouerit, sicut & hanc pueri Iesu iuuentutem solus ex omnibus Lucas commemorat. Qua in re exemplum quoque nobis præbuit Maria, verba simul & facta Christi asiduò in corde nostro cõseruandi, firmitérque retinendi: non sic obiter, vt vix vna penetrata aure, per alteram euolet. Quin potius & ipsi posteros nostros doceamus, quod & docuit & facere iusit dominus per prophetam dicentem, Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedant de ore tuo, & de ore seminis tui, à modo vsque in sempiternum.

Beda. · *Mar. 4.* · *Esa. 59.*

¶ Vltimò tandem concludit Euangelista in hæc verba, Iesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud deum & homines. Quorum quidem verborum solidus est intellectus ex sanctorum patrum sententia: quoniam verè creuerit secundùm carnem, contra Manichæos: sed & in sapientia creuit, non quòd aliquid suæ accesserit rationi & intellectui, cum ab initio seu incarnationis in eo fuerint thesauri omnes sapien- *Coloss. 2.*

Theophyl. tis & scientiæ dei reconditi, cùm ab infantia statim sciuerit &
Hierony. cognouerit omnia. Sed sapientiam illam quam in anima sua Christus habuit, in dies magis ac magis videndam exhibuit & manifestauit, vt iam falsum sit omnino & omni scripturæ contrarium (vide sermone præcedenti) Christum verè & reipsa creuisse in sapientia, quod & nouelli somniant theologi. Vnde enim, & à quo didicisset præceptore, quod duodecim iam annos natus cum doctoribus disputare ausus est, nisi à spiritu sancto, qui ex ipsa iam eius incarnatione super eum
Esa. 6. requieuerat assiduò, sicut in spiritu præuidit Esaias? Si qui-
Hieron. dem etiam dandum aliquid erat nostræ naturæ moribus, inquit Hieronymus, ne aliquid extraneum à videntibus reputetur, tanquam homo paulatim crescéte corpore manifestabat seipsum, & quotidie sapientior ab audientibus & videntibus censebatur. Et hoc ita esse, apertè satis arguūt ipsa verba Lucæ. Superius nāque cūdixisset, puerum, post septimanas iam sex in templum esse præsentatum; adiunxit, Puer crescebat, & confortabatur plenus sapientia. Nunc verò cùm annorum esset duodecim, ait, Iesus proficiebat sapientia & ætate: sapiētia, inquam, in qua cum antea plenus esset, proficere quomo-
Luc. 2. do poterat? Euidenter igitur sequitur hinc, quia iā antè plenus sapientia erat Christus: iuxta superiora verba Lucæ, eūdem iam euangelistam tātùm loqui de illa externa sapientiæ exhibitæ manifestatione. Verùm tu hîc mihi mutuas seculi nostri vices cōsidera, sicut Christus sapientia profecit & gratia, ita nūc inuétus in malitia crescit & vitiorū omniū lerna.

¶ Ad sensum quoque mysticum exponi potest euangelium istud, hoc modo, Quoniam Christus cùm duodecim iam annos natus sapientiam suam manifestauit in Hierusalem, id significare voluit, quod legem ille suam Euangelicam per duodecim apostolos vniuerso voluit innotescere & manifestari orbi terrarum. Et quòd parentes filium suum Iesum in festo amissum post se reliquerunt, hoc sibi vult: quoniam in hunc vsque diem multi Christum in festiuitatibus ferè solennioribus amittunt, & cùm septimana tota probi sint, festo demum die maximè peccant, crapula, ludo, & omni genere vanitatum. Sed quod illum triduum totum quæsiuere parentes, pœnitentiam designat, qua deus amissus rursus quæritur corde, & ore & opere bono, per contritionem, confessionem, & satisfactionem. Et tunc tandem inuenitur in

templo, hoc est, in cuiusque hominis boni anima sancta, quæ verè templum dei efficitur. Vel etiã in templo inuenitur materiali, cùm iusta præmissa & præhabita pœnitentia ille in venerabili suscipitur sacramento altaris. Et tunc quærentes se christus arguit interno suo inspiratu, cur illi se quæsierint inter vicinos & amicos: quibus plerique sæpe homines nimiũ freti plus satis tribuunt, qui multos non rarò à Christo auocant, &c. Quòd & quilibet in huiusmodi sensu spiritali exercitatus, facillimè multis ad hoc pertinentibus sacræ scripturæ locis, inducere poterit. Rogemus dominum. &c.

DOMINICA SECVNDA POST EPIPHANIAM, EVANGELIVM, IOANNIS. 2.

IN illo tempore, Nuptiæ factæ sunt in Chana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus & discipulis eius ad nuptias Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum. Vinum non habent. Et dicit ei Iesus, Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris, Quodcunque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Iesus. Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis Iesus. Haurite nunc & ferte archiriclino. Et tulerũt. Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & nõ sciebat vnde esset: ministri autem sciebant qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus. & dicit ei. Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. Hoc fecit initium signorum Iesus in Chana Galilææ, & manifestauit gloriom suam & crediderunt in eum discipuli eius.

HOMILIA PRIMA.

NVptias factas hîc Ioãnes in Euãgelio prædicat in Chana Galilææ. Nuptias verò Ambrosi⁹ inde dictas vult, quod pudoris gratia se puellæ obnuberent, id est, velarent. Si quidem verecundia præire debet. Discite ergo inquit, virgines, quemadmodum seruetis verecundiam, ne intecto capite prodeatis ante extraneos. Exemplum & typũ eius verecũdiæ Li. 1. c. 9. 30. q. 1. c. nec illud.

Gene. 2.4 habetis Rebeccam, quæ iam desponsata Isaac, viso sponso sibi obuiante, descendens de camelo, tolénsque citò pallium suum, operuit se. Vnde etiam Iudæi morem istum in hunc vsque diem traxêre, vt apud eos sponsæ dum inthronizarentur, caput velarent cum facie. Sed & ethnicis idem in vsu fuisse: vt hoc ipsum nuptiarum satis declarat vocabulum. Verùm hîc nostræ videant virgines, quæ si quando desponsantur, dici non potest, quàm proteruæ sint, quàm petulanter lasciuiant: an non tum Iudæorum tum Gentillium virgines, ipsis multò fuerint & honestiores & magis pudicæ? Multis hæc inducit Ambrosius, quibus volens supersedeo. At cuius hæ fuerint nuptiæ, licet non exprimat textus, communiter tamē earum sponsus fuisse creditur Ioannes Euangelista, sicut & hystoria docet scholastica, & ipse Hieronymus in prologo super Ioannem dicit, Hic est Ioannes Euangelista vnus ex discipulis domini, qui virgo à deo electus est, quem de nuptiis volentem nubere vocauit deus. Testatur idem beatus Augustinus in prologo super eundem Ioannem. Iste, inquiens, est Ioannes quem dominus de fluctiuaga nuptiarum tempestate vocauit, & cui matrem virginem virgini cómendauit. Quòd si ergo Ioannem à nuptiis vocauit Christus, qui tamen in nullis, nisi istis nuptiis fuisse legitur, vtique hinc euidenter colligitur, has ipsas Ioannis fuisse nuptias, ad quas ideo etiā inuitata est Maria, tanquam ex cognatis eius generis proxima, soror enim erat matris Ioannis. Sed & qua semper fuit honestate & conuersatione sanctissima, ad nuptias illas non venisset, neque se multitudini hominum adiunxisset, nisi spōsus sibi fuisset sanguinis coniunctione proximus, sicut & cognatam suam visitauit Elizabeth, quanuis frequentius videri in publico ei displicebat, quamuis sola in intimis, vt ait Ambrosius, penetralibus versabatur, magísque in solitariis locis orationi dedita morabatur. Sed quod illud quidam ex eo reiicere conantur, quoniam Ioannes iam antè vocatus sit ad apostolatum, Matthæi 4. & Lucæ 5. Neque iam velut post aratrum retrospexerit, de vxore & coniuge cogitans, nihil omnino probat, quia falso innititur fundamento, nuptias nimirum à vocatione factas apostolorum, quæ multò antè sunt habitæ, nondum in carceres coniecto Ioanne. Cuius rei magnū hoc argumentum est quod nuptiis istis iam hîc, capite secundo Ioannis descriptis, demum capite tertio narratur, quomo-

Hierony. | Augustin. | Luce. 1. | Ambrosi.

do Ioannes nundum vtique captiuus baptizarit in Ennon. *Ioan. 3.*
Hinc fit, vt omnino persuadeat credendum esse sanctissimis illis doctoribus Hieronymo & Augustino, qui nisi hoc ipsum ex vetustioribus accepissent, non illud vtique confidenter adeò professi essent. Quòd si illud ita esset, sicut equidem non dubito, corrueret funditùs istud temerarium hęreticorum nostratium figmentum, dum pertinaciter negant illud ecclesiæ *Nota.* statutum, licere vt coniugum alter post coniunctionem etiam solénem in facie ecclesię factam, antequam tamen matrimonium sit consummatum, dimisso altero possit monasterium ingredi, habitúmque & vitam religiosorum suscipere, Si quidem idipsum planè Christus hìc cùm Ioanne fecisset, eum ab institutis iam nuptiis auocando, quod & deinceps in sancto *ca. Verum* Machario factum est, & sancto Alexio: vt sic bene & equissimè sanxerit ecclesia constitutionem illam. *de conuer si coniug.*

2 Deinde quærunt hìc doctores, quando tandem & nuptiæ illæ factæ sint, & tantum hoc à Christo exhibitum miraculum? Vbi respondendum est, ab omnibus ferè id Christianis esse creditum, sexta Ianuarij factum id esse, ita vt vno eodémque die Christus & adoratus sit à magis, & à Ioanne baptizatus, & aquam deinceps verterit in vinum: annis tamen diuersis. & quibus quidem hæc singula contigerint annis, Augustinus & Chrysostomus in ea sunt sententia, vt putent Chri *Augustin.* stum tredecim iam dies natum adoratum à Magis, & deinde *Chrysosto.* post annos triginta baptizatum, cúmque annorum esset triginta vnius & dierum tredecim, ex aqua demum fecisse vinum Id si ita esset, sequeretur Christum duos tantum annos cum dimidio prædicasse publicè, deinde mortuum fuisse. Alij autem doctores ferè omnes, cum dicat Christum annos tres & dimidium prædicasse, consequenter asserunt cum anno ætatis vicesimonono baptizatum esse, & tricesimo deinde miraculum illud fecisse. Sed quocunque modo se res habeat cũ annis illis, quia nobis huc parum deseruit, parum curamus: quãdo satis est hoc scire nos, tria illa maximè & insignia & memorabilia facta vno die licet annis contigisse diuersis. Et ita *Ecclesia.* catholica firmiter credit ecclesia, sicut & in hodierna canit *Matt. 13.* antiphonã, Hodie cælesti sponso iuncta est ecclesia, hodie in *Matth. 2.* Iordane lauit Christus nostra crimina, currunt cũ muneribus *Ioann. 2.* Magi ad regales nuptias, & ex aqua facto vino lætantur con- *Vbi supra* uiuæ. Et iterũ in alia antiphona, Tribus miraculis ornatũ dié

ſanctum colimus, hodie ſtella magos duxit ad præſepium, hodie vinum ex aqua factum eſt ad nuptias, hodie à Ioanne Christus baptizari voluit, vt ſaluaret nos. Satis magnus quoque teſtis nobis eſt beatus Maximus in ſermone de Epiphania dicens, In hac dilectiſsimi celebritate, ſicut relatu paternæ traditionis inſtruimur, multiplici nobis eſt feſtiuitate lætandum: ferunt enim Christum dominum noſtrum ſtella duce à gentibus adoratum, & inuitatum ad nuptias, aquas in vina vertiſſe. Et ſuſcepto baptiſmo à Ioanne, conſecraſſe, fluenta Iordanis, ſuúmque ſimul purificaſſe baptiſtam. Et ex illo triplicem ſolennitas illa nomenclaturam ſortita eſt. nam & Epiphania, & Theophania, & Bethphania dici ſolet.

Maximus.

3 Porrò iam Euangelium affuiſſe mariam, ſed & Ieſum & diſcipulos vocatos ad nuptias teſtatur. Vbi Chryſoſtomus inuitatam eſſe Mariam dicit, non vt matronam magnificam, ſed ex propinquis cognatam, ſimiliter & Chriſtum. iam enim ſuprà diximus Ioannem ſororis Mariæ filium fuiſſe. Inuitati autem ſolebant matronæ etiam honeſtæ, quæ ſponſæ aſsiderent, vt ea ex illis & egregiam diſciplinam, & honeſtiſsimos quoſque addiceret mores, Qui nunc quoque in multis locis mos obſeruari ſolet, vt mulieres natu grãdiores, non iuuenculæ, collocentur ad ſponſam. Meritò itaque inuitata eſt etiam Maria, cùm & ſpeculum eſſet omnis honeſtatis, & vltrò amicis ſeruire parata ſemper fuerit, ſicuti cum feſtinatione tranſiit montana, vt inſeruiret Elizabeth.

Chryſoſto.

¶ Sed iam audire videor aliquem muſsitantem, quî fieri potuerit illud commodè, vt hîc Chriſtus cum ſuis diſcipulis dicatur inuitatus fuiſſe ad nuptias, & tamen iam paulò antè dictum ſit, nuptias iſtas ante vocationem apoſtolorum factas eſſe? Huic ego reſpondeo, verum eſſe, nuptias has ante vocationem celebratas: & quãuis iam cum quibuſdam conſuetudinem contraxerat Chriſtus, puta cum Andrea, Philippo, Petro & Natanaële: neminẽ tamen illorum etiam vel in apoſtolorum vel in diſcipulorum numerum & functionem aſſumpſerat. Et quòd hîc diſcipuli appellantur, illo more fit loquẽdi, quo dicimus apoſtolum Paulum in Tarſo Ciliciæ eſſe natum: neque enim tunc iam erat apoſtolus, ita diſcipulos inuitatos ad nuptias cùm audimus, non iam diſcipulos, ſed qui futuri erant diſcipuli, intelligere debemus. Hæc Auguſt. de conſ. euan. lib. 2. c. 17. Cyrillus quoque Chriſtum inuitatum

Ioan. 1. *Auguſti.* *Cyr.llus.*

esse perhibet diuina quadam prædestinatione, venisséq; miraculi potiùs quod acturus erat, quàm conuiuij gratia. Verum hîc doctrinā huiusmodi colligūt doctores sancti,& honestum esse& laudabile amicos vicinósque bonos inuitare ad nuptias:conuiuas etiam accipere nōnūquam,& cū eis lætari: quoniam illud semper à piis hominibus obseruatum est, & ab ipso adeò Christo: qui non satis esse duxit, si ad nuptias inuitatus veniret,nisi insuper effusiorē hospitū lætitiam,in vinū quoque verteret aquā:in vinū,inquam,nō illud tenue, sed nouissimū. Regnum insuper cœlorū cóparauit regi, nuptias *Mat. 22.*
paranti filio suo,seruósque mittenti,qui inuitatos vocarent. Ita fecit Raguël in nuptiis Tobiæ, duas pingues vaccas, & *Tob. 1.*
arietes quatuor occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis suis cunctísq; amicis. De lōge quoque ad nuptias suas inuitauit Tobias Gabelum ex ciuitate Rages, qui & venit cum *Gene. 29*
angelo Raphaële. Sed & Laban amicorum turbā magnā inuitauit ad nuptias patriarchæ Iacob cum filia sua. Quid quod Assuerus etiam rex grande fecit cōuiuiū cunctis principibus & pueris ad nuptias Hester? Nec minus in scripturis fundatum est, eos qui ad nuptias vocati sunt honestè & splendidè vestitos esse debere: quando credendum non est, temerè regem illum improperasse isti, qui ad nuptias venerat vestem nō habere nuptialem. Ita & Ioannes, Vidi,inquit, ciuitatem *Apo. 12.*
Hierusalē nouam,descendentē de cœlo, à deo paratam, sicut sponsam ornatam viró suo. Sed & apud Esaiam, Viuo ego, *Esa. 49.*
dicit dominus,quia omnibus iis velut ornamento vestieris,& circumdabis tibi eos quasi sponsa. Et apertiùs aliquātò deinceps. Induit me dominus vestimento salutis, & indumēto iu- *Esa. 61.*
stitiæ circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Ex quibus sanè scripturis constat, sponsum & sponsam pro suarum fortunarum conditione decenter & honestè vestiri debere: & ipsos quoque hospites ad nuptias inuitatos, splendidiùs paulò vestitos esse oportere. Quomodo legimus etiam cum seruus Abrahæ missus esset, vt Rebeccam filio domini sui Isaac adduceret *Gene. 24.*
vxorem,prolatis ille vasis argenteis & aureis,ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque eius & matri dona obtulit. Initóque conuiuio, vescebantur & bibebāt. Verùm hæc quæ iam diximus de nuptialibus gaudiis omnia, de cibo & potu, de saltationibus, vestibus, & omni ornamen-

torum apparatu, intelligenda sunt cum sale, cum mediocritate & disciplina: ne quid hîc quoque nimis, ne fiat quod quidã Epicuri de grege porci in nuptiis faciunt, eas sua compotatione & ebrietate tantũ dehonestantes. Ne nimius sit in vestitu apparatus, & plus pendeat sumptus in vestibus, quam sit domi reliquũ in ædibus. Et in summa, circũstantias illas quæ ad honorũ dignitatem pertinent, non decet excedere, nec aliquo modo deum ad iram prouocare, sed illum præ oculis sem-

Tob. 9. per habere: sicut factum est in sanctissimis illis Tobiæ nuptiis, quibus honestum scriptura præbet testimonium, dicẽs, Accesserunt ad conuiuium, & cum timore domini nuptiarũ conuiuium exercebant. Factum id quoque est in augustissi-

Hest. 1. mo illo Assueri regis conuiuio: de quo sic ait scriptura, Non erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sic rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis; vt sumeret vnusquisque quod vellet. Aliter iam lõgè fieri solet, cùm alius alium cogit & vrget, cum vaccino more bibitur. Et quanuis multa sint contrà compotationes inuulgata edicta, nulla tamen flagitium tam insigne pœna consequitur. Verùm quod nemo animaduertit, in causa est, quod & ij qui tanta mandata edunt, & qui eorundem sunt præfecti, iudices aut quæstores, illi nimirum ipsi potatores sunt maximi. Sed me iam hoc tam impudens compotandi flagitium, pudere facit & silere, vt plura de eo horream dicere.

Coniugij dignitas. ¶ Ex multis adhuc rationibus hanc quoque assignant doctores, cur Christus ad has venire nuptias voluerit, quòd hoc ipso suo exẽplo matrimonium voluit cõfirmare. Nouerat enim

Matt. 19. iam tunc, vt ait sanctus Augustinus, venturos quosdam, qui parum honestas nuptias, nec satis bonum iudicarent esse matrimonij statum: cum tamen contrariũ huius adeò sit verum, vt & coniugium ex deo, & quælibet coniugum separatio existat & proficiscatur ab authore diabolo. Idque adeò vt verum esse probaret, ipse sua præsentia nuptias honestauit Christus.

Gene. 1. & quemadmodum in paradiso iam creato homine, primum instituit matrimoniũ: ita cũ redimendo venisset homini natus homo, primum suum voluit in nuptiis edere miraculum.

1. Tim. 4. Futuros autem qui coniugium prohiberent, iam olim Paulus habuit ex spiritu sancto & præsciuit: cũ diceret, Spiritus manifestè dicit, quia nouissimis temporibus discedent quidam, a fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorũ

in hypocrisi loquentium mẽdacium,& cauteriatã habẽtium suam conscientiam,prohibentium nubere. Venisse etiam illos deinceps,testatus est ex multis B.Augustinus de Tatianis & Adamitis:Tertullianus quoque aduersus Marcionem. *Augustin.*

¶ Errorem hunc sua Christus in nuptiis præsentia satis cõfutauit, & priusquam veniret, iam sustulit,volens ita huiusmodi suorũ miraculorum initio,conuersationis nostræ secũdum carnem sanctificare exordium:quod ordinatè & debitè fit in matrimonio.vnde hîc coniugalis cõmendatur castitas & pudicitia, ipsúmque adeò collaudatur magnum matrimonij sacramentum, tanquam à deo institutum,ordinatũ & velut insitum:quod & ideo in omni honestate est suscipiendum, cùm coniuges præ foribus templi copulantur & benedicuntur:nulla ibidem temeritas,nulla exercẽda leuitas est, sed piè magnum illud omnipotẽtis dei opus considerandum,imploranda quoque cum sacerdote est Spiritus sancti gratia. Est enim hîc,quòd cum stupore quodam nec sine reuerentia admiremur immensum illud cõsilium sapientiámque ineffabilẽ dei,qui tam pius & misericors esse voluit generi humano, tam prouidens pro omnibus nobis, vt ipsa hominis creatione vinculum institueret voluntariũ, fortiùs tamen & firmiùs multò naturali vinculo,Quod an non fortissimum erat inter patrẽ & filium,matrẽ & filiam, adeò vt Imperator dicere vetitus non sit. Quis affectus extraneus talis inueniatur, vt vincat paternum: vel cui alij credendum est res liberorum gubernandas,parentibus derelictis!&c. Et rursus in alio loco,Hæc,inquit, quæ diximus ad edictum pertinere, nihil interest,in se quis vetitus sit,an in liberis suis, cùm pro affectu magis in liberis parentes terreantur. Patuit in hoc Dauide, cui filius fuit Absalon,nihil parcẽs etiam patri,quin eũ multis modis offenderet,fratrem insuper proprium occidit, patrem ipsum suis exegit finibus & solio,contra eundẽ pugnare non timuit: ad extremum capillis quos habebat pulcherrimos,ex arbore pẽdens,transfossus occubuit. Quod cum resciuisset Dauid,non dixit meritò hæc illi accidisse, quoniam peccasset in parentem,sicque aduersus semetipsum concitasset iram dei: quin potius contristatus ascendit in cœnaculũ portæ,& fleuit:sicque loquebatur vadens, Fili mi Absalon, Absalon fili mi!Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te! Absalon fili mi,fili mi Absalon!Et si ergo illud naturæ vinculũ

L.Cum furiosus C.de curat fur. & prod. l. isti quidem ff.de eo quòd metus caus.

2.Reg.18.

sit inter parentes & liberos fortissimum, insitum tamen est à deo aliud vinculum coniugale, quantumuis voluntarium illud, attamen naturali isto longè firmius, sicut & Adam spiritus sancti instinctu dicebat ad Euam, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ. Vt igitur aliquando concludam & finiam, institutum coniugium est officium naturæ, peccati & concupiscentiæ medicina, insigne bonum hominum ciuilis societas, plæclarum Christianæ ecclesiæ sacramentum. Dominus deus dignetur omnibus illis qui in sancto coniugali statu degunt, aquam etiam illam laboris & angustiæ vertere ac mutare in dulcedinem & suauitatem vini, tum consolationis, tum recreationis: vt & ipsi post hanc vitam, vitā consequantur æternam. Hoc illis nobisque simul largitor bonorum omnium largiatur deus, Amen.

Gene. 2.

HOMILIA II.

NVptiæ factæ sunt in Chana Galilææ, & vocatus est Iesus ac discipuli eius. Erat autem & mater Iesu ibi. Nullam hîc mentionem facit Euāgelista ipsius Ioseph, vnde doctores colligunt eum iam fuisse mortuum. Siquidem absque eo Maria ad nuptias ventura non erat. Verum nos sermoni iam præcedenti rationes aliquot indicauimus, cur ad nuptias illas venerit Christus, quarum prima erat, vt ab illis sponsum ad virginitatis statum vocaret, cui nobiliorem etiam virginē matrem suam in cruce erat commendaturus. Secunda, vt generationis nostræ exordiū sanctificaret, Tertia, vt sic quoque Tatiani aliorúmque cōfunderet hæreticorum errores. Quarta, vt & ipse dei filius coniugium confirmaret in terris, quod pater suus cœlestis instituerat in paradiso. Quinta, vt qui ad nuptias vocati erant, sui deinceps futuri discipuli, in eum crederent. Postrema, vt honesta gaudia lætitiámque competentē disceremus in nuptialibus quærere conuiuiis.

¶ Solent hîc plerumque multa dici de sacramēto matrimonij, eā tu materiā requires in sermonibus de sacramētis: nūc enim circa explanationē euangelij tātum lubet insistere. Ait autem Euangelista, Deficiēte vino, dicit mater Iesu ad eum, Vinum non habent. Vnde sponsi simul & sponsæ facilè colligitur paupertas, cùm eis etiam vinum defecerit, & tamē nō dedignatus est ad eos venire Christus, nullo modo mensam

etiam

etiam pauperũ contemnens: vt hinc & nos disceremus, amicos etiam pauperes nõ despicere, sed eorũ etiam inopiam in optimam partẽ accipere, nec ideo eos cõtemnere quód pauperes sunt. Elegit enim & ipse deus pauperes in hoc mundo, diuites in fide & hęredes regni. Vos autem, inquit deinde apostolus, exhonorastis pauperem. Quod etiam sapientissimus ille Ecclesiastes conqueritur dicens, Quomodo sapiẽtia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita? At Christus hic ad pauperes venit, quibus vinum non suppetebat. & cùm aliâs sæpe inuitatus fuerit, nusquam tamen conuiuas adeò exhilarauit, vt eis vinum tam nobile ex aqua faceret. *Iaco. 2.* *Eccle. 9.*

2 Liquet etiam hinc apertè, sponsum illum seu sponsam sanguine iunctos fuisse Mariæ: cur enim aliâs anxia adeò & solicita fuisset ex vini defectu? fuit ergo ea cognatis proxima, & vt antè ex Hieronymo & Augustino probatum est matris sponsi soror. Mitto ego hîc, quód quidam dicũt pene nullum affuisse in conuiuio vinum, nondum tamen planè defecisse, ita vt Maria ex hoc solicita & condolens sponso ac spõsæ, defectum indicarit Christo, priusquam omnino vinum deesset. Satis est hoc, certum nobis esse ex interpretatione doctorum, nondum omnibus constitisse hospitibus hunc vini defectum, quod & sequentia verba domini satis declarant.

¶ Sed iam mirari fortè aliquis posset, quo tandẽ animo hæc ad Christum dixerit Maria. An quasi petitura ex illo miraculum in ipsis adeò nuptiis: & cum antea nullum ab eo vidisset, vnde nunc demum venit in mentem matri, aliquid magnum cogitare de filio? inquit Chrysost. Respondent ad hoc doctores sancti, Mariam non hoc dixisse Christo velut ignaro, quando & ipsa inscitia nõ erat, illum nihil latere. Tãtùm ergo hoc ei indicauit ex cõpassione, qua pauperculis illis cõdolebat. Et quanuis hactenus ab eo miraculum nullum petierat, dum ambularet hîc & conuersaretur vt homo: tamen cùm iam baptizatum esse eum cognouerat, miracula etiam quæ ibidem contigerunt, audierat: & quomodo illi testimonium perhibuisset Ioannes, cogitare apud se potuit, Nunc iam tempus imminet, cùm dominus meus naturam quoque illam suam diuinam est manifestaturus, siquidem eum hæc maxima posse, minimè dubitauit: & sicut omnia conseruauerat in corde suo, ita illud etiam angeli verbum diligenter retinuerat, quò filius suus in natura filius dei esset: qua- *Chrysost.* *Matt. 3.* *Luc. 2.*

Lucæ 1. propter illi forent omnia possibilia. Conseruauerat illa quo-
Matt. 2. que, quæ pastores in die natiuitatis suæ dixerāt. Nec iā obli-
ta erat, quoniam stella tres magos ab oriente vsque ad casam
suam duxerat, Ex iis omnibus diuinitatem eius satis agnouit.
Sed & accedente iam cœpta illius manifestatione in baptis-
mo & testimonio Ioannis, nec immaturū, nec præter tempus
erat illud quod Christo Maria defectum vini significauit.
Quanuis hoc verum est, eam habuisse spiritum sanctum: vn-
de etiam omniscia non fuit, sicut iam antè Lucas illam dixit,
verbum istud domini non intellexisse, An nesciebatis quòd
in iis quæ patris mei sunt credere tamen firmiter decet om-
nem Christianum, Christū non permisisse charissimam ma-
trem aliquando labi in aliquem errorem. Aliud enim est, non
scire, aliud errare, Quomodo idiota nescire aliquid potest
sine incōmodo, doctus verò hæreticus errat suo maximo ma-
lo & incommodo. Et quo tandem degredimur? sapientissima
omnium quæ vnquam in mundo vixêre fœmina Maria illa
Eccle. fuit, de qua meritò canit Ecclesia, Virgo prudentissima, quo
progrederis, quasi aurora valdè rutilans? Filia Sion, tota for-
mosa & suauis es, &c. Et honestè igitur & verecundè amico-
rum suorum in nuptiis egestatem domino proposuit, dicens,
Vinum non habent. Non ex illo vinum petebat, sed ne mira-
culum quidem: tantùm necessitate ostensa, rem totā suæ re-
linquebat sapientiæ, omnipotentiæ & charitati: quibus modis
consulendū foret conuiuis. Tria itaque hîc sunt obseruanda
in Maria. Primò, ingens illa Mariæ misericordia, quoniā cō-
dolebat amicis quorū illis nuptiis res agebatur, ne fortè de-
fectus ille vini in eorum redundaret ignominiā. Vnde discāt
diuites non inuidere pauperibus, si quando & ipsi lautiùs vi-
ctitent & vinum bibant. Ecce enim hîc Christus vinum po-
tiùs ex aqua fecit eis, quā vt deficerent vino, & illud quidem
Mariæ precibus. Aut cur nō interdū impleretur etiam illud
Psal. 21. Dauidis in Psalmo, Edent pauperes, & saturabūtur, & lauda-
bunt dominū? Quāuis nō est quod nostris nūc tēporibus ni-
mium hîc soliciti simus: per se enim isti abliguriunt & absu-
munt turpiter quicquid habent, proh dedecus! De quo aliâs.
Secundo, obseruādū hîc quoq; venit, qua dignitate Christum
coluerit Maria, dū nihil ei imperauit, nihilque eū facere ius-
sit. Tertiò, summa illius in Christum hîc deprehēditur fidu-
cia: cōfidebat enim illum, si modò amicorum expenderet ne-

cesſitatem, magnúmque cõfuſionis periculum, eos nõ derelicturũ, vbi per occaſionẽ liceret. Simili confidentia ſorores illæ Maria & Martha ad dominum miſere, dicentes, Domine, ecce quẽ amas, infirmatur. Neque illum venire & ſanare Lazarum iuſſere, hac in illũ cõcepta fiducia, vt ſi neceſsitatem tantùm cognoſceret ipſe, qua eſſet diuina ſapientia, rebus ſuccurrere noſſet. Et hæ ſanè duæ imperfectæ adhuc fidei mulieres (quod ex Ioanne clarè colligitur) cùm hac fuerint in Chriſtum confidentia tanta, quantò magis credendum eſt Mariã, cuius fideles, vt ipſa quoq; tota pulchra erat, & ab omni indubitationis macula puriſsima, immenſa quandam erga chariſsimum filium fiducia dixiſſe, Vinum non habent! Quæ ferè catholicorũ doctorũ omnium vniuerſalis ſententia eſt. *Ioan.11.*

¶ Liberet hîc, ſi liceret modò, meam quoque attexere ſentẽtiam, ſaluo tamen meliori ſemper iudicio, quicquid enim adduco nouum, nolim me pertinaciter in illo proprio meo inſiſtere ingenio. Multis modis in ſcriptura video ſanctos quoque maxima feciſſe miracula, dum adhuc viuerent, ſicut cùm Petrus claudum ſanaret, Ananiam quoque & Saphitam ſubita morte affligeret, AEneam paralyticum viribus & ſaluti reſtitueret, ipſámque adeò Thabitam reſuſcitaret à morte, & cæte. Quæres iam, vnde illud ſubitò adeò Petro ſubierit in mẽtem, tam inuſitato ſibi exemplo ſanare infirmos, mortuóſque ſuſcitare? Nõ vtique fecit illud temeritate aliqua & præſumptione, ſiquidẽ memor adhuc erat, quã infeliciter ſibi ſemel antea ceſsiſſet temerarius ſuus cõtra verbum domini auſus, cùm cõfidenter ſe non negaturum illum polliceretur. Hinc fit, vt cõmunis hæc ſit ſententia, neminem ſanctorum, ac ne hîc Petrum quidem, aliquod feciſſe miraculũ, niſi præuia motione ſpiritus ſancti, qui eos ad illud impulerit. Alias ſanè extremæ eſſet temeritatis, hominem tantum ſibi arrogare gratiæ diuinitùs, vt claudo diceret, Surge & ambula, illéque ſanatus exiliret: niſi ibi præcurreret certa quædã & ea interna promiſsio, à ſpiritu ſancto proficiſcens, vnde randem cõfidentiam ille ſibi ſumeret miraculum operari. Ex iis iam argumentum illud mihi colligo, Si nullum omnino ſancti dei facere miraculũ, niſi ante à ſpiritu ſancto idipſum inſpirante facere iuſsi, multò minus Maria miraculum ex Chriſto petiiſſet, ſi non antehac per inflatum ſpiritus ſancti, & ipſa ad id petendũ eſſet vocata. Qualitercũq; autem *Quomodo ſancti miracula pri mũ ſubierint.* *Act.3.* *Act.5.* *Act.9.* *Matt.26*

se res habeat, certum est, Mariam ex cōpassione & cōmiseratione solita domino indicasse, quòd iam vinū non haberent.

2 Christi iam in Euangelio sequitur responsio ad verba matris, Quid mihi & tibi mulier? Nondum venit hora mea, Hoc illud verbum Christi, Chrysostomus cæterique doctores ita accipiunt, non quòd ille matrem duriter & contemptim increparit, siquidem preceptū legis suæ de honore parētum, perfectissimè omniū seruauerit. Iam verò Maria aliud nisi quod suarum erat partium, non fecit: siquidem decebat vt incepturo iam domino officium illud suum operandi miracula, mater quoque illius intercedendo munus suū inchoaret. Verè enim illa aduocata nostra est, sicut in salutatione illius canit Ecclesia, Eia ergo aduocata nostra. Hoc illud suū sanctum & sublime officiū sanctissima virgo hodie primum cœpit exercere, & adhuc in cœlo exercet pro omnibus illis, qui se fideliter & piè inuocant. Cùm itaque suum illa tantum officium fecerit, sibi ex gratia diuina in rem tamen totius generis humani collatum, non erat ob id à Christo duriùs increpanda. Sed neque verba ista cum duritie quadam, sed mãsuetudine legenda sunt & pronuncianda, Quid mihi & tibi est mulier? hoc est, nec tuum illud est, nec meum curare: curent hoc qui ad istud delegati sunt munus, vt architriclini neque enim mea adhuc imminet hora, Et cùm miracula ad diuinam fiant gloriam manifestandam, necdum constat omnibus deficere vinum: tu quoque tempus expecta, dum omnibus innotescat: & tunc miraculum vires suas habebit, gloriãque declarabit diuinam, homines quoque ad fidem adducet. Qui sanè intellectus vt per se simplex, ita facilimus est. Verùm S. Augustinus, qui suo quodam perpetuo more aquilam illã in sublimia cœlorum euolantē sequitur, in altum & ipse enitens, uerba hæc quoque ad summū quendam intellectū adducens, principio erroneum aliquorū sensum declinat, putãtium Christum animo obiurgãdi hîc cum matre locutū, quasi illa immeritò istud ex eo petierit. Id adeò falsum esse, vel sequens textus satis arguit: profectò enim si Christus petitionem illam matris recusasset implere, & ob id eam obiurgasset velut iniquè petentem, quid opus fuerat Mariam committere seruis, vt quod ille iuberet, diligenter implerent? Quid quòd nec ipse Christus miraculum illud fecisset, si ad matris preces facturum se abnegasset? Ad quod rationem

Chrysosto. *Exo. 21.* *Maria aduocata nostra.* *August.*

pulchram inducit Aug. cur hæc Christi verba nihil erga matrem acerbitatis habeant? siquidem quis crederet Christũ in hoc ad nuptias venisse honorandas, vt dehonestaret matrem, cùm tamen omnes ideo peragantur nuptiæ, vt per illas producantur liberi, sintque qui patrẽ honorent & matrẽ. Oportet ergo, inquit Augustin. sensum hìc latere occultum, cuiusmodi ferè hunc ille præbet ad verbum. Dominus noster Iesus Christus & deus erat & homo: secundum quod deus erat, matrem nõ habebat: secundum quod homo, habebat matrem. Mater ergo erat carnis, mater infirmitatis, quã suscepit propter nos. Miraculum ergo quo facturus erat, non secundum infirmitatem, sed secundum diuinitatem operabatur. ad omnipotentiam enim pertinet dei, rerum substantias & naturas vno transmutare momento. Exigebat ergo miraculũ mater, at ille tãquàm nõ agnoscit viscera humana, operaturus facta diuina, velut dicens, Quod in me facit miraculum, nõ tu genuisti, diuinitatẽ meã tu non genuisti: sed quia genuisti infirmitatem meam: tunc te cognoscam, cùm ipsa infirmitas pendebit in cruce. hoc est enim, nũdum venit hora mea, quæ cum venerit, dicã, Mulier, ecce filius tuus. ¶ Ita ille respõdit Mariæ, vt discerneret in fide, quid nobis de eo esset credendum secundum naturam vtranque. Id si scissent Iudæi, potuissent respondere Christo, Cùm interrogaret eos, quomodo filius Dauidis esse posset Christus, quem ille tamen dominum suũ appellasset, dicens, Dixit dominus domino meo. Et sic intellectum quem hìc dat Christus, si habuissent vidissentque. Iudæi, dicere potuissent, Messiam filium esse Dauidis, secũdum humanitatem, & tamen eundem dominum ab illo vocatum secũdum diuinitatem: & id quoque patet, quomodo Christus filius Mariæ sit vt homo: & dominus illius, quia deus. Nec est quod cogites Christum hìc matrem suam abnegasse Mariam. tantùm enim ostendit nondum venisse horam, vt eam agnosceret: siquidem opus hìc facturus erat suæ diuinitatis. At pati, pendere ex cruce, derideri, contemni, mori, hæc nimirum illa sunt, quæ corporis erant Christi ex matre assumpti. Non habent itaque aliquod hìc Manichæi fundamentũ, quo impium suum probent errorem, Christum nec corpus nec sanguinem habuisse verum: ideóque & dixisse, Quid mihi & tibi est mulier? quod isti sic intelligere voluerunt, quasi diceret, Nihil ex te habeo, carnẽ nullã, nullumq; sanguinem.

Exo. 20. *August.* *Ioan. 19.* *Matt. 22.* *Psalm. 109* *Manichei.*

Qui sensus & falsus & planè est hæreticus. Idē enim ille euãgelista, qui verba hæc descripsit, ad Mariam in eodem hoc capite dicit, Erat mater Iesu ibi. Si itaque mater eius illa fuit, & si ex ea natus est, iuxta verbum angeli, carnem etiam ab ea habuit & sanguinem, aliâs frustra quoque fuisset, quòd mulier de turba extolleret vocem, dicens, Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. si Maria non vera mater eius fuisset, sicut ibidem in homilia subtiliter arguit Beda.

Ioan. 2. *Lucæ 1.* *Lucæ 11.* *Beda.*

¶ Inniti voluerunt huic fundamento & Genethliaci, ex motu siderum iudicare volentes, quæ in libera cuiusque consistunt voluntate, atque ideo certa expectantes tempora & horas, quas eligant operi incipiendo commodiores, sui erroris occasionem & defensionem ex illis verbis Christi sumentes, Nondum venit hora mea vnde dicunt Christum quoque elegisse horam iuxta siderum constitutionem, quam expectarit facturus ex aqua vinum. Verùm hoc multùm præiudicat gloriæ Christi: qui, quia verus erat deus, atque adeò cœlorum omnium, solis quoque & lunæ & siderum dominus, cur astra expectasset, vt ab illis sui operis accipere rationem? Vt igitur quilibet Christianus nimium se non intromittat in practica Genethliacorum, & tamen nobilissimas illas dei creaturas, qua sunt creatæ dignitate & sublimitate, non contemnat. Super hac materia iustam & integram huic loco lubet adiungere homiliam, eamque aliis locis semper habere repetitam.

HOMILIA III.

ADVERSVS GENETHLIACOS ET *astrologos diuinatores.*

IVxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere: quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt, dicit dominus deus per Hieremiam prophetam. Verùm ego hîc primo statim loco testatum volo, nihil me hic dicturum contra illã per se honestã scientiã astronomiam: quæ vt est in se vera, ita nusquã nec in literis sacris nec vllis legibus seu canonibus prohibita, quum ex cæteris artibus liberalibus & ipsa sit non postrema: quam, qui magistri dici gaudent & volunt, meritò scire debent, quum faciat plurimum etiam ad diuinæ maiestatis omnipotentiam contemplandam: profectò enim non nisi summo cõsilio optimus ille tam stupendæ machinæ conditor, tot cœlos, suúmque cuilibet planetæ

Hiero. 10. *Astromia.*

orbem,& capacissimum illum stellis fixis omnibus communem fabricatus est. Stellas porrò illas & orbes omnes suo cursu motúque ordine discreuit elegātissimo. vnde variæ & innumeræ proficiscūtur mutationes, nō diei tātum & noctis, verum etiam æstatis, hyemis, veris & autumni, pluuiæ, niuis, humiditatis, siccitatis, caloris quoque & frigoris apparent manifestissime. In illa quoque tāti operis pulcherrima creatione dixit deus, Fiāt luminaria in firmamento cœli, & *Genes. I.* diuidāt diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies, & annos: vt luceāt in firmamento cœli, & illuminent terram. Id apertissimè in luna deprehendes, quæ & motu & lumine in dies mutatur: quod quanuis cæteri quoque faciāt planetæ, in luna tamen hoc clariùs, quàm in aliis discere poterit quilibet idiota. Háncque admirandam tot cœlorum ordinationem admiratus subinde est Iob. Non est enim quod *Iob 9.* colliges in eodem orbe lunam esse, in quo sol est, illámque vno mense totū percurrere cœlum, non secus ac piscis maris recessus permeat. Non sic sanè, sed sicut planetæ cæteri, ita suum luna quoque orbem obtinet, qua motum proprium conficit, atque ideo quum in scripturis vndique de multis cœ *Psal. 148* lis mentio fit, tum verò maximè Dauid, Laudent, inquit, dominum cœli cœlorum. Multi ergo sunt cœli, non tamen hîc loquor de supremo illo cœlo beatitudinis, quod vnicum tantum est: sed & de cœlorū multitudine, plura in præsentiarū dicere supersedemus: quia sicut Sapiens ait, Difficile æsti- *Sapien. 9.* mamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inueni- *Diogenes. Laer.* mus cū labore. Quæ in cœlis sunt autem quis inuestigabit? Vt rectè nimis anus illa domestica cum Thalere egerit, qui cum nimirum ex cœlo penderet, futurorum omnium rationes inde colligens, aliquādo etiā domū egressus contemplādorum siderū causa, in subiectā fossam incidisset, illa petulāti probo dixit, Qua ratione quæ in cœlis sunt, comprehensurum te arbitraris, qui ea quæ sunt ante oculos, videre non vales? ¶ Secundò loco profiteor quoque me inficias non ire, deū optimum maximū plurimas & varias virtutes, admirandas etiam operationes stellarū simul concreasse, illísque infudisse. Verum ex his paucissimæ homini sunt cognitæ, deóque authori potissimum perspectæ, de quo Dauid canit, Qui nu- *Psal. 146.* merat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocans. Vera autem rebus singulis nomina à suis imponuntur

proprietatibus. Occultas quoque illas stellarum proprietates solus, qui & cōdidit, cognoscit deus, ideóque ibidē sequitur in Psalmo, Magnus dominus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius nō est numerus. Et quãuis naturaliter philosophi in communi virtutem nó ignorárūt cœli, propriam tamē & peculiariter determinatam cuiusque stellæ cognitionem & operationem veram nō agnouerūt, sicut dicit Aristoteles, Ex necessitate mūdus iste cōtinuus est superioribus lationibus, vt omnis virtus ipsius inde gubernetur. Fatetur idipsum quoque beatus Augustinus, nō vsquequaque absurdè dici posse, ad solas corporum differētias afflatus quosdam valere sideros, sicut in solaribus accessibus & decessibus videmus, etiam ipsius anni tempora variari: & lunaribus incremētis atque decremētis augeri & minui quædam rerum, sicut echinos & cōchas & mirabiles æstus oceani: non autem & animi voluntates positionibus siderum subdi. Vnde patet, neque ipsum Augustinum sideribus adimere, quod illis causa tribus naturalis, nec scriptura reiicit sacra. Potest ergo aliquis iuxta cœli lunæque motum proscindere agros, ligna secare ad ædificādū, exhibere catapotia & medicinas, incidere venā, mēbra morbida resecare, calculū quoque curare aut excindere, arbores plātare, seminare, vites amputare, &c. In omnibus illis & huiusmodi quibusdā aliis possunt agri colæ, hortulani & medici, cæteríque tum signa feliciora, tum motum attēdere lunæ, quæ fere humidorū domina, corporum quoque imperat incremētis. Ita & Augustinus in epistola ad Ianuarium, Non, inquit, quisquam sapiēs arbitretur obseruatores temporum reprehendendos, qui dicunt, Non proficiscar hodie, quia tempestas exorta est, &c. Vel si qui forte alij naturales effectus circa motum aëris & humoris ad variandas temporum qualitates, ex siderum ordinatissima conuersione notati sunt, de quibus dictum est, cū cōderentur, Vt sint in signa, & tempora, & dies, & annos.

Lib. 5. de ciui. ca. 6

Augusti.

Gene. 1.

3 Cùm itaque ex illis iā assignatis rationibus influentiæ, tam stellarū quam cœli motus, operationes naturales multas habeat hîc in terris, in rebus maximè corporalibus, non malè fit vtique, si quādo quis ex astrologiæ peritia, vel iudicio rationabili, vel lōga experientia aliquid futurū in cōmune saltem prædicere possit: sicut ex ventis nautæ, ex aliis innumeris signis pastores coligunt, & agricolæ, quæ experti

sunt ipsi,diuinãtes vel aëris vel imminentem futuræ hyemis temperiem.Quomodo Christus ipse apud Matthæum, Facto,inquit,vespere,dicitis,serenum erit, rubicũdum est enim cœlum . Et mane,hodie tempestas,rutilat enim triste cœlũ. Huiusmodi sanè signa,quorum pleraque descripsêre philosophi,nec illicita sunt,neque prohibita.Et sic,si quatuor anni partes non ex sua naturali proprietate sunt dispositæ,facilè fit,vt hinc corruptus & insalubris sequatur aër, vnde morbi prodeũt,defectus & incommoda frugũ, pecudũ mortes,atque id genus alia mala:vt sic sapientes, & in sua singuli præcellentes arte,prædicere queant quomodo futuris temporibus & annis res habebũt circa segetes, fructus,tempestates,morbos,&c ¶ Et sine dubio qui veram haberet astrologiæ notitiã,hinc illa quoque cognita omnia essent . Verùm vt nũc sunt nostri seculi homines & astrologi , plerique errãt.Accepta enim alicuius practica,in eo loco pluuię serenitatem tu semper ponito,& ecõuerso: & elapso anno,totidem aut plures fortè dies videbis te melius assignasse quã practicũ illũ.Rationes autem cur isti ita plerumque aberrent , ex multis quædam sunt illæ,id est, quòd illam sibi prouinciam sumunt plurimi,in arte illa nec exercitati,nec periti. *Matt. 16.* *Astrologi cur fallãtur.*

2 Quòd nõ intra iustos professionis suæ se limites continent.sed ex temeritate alij,alij etiam per ambitionem plura quàm ars complectitur audent,prophetæ iamiam futuri, omniáque futura annũciaturi,vt ab omnibus laudentur,maximíque habeãtur. 3 Nimirum quoque ad particularia descendunt, cùm tamen & stellæ & cœlum causæ quædã sint vniuersales,influentias quoque tantùm habeant vniuersales,sicut eos meritò ob id increpat Augustinus. *Augusti.*

4 Et quia plurimæ adhuc restãt stellæ, quarum influentiæ astrologis sunt incognitę,fit vt dũ illi iudicium ex signo aut stella aliqua sibi colligũt,ignorent tamen an ĩfluxus ille per aliud signũ vel astrũ queat impediri.Et hinc lapsus & error.

5 Quid quòd ipsi inter se non concordãt astrologi, adeò vt vnius stellę alij alias ponant significationes: quod vir doctissimus Picus duodecim complexus libris satis docuit, erroréisque eorũ & implicatissimas retexit diuersitates Quod vniuersus etiam satis expertus est Christianismus anno gratiæ 1524. cùm in Februario magna illa fieret coniunctio Saturni & Martis in signo aquatico pisciũ, & aliæ adhuc quin- *Picus.* *Annus. 1524.*

decim coniunctiones plerique omnes fore prædixerunt diluuium, aut certè aliam aquarum exudationem immensam, adeò vt iam quosdam plane persuasissent homines ineptos & stolidos, habitationes sibi comparare in montibus, naues conficere, farinam, panes cæteráque asseruare necessaria. Huiusmodi quædam minabātur plerique Italiæ & Galliæ astrologi. Verùm imminente tempore, ne imber quidem exiguus comparauit, taceo diluuium. Et si in re tam generali, si in tam magna coniunctione duorum planetarum, in negocio tam apud eos certo & indubitato, tā insigniter lapsi sunt, colligere quisque potest, quid eis dandum sit fidei in aliis rebus & inferioribus & particularioribus.

4 Et sic ex prædictis omnibus manifestum est, posse Christianū citra conscientiæ suæ offensam obseruare sidera: non tamen in iis quæ sunt liberæ volūtatis, quasi hîc quoque necessitatis aliquid nobis ingerāt, imo in istis obseruanda cuique regula illa est à deo nobis per Sapientem tradita. Deus ab initio constituit hominem & reliquit illū in manu consilij sui, sicut aliâs ad longum declarabimus. Errant igitur quotquot iuxta significationem siderū oportere omnia contingere homini putant, quasi illa hominem cogerent. Quāuis hoc naturaliter cōcedi potest, quod magnū plurimúmq; sidera habent influxum in corpus, illud alterando, variásque tum constitutiones, tum dispositiones, in eodem exercendo: & quia sensibilis illa animæ vis corporeis vtitur membris, secundum quorum naturam & dispositionem ipsa quoque mouetur, & deinceps animæ virtus illa & potentia intellectualis à sensibili agitatur, admitti id quoque potest, per accidens saltem & mediate in animam hominis agere stellas, eásque sic hominem vehementer inclinare ad illud quo mouet influxus. Inconcussum tamen hîc & firmum manere volumus, quod dicitur, Astra inclinant, non necessitant. Quòd & astrologorū omnium princeps Ptolemæus testatur, verbis quidem diuersis, re tamen & sententia non absimili, dicens. Vir prudens dominabitur astris. Exemplis res hæc non pauló facilior erit & apertior. Si quis vel natura vel influentia cœlesti cholericus est, inclinatur iam hoc ipso ad iracundiam, vt sit præceps & celer ad omnia, &c.

Eccle. 19.

Virt⁹ stellarum.

Ptolemæ⁹

Lunatici. ¶ Experimur idem in lunaticis, qui cùm ad lunæ augmenta & decrementa ratione sua priuantur, eos nos exemplo do-

cẽt, per accidẽs tãtùm, quia per corpus cœlum & ſtellas in animam hominis agere poſſe: & quæ liberè à deo volũtati noſtræ ſunt relicta, nulla poſſe neceſsitate aſtra in nos quocũque agere impulſu. Et ideo quicunque ſtellas, dies etiam expectant & tẽpora, quibúſque horis matrimonium cõtrahã:, nuptias agãt, emãt vẽdántve, ædificare incipiant, exercitum ducant in aciem, veſtibus induãtur nouis, peregrè proficiſcantur, in ædes alias commigrent, aliorum ſe adiungãt ſocietatibus & commerciis, nuncios ableget, ſeruos conducant, venẽtur, piſcẽtur, atque huiuſmodi alia tum exordiantur, tum exerceant negocia, ſic vt in iis planetarum dies certos & horas expectent, temeraria id tantum faciant præſumptione, cultu quodam dæmoniorum, eóque idololatriæ proximo. Neque verò inferius illo eſt vel minus prohibitum, ex hora natiuitatis hominis alicuius, iudicare ea quæ non poſſunt influere ſtellæ: puta futurúſne ſit ille diues an pauper, doctus aut indoctus, ſpiritualis vel ſecularis, coniugẽ bonam an improbam, liberos etiam habiturus ſit paucos ſiue plures: nũ collapſurus ſit, vulnere ne ſaucius, an morbo elangueſcens, iuuenis item an ſenex, quoqúe mortis ſit genere moriturus. Hæc vt ſunt comprimis vetita, ita authorem habent diabolum, nobíſque ſe ingerũt ex innato iſto curioſitatis vitio, quod hæreditario more ex Eua contraximus, quæ eodem ſcelere decepta, nos ſecũ perdidit: ipſáque ſeducta fuit nõ Adã. Ab Eua itaque in nos iſta venit leuitas, iſtáque peruerſa cõcupiſcentia, vt quod dei proprium eſt, nobis quoque arrogemus, futura nimirum cognoſcere: inde diabolus maximis ferè quibúſque affectũ iſtum incutit, dicens ad eos ſicut ad Euam, Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. Mera hæc diaboli fallacia eſt, & magnatum potentúmque ſeductio: ſicut & Cicero teſtatur aſtrologos Iulio Cæſari, Pompeio item & Craſſo prædixiſſe, eos bona & cõfecta ætate, domi, ac in ſumma quidem gloria morituros. Sed id temerè falſi enĩ ſunt, vt & alij plerique principes atque duces, aſtrologorum freti iudicio, plurima infortunia ſuſtinuerunt.

Electio dierum. *Natiuitates.* *Geneſ.3.* *I.Ti.2.* *Gene.3.* *Cicero.*

¶ Quintò, nunc tandem ſcripturas ſacras, ſanctóſque patres, ſed & canonica patrũ decreta, quibus omnibus æquè ſuperſtitioſa iſta prohibita eſt ſcientia. Ecce enim per Eſaiam dominus ait ad Babylonios, Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laboraſti ab *Eſa.47.*

adolescentia tua, si fortè quid prosit tibi, aut si possis fieri for-
Septuag. tior. defecisti in multitudine consiliorum tuorum. stent &
Hieron. saluent te augures cæli, qui contemplabantur sidera (Septuaginta hîc interpretati sunt astrologos, meminit Hieronymus) & supputabant menses, vt ex eis annunciarent ventura tibi. ecce facti sunt quasi stipula, ignis conbussit eos, non liberabunt animam suam de manuflammę. Aut poterâtne deus apertiùs manifestiúsque artem istam prohibere, qua tota etiã
Hiere. 10. decepta est Babilonia? ideóque & per Hieremiam dicit dominus, Iuxta vias gentium nolite dicere, & à signis cæli nolite metuere, quæ timẽt gentes, quia leges populorum vanæ sunt.
Hierony, Quæ prophetæ verba exponenda Hieronymus, dicit illum ad uersus eos loqui qui venerantur cælestia, & quæ in signa sunt posita annorum, temporum mensium & dierum, ab iis æstimant regi genus humanum, & ex causis cælestiũ terrena mo-
Eccle. 34. derari: vt iam rectissimè dixerit Sapiens, Diuinatio erroris & auguria mendacia, & cætera, (loquitur de prædictione per
Galat. 4. auguria.) Paulus verò ad Galatas, Dies, inquit, obseruatis, & menses, & tempora, & annos: timeo, ne fortè sine causa laborauerim in vobis. Ecce hîc fatetur Apostolus periculum esse, nisi nimium obseruentur motus cælestes, euangelium sit frustra. sicut & omne genus augurum futuráque prædicentium
Deut. 18. in lege adhuc prohibuit deus, sicut patet in Deuteronomio &
Leui. 29. Leuitico. Quid quod Gentilis ille Iob iniquitatem maximã,
Iob. 38. imo & negationem contra deum altissimum esse credidit, nimium soli tribuere & lunæ?

¶ Parum quoque decretis idem vehementissimè prohibetur,
26. q. 2. & præcipuè in canone, illos planetarios, vigesima sexta, quæ-
Augustin. stione secunda: & sunt verba Augustini, dicentis. De planetariis, qui de singulis futuris requiruntur, quòd eos Christiana & vera pietas expellat & damnet. Deinceps quoque in cano-
Hierony. ne, sed & illud: quæ verba sunt Hieronymi. Est & illud opprobriũ Ægypti, obseruare auguria, inquirere stellarum cursus, & euẽtus ex iis futurorum rimari, cæterísque huiusmodi superstitióibus implicari. Idololatrię nãque mater est Ægiptus ex qua certum est opprobria huiusmodi pullulare. Præterea
c. ex tuarum. de sortile. Alexander pontifex maximus increpat sacerdotẽ, qui cũ quodam infami locũ priuatum accessit, nõ ea intẽtione vt vocaret dæmoniũ, sed vt inspectione astrolabij, furtũ cuiusdã ecclesiæ posset recuperari: licet proponeret se hoc zelo bono, &

ex simplicitate fecisse: pontifex tamen illud indicat grauissimum, eúmque non modicã inde peccati maculã contraxisse. Porrò in legibus quoque non min⁹ prohibita est mathematica. C. de maleficis, & mathematicis. l. artem. non illa quæ in quatuor artes deducitur liberales, eásque & honestissimas & scitu dignissimas, sed ista diuinatrix. Ideóque Imperator Cõstantinus. L. nemo aruspicem. C. eo. Nemo, inquit, aruspicem consulat aut Mathematicũ, nemo ariolum. Quapropter quilibet pius & qui verè esse vult Christianus, diuinatores istos & mendacissimos prophetas vitare debet, iuxta diuinas, ecclesiasticas & Imperatorias sanctiones. *C. de mal. & mat.* *Constant.*

¶ Cæterum doctores sancti vno velut ore omnes, omnibúsq; tẽporibus scientiã illã condẽnârunt, quos singulos hîc adducere & nimis longũ foret, & nõ parum molestũ. Age quosdã tamẽ & ex innumeris penè paucos saltẽ videamus. Chrysost. super Matthæũ, eos reiiciẽs, dicit Christũ artis huius errores & vanitates oẽs sua tantum natiuitate dissoluisse. Gregorius Nissenus in libro de fato, similiter refellit & cõfutat eos, qui ex stellis futura nobis intendunt cõstituere, ipsósq; vocat Genethliacos. Basilius verò cõgressione 6. die quarto. postquam verbis vsus fuerat astrologorum vaticinantium, quibus & illi ipsi vti consueuêre, subdit, In verbis huiusmodi magna quidem amentia, sed multò maior impietas continetur. Et hæc ex Græcis, ad Latinos venio, inter quos non postremus Ambrosius, Nonnulli, inquit, natiuitatum tentauerunt exprimere qualitates, qualis futurus sit vnusquisque qui natus sit: cum hoc non solum vanum & inutile quærentibus, sed & impossibile sit promittentibus. Probat hoc multis exemplis, inter alia dicit, Redẽpti sunt apostoli & congregati ex peccatoribus non vtique natiuitatis suæ hora, sed Christi eos sanctificauit aduentus, & hora dominicæ passionis redemit à morte. Comparat postremò sapientiam astronomorum telæ araneæ. Sanctus Hieronym. quoque super Esaiam ait, Isti qui supputant menses, annósque dinumerant, horârum etiam momenta librantes, futurorum scientiam pollicentur, dicant tibi quid super te Babylon dominus cogitauerit, illísque tacentibus, quid venturum sit prophetârunt. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis deuorauit eos, vt qui salutem aliis promittebant, sua ignorabant supplicia Et deinde super Sophoniam scribens, errorem appellat, scientiam fictitiam, quæ nec veritatis ali- *Chrysost. homil. 6.* *Nissenus. c. 2.* *Basilius.* *Ambr. 4. Hexã. c. 4.* *Hierony.* *Soph. 1.*

ſe res habeat,certum eſt, Mariam ex cōpaſsione & cōmiſeratione ſolita domino indicaſſe, quòd iam vinū non haberent.

2 Chriſti iam in Euangelio ſequitur reſponſio ad verba matris, Quid mihi & tibi mulier? Nondum venit hora mea. Hoc illud verbum Chriſti, Chryſoſtomus cæterique doctores ita accipiunt, non quòd ille matrem duriter & contemptim increparit, ſiquidem preceptū legis ſuæ de honore parētum,perfectiſsimè omniū ſeruauerit.Iam verò Maria aliud niſi quod ſuarum erat partium, non fecit: ſiquidem decebat vt incepturo iam domino officium illud ſuum operandi miracula,mater quoque illius intercedendo munus ſuū inchoaret. Verè enim illa aduocata noſtra eſt, ſicut in ſalutatione illius canit Eccleſia,Eia ergo aduocata noſtra. Hoc illud ſuū ſanctum & ſublime officiū ſanctiſsima virgo hodie primum cœpit exercere,& adhuc in cœlo exercet pro omnibus illis, qui ſe fideliter & piè inuocant.Cùm itaque ſuum illa tantum officium fecerit,ſibi ex gratia diuina in rem tamen totius generis humani collatum, non erat ob id à Chriſto duriùs increpanda. Sed neque verba iſta cum duritie quadam, ſed māſuetudine legenda ſunt & pronuncianda, Quid mihi & tibi eſt mulier?hoc eſt,nec tuum illud eſt, nec meum curare:curent hoc qui ad iſtud delegati ſunt munus, vt architriclini neque enim mea adhuc imminet hora, Et cùm miracula ad diuinam fiant gloriam manifeſtandam, necdum conſtat omnibus deficere vinum:tu quoque tempus expecta,dum omnibus innoteſcat:& tunc miraculum vires ſuas habebit,gloriāque declarabit diuinam, homines quoque ad fidem adducet. Qui ſanè intellectus vt per ſe ſimplex, ita facilimus eſt. Verùm S. Auguſtinus,qui ſuo quodam perpetuo more aquilam illā in ſublimia cœlorum euolanté ſequitur, in altum & ipſe enitens,uerba hæc quoque ad ſummū quendam intellectū adducens,principio erroneum aliquorū ſenſum declinat,putātium Chriſtum animo obiurgādi hic cum matre locutū,quaſi illa immeritò iſtud ex eo petierit. Id adeò falſum eſſe, vel ſequens textus ſatis arguit: profectò enim ſi Chriſtus petitionem illam matris recuſaſſet implere, & ob id eam obiurgaſſet velut iniquè petentem,quid opus fuerat Mariam committere ſeruis, vt quod ille iuberet, diligenter implerent? Quid quòd nec ipſe Chriſtus miraculum illud feciſſet, ſi ad matris preces facturum ſe abnegaſſet? Ad quod rationem,

Chryſoſto.

Exo. 21.

Maria aduocata noſtra.

Auguſt.

pulchram inducit Aug.cur hæc Christi verba nihil erga matrem acerbitatis habeant? siquidem quis crederet Christū in hoc ad nuptias venisse honorandas, vt dehonestaret matrem, cùm tamen omnes ideo peragantur nuptiæ, vt per illas producantur liberi, sintque qui patrē honorent & matrē. Oportet ergo, inquit Augustin. sensum hîc latere occultum, cuiusmodi ferè hunc ille præbet ad verbum. Dominus noster Iesus Christus & deus erat & homo: secundum quod deus erat, matrem nō habebat: secundum quod homo, habebat matrem. Mater ergo erat carnis, mater infirmitatis, quā suscepit propter nos. Miraculum ergo quo facturus erat, non secundum infirmitatem, sed secundum diuinitatem operabatur. ad omnipotentiam enim pertinet dei, rerum substantias & naturas vno transmutare momento. Exigebat ergo miraculū mater, at ille tāquàm nō agnoscit viscera humana, operaturus facta diuina, velut dicens, Quod in me facit miraculum, nō tu genuisti, diuinitatē meā tu non genuisti: sed quia genuisti infirmitatem meam: tunc te cognoscam, cùm ipsa infirmitas pendebit in cruce. hoc est enim, nūdum venit hora mea, quæ cum venerit, dicā, Mulier, ecce filius tuus, ¶ Ita ille respōdit Mariæ, vt discerneret in fide, quid nobis de eo esset credendum secundum naturam vtranque. Id si scissent Iudæi, potuissent respondere Christo, Cùm interrogaret eos, quomodo filius Dauidis esse posset Christus, quem ille tamen dominum suū appellasset, dicens, Dixit dominus domino meo. Et sic intellectum quem hîc dat Christus, si habuissent vidissentque. Iudæi, dicere potuissent, Messiam filium esse Dauidis, secūdum humanitatem, & tamen eundem dominum ab illo vocatum secūdum diuinitatem: & id quoque patet, quomodo Christus filius Mariæ sit vt homo: & dominus illius, quia deus. Nec est quod cogites Christum hîc matrem suam abnegasse Mariam. tantùm enim ostendit nondum venisse horam, vt eam agnosceret: siquidem opus hîc facturus erat suæ diuinitatis. At pati, pendere ex cruce, derideri, contemni, mori, hæc nimirum illa sunt, quæ corporis erant Christi ex matre assumpti. Non habent itaque aliquod hîc Manichæi fundamentū, quo impium suum probent errorem, Christum nec corpus nec sanguinem habuisse verum: ideóque & dixisse, Quid mihi & tibi est mulier? quod isti sic intelligere voluerunt, quasi diceret, Nihil ex te habeo, carnē nullā, nullumq; sanguinem.

Exo. 20. *August.* *Ioan. 19.* *Matt, 22.* *Psalm. 109* *Manichei.*

Qui sensus & falsus & planè est hæreticus. Idē enim ille euāgelista, qui verba hæc descripsit, ad Mariam in eodem hoc capite dicit, Erat mater Iesu ibi. Si itaque mater eius illa fuit, & si ex ea natus est, iuxta verbum angeli, carnem etiam ab ea habuit & sanguinem, aliâs frustra quoque fuisset, quòd mulier de turba extolleret vocem, dicens, Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. si Maria non vera mater eius fuisset, sicut ibidem in homilia subtiliter arguit Beda.

Ioan. 2. *Lucæ 1.* *Lucæ 11.* *Beda.*

¶ Inniti voluerunt huic fundamento & Genethliaci, ex motu siderum iudicare volentes, quæ in libera cuiusque consistunt voluntate, atque ideo certa expectantes tempora & horas, quas eligant operi incipiendo commodiores, sui erroris occasionem & defensionem ex illis verbis Christi sumentes, Nondum venit hora mea vnde dicunt Christum quoque elegisse horam iuxta siderum constitutionem, quam expectarit facturus ex aqua vinum. Verùm hoc multùm prçiudicat gloriæ Christi: qui, quia verus erat deus, atque adeò cœlorum omnium, solis quoque & lunæ & siderum dominus, cur astra expectasset, vt ab illis sui operis accipere rationem? Vt igitur quilibet Christianus nimium se non intromittat in practica Genethliacorum, & tamen nobilissimas illas dei creaturas, quæ sunt creatæ dignitate & sublimitate, non contemnat. Super hac materia iustam & integram huic loco lubet adiungere homiliam, eamque aliis locis semper habere repetitam.

HOMILIA III.

ADVERSVS GENETHLIACOS ET *astrologos diuinatores.*

IVxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere: quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt, dicit dominus deus per Hieremiam prophetam. Verùm ego hîc primo statim loco testatum volo, nihil me hic dicturum contra illā per se honestā scientiā astronomiam: quæ vt est in se vera, ita nusquā nec in literis sacris nec vllis legibus seu canonibus prohibita, quum ex cæteris artibus liberalibus & ipsa sit non postrema: quam, qui magistri dici gaudent & volunt, meritò scire debent, quum faciat plurimum etiam ad diuinæ maiestatis omnipotentiam contemplandam: profectò enim non nisi summo cō silio optimus ille tam stupendæ machinæ conditor, tot cœlos, suúmque cuilibet planetæ

Hiero. 10. *Astromia.*

orbem,& capacissimum illum stellis fixis omnibus communem fabricatus est. Stellas porrò illas & orbes omnes suo cursu motúque ordine discreuit elegãtissimo. vnde variæ & innumeræ proficiscũtur mutationes, nõ diei tãtum & noctis, verum etiam æstatis, hyemis, veris & autumni, pluuiæ, niuis, humiditatis, siccitatis, caloris quoque & frigoris apparent manifestissime. In illa quoque tãti operis pulcherrima creatione dixit deus, Fiãt luminaria in firmamento cœli, & diuidãt diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies, & annos: vt luceãt in firmamento cœli, & illuminent terram. Id apertissimè in luna deprehendes, quæ & motu & lumine in dies mutatur: quod quanuis cæteri quoque faciãt planetæ, in luna tamen hoc clariùs, quàm in aliis discere poterit quilibet idiota. Háncque admirandam tot cœlorum ordinationem admiratus subinde est Iob. Non est enim quod colliges in eodem orbe lunam esse, in quo sol est, illámque vno mense totũ percurrere cœlum, non secus ac piscis maris recessus permeat. Non sic sanè, sed sicut planetæ cæteri, ita suum luna quoque orbem obtinet, qua motum proprium conficit, atque ideo quum in scripturis vndique de multis cœlis mentio fit, tum verò maximè Dauid, Laudent, inquit, dominum cœli cœlorum. Multi ergo sunt cœli, non tamen hîc loquor de supremo illo cœlo beatitudinis, quod vnicum tantum est: sed & de cœlorũ multitudine, plura in præsentiarũ dicere supersedemus: quia sicut Sapiens ait, Difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cũ labore. Quæ in cœlis sunt autem quis inuestigabit? Vt rectè nimis anus illa domestica cum Thalere egerit, qui cum nimirum ex cœlo penderet, futurorum omnium rationes inde colligens, aliquãdo etiã domũ egressus contemplãdorum siderũ causa, in subiectã fossam incidisset, illa petulãti probo dixit, Qua ratione quæ in cœlis sunt, comprehensurum te arbitraris, qui ea quæ sunt ante oculos, videre non vales? ¶ Secundò loco profiteor quoque me inficias non ire, deũ optimum maximũ plurimas & varias virtutes, admirandas etiam operationes stellarũ simul concreasse, illísque infudisse. Verum ex his paucissimæ homini sunt cognitæ, deóque authori potissimum perspectæ, de quo Dauid canit, Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina voçans. Vera autem rebus singulis nomina à suis imponuntur

Genes. 1. *Iob 9.* *Psal. 148* *Sapien. 9.* *Diogenes. Laer.* *Psal. 146.*

proprietatibus. Occultas quoque illas stellarum proprietates solus, qui & cōdidit, cognoscit deus, ideóque ibidē sequitur in Psalmo, Magnus dominus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius nō est numerus. Et quāuis naturaliter philosophi in communi virtutem nō ignorārūt cœli, propriam tamē & peculiariter determinatam cuiusque stellæ cognitionem & operationem veram nō agnouerūt, sicut dicit Aristoteles, Ex necessitate mūdus iste cōtinuus est superioribus lationibus, vt omnis virtus ipsius inde gubernetur. Fatetur idipsum quoque beatus Augustinus, nō vsquequaque absurdè dici posse, ad solas corporum differētias afflatus quosdam valere sideros, sicut in solaribus accessibus & decessibus videmus, etiam ipsius anni tempora variari: & lunaribus incremētis atque decremētis augeri & minui quædam rerum, sicut echinos & cōchas & mirabiles æstus oceani: non autem & animi voluntates positionibus siderum subdi. Vnde patet, neque ipsum Augustinum sideribus adimere, quod illis causa tribus naturalis, nec scriptura reiicit sacra. Potest ergo aliquis iuxta cœli lunæque motum proscindere agros, ligna secare ad ædificādū, exhibere catapotia & medicinas, incidere venā, mēbra morbida resecare, calculū quoque curare aut excindere, arbores plātare, seminare, vites amputare, &c. In omnibus illis & huiusmodi quibusdā aliis possunt agricolæ, hortulani & medici, cæteríque tum signa feliciora, tum motum attēdere lunæ, quæ fere humidorū domina, corporum quoque imperat incremētis. Ita & Augustinus in epistola ad Ianuarium, Non, inquit, quisquam sapiēs arbitretur obseruatores temporum reprehendendos, qui dicunt, Non proficiscar hodie, quia tempestas exorta est, &c. Vel si qui fortè alij naturales effectus circa motum aëris & humoris ad variandas temporum qualitates, ex siderum ordinatissima conuersione notati sunt, de quibus dictum est, cū cōderentur, Vt sint in signa, & tempora, & dies, & annos.

Lib. 5. de ciui. ca. 6

Augusti.

Gene. 1.

3 Cùm itaque ex illis iā assignatis rationibus influentiæ, tam stellarū quam cœli motus, operationes naturales multas habeat hîc in terris, in rebus maximè corporalibus, non malè fit vtique, si quādo quis ex astrologiæ peritia, vel iudicio rationabili, vel lōga experientia aliquid futurū in cōmune saltem prædicere possit: sicut ex ventis nautæ, ex aliis innumeris signis pastores colligunt, & agricolæ, quæ experti

sunt ipsi, diuinātes vel aëris vel imminentem futuræ hyemis temperiem. Quomodo Christus ipse apud Matthæum, Facto, inquit, vespere, dicitis, serenum erit, rubicūdum est enim cœlum. Et manè, hodie tempestas, rutilat enim triste cœlū. Huiusmodi sanè signa, quorum pleraque descripsêre philosophi, nec illicita sunt, neque prohibita. Et sic, si quatuor anni partes non ex sua naturali proprietate sunt dispositæ, facilè fit, vt hinc corruptus & insalubris sequatur aër, vnde morbi prodeūt, defectus & incommoda frugū, pecudū mortes, atque id genus alia mala: vt sic sapientes, & in sua singuli præcellentes arte, prædicere queant quomodo futuris temporibus & annis res habebūt circa segetes, fructus, tempestates, morbos, &c ¶ Et sine dubio qui veram haberet astrologiæ notitiā, hinc illa quoque cognita omnia essent. Verùm vt nūc sunt nostri seculi homines & astrologi, plerique errāt. Accepta enim alicuius practica, in eo loco pluuię serenitatem tu semper ponito, & ecōuerso: & elapso anno, totidem aut plures fortè dies videbis te melius assignasse quā practicū illū. Rationes autem cur isti ita plerumque aberrent, ex multis quædam sunt illæ, id est, quòd illam sibi prouinciam sumunt plurimi, in arte illa nec exercitati, nec periti. *Matt. 16.* *Astrologi cur fallātur.*

2 Quòd nō intra iustos professionis suæ se limites continent: sed ex temeritate alij, alij etiam per ambitionem plura quàm ars complectitur audent, prophetæ iamiam futuri, omniáque futura annūciaturi, vt ab omnibus laudentur, maximéque habeātur. 3 Nimirum quoque ad particularia descendunt, cùm tamen & stellæ & cœlum causæ quædā sint vniuersales, influentias quoque tantùm habeant vniuersales, sicut eos meritò ob id increpat Augustinus. *Augusti.*

4 Et quia plurimæ adhuc restāt stellæ, quarum influentiæ astrologis sunt incognitę, fit vt dū illi iudicium ex signo aut stella aliqua sibi colligūt, ignorent tamen an īfluxus ille per aliud signū vel astrū queat impediri. Et hinc lapsus & error.

5 Quid quòd ipsi inter se non concordāt astrologi, adeò vt vnius stellę alij alias ponant significationes: quod vir doctissimus Picus duodecim complexus libris satis docuit, erroresque eorū & implicatissimas retexit diuersitates Quod vniuersus etiam satis expertus est Christianismus anno gratiæ 1524. cùm in Februario magna illa fieret coniunctio Saturni & Martis in signo aquatico pisciū, & aliæ adhuc quin- *Picus.* *Annus. 1 5 2 4.*

decim coniunctiones plerique omnes fore prædixerunt diluuium, aut certè aliam aquarum exūdationem immensam, adeò vt iam quosdam planè persuasissent homines ineptos & stolidos, habitationes sibi comparare in montibus, naues conficere, farinam, panes cæteráque asseruare necessaria. Huiusmodi quædam minabātur plerique Italiæ & Galliæ astrologi. Verùm imminente tempore, ne imber quidem exiguus comparauit, taceo diluuium. Et si in re tam generali, si in tam magna coniunctione duorum planetarum, in negocio tam apud eos certo & indubitato, tā insigniter lapsi sunt, colligere quisque potest, quid eis dandum sit fidei in aliis rebus & inferioribus & particularioribus.

4 Et sic ex prædictis omnibus manifestum est, posse Christianū citra conscientiæ suæ offensam obseruare sidera: non tamen in iis quæ sunt liberæ volūtatis, quasi hîc quoque necessitatis aliquid nobis ingerāt, imo in istis obseruanda cuique regula illa est à deo nobis per Sapientem tradita. Deus ab initio constituit hominem & reliquit illū in manu consilij sui, sicut aliâs ad longum declarabimus. Errant igitur quotquot iuxta significationem siderū oportere omnia contingere homini putant, quasi illa hominem cogerent. Quāuis hoc naturaliter cōcedi potest, quod magnū plurimúmq; sidera habent influxum in corpus, illud alterando, variásque tum constitutiones, tum dispositiones, in eodem exercendo: & quia sensibilis illa animæ vis corporeis vtitur membris, secundum quorum naturam & dispositionem ipsa quoque mouetur, & deinceps animæ virtus illa & potentia intellectualis à sensibili agitatur, admitti id quoque potest, per accidens saltem & mediate in animam hominis agere stellas, eásque sic hominem vehementer inclinare ad illud quo mouet influxus. Inconcussum tamen hîc & firmum manere volumus, quod dicitur, Astra inclinant, non necessitant. Quòd & astrologorū omnium princeps Ptolemæus testatur, verbis quidem diuersis, re tamen & sententia non absimili, dicens. Vir prudens dominabitur astris. Exemplis res hæc non paulò facilior erit & apertior. Si quis vel natura vel influentia cœlesti cholericus est, inclinatur iam hoc ipso ad iracundiam, vt sit præceps & celer ad omnia, &c.

Eccle. 19.

Virt⁹ stellarum.

Ptolemæ⁹

Lunatici.

¶ Experimur idem in lunaticis, qui cùm ad lunæ augmenta & decrementa ratione sua priuantur, eos nos exemplo do-

cēt, per accidēs tātùm, quia per corpus cœlum & ſtellas in animam hominis agere poſſe: & quæ liberè à deo volūtati noſtræ ſunt relicta, nulla poſſe neceſsitate aſtra in nos quocūque agere impulſu. Et ideo quicunque ſtellas, dies etiam expectant & tēpora, quibúſque horis matrimonium cōtrahāt, nuptias agāt, emāt vēdántve, ædificare incipiant, exercitum ducant in aciem, veſtibus induātur nouis, peregrè proficiſcantur, in ædes alias commigrent, aliorum ſe adiungāt ſocietatibus & commerciis, nuncios ableget, ſeruos conducant, venētur, piſcētur, atque huiuſmodi alia tum exordiantur, tum exerceant negocia, ſic vt in iis planetarum dies certos & horas expectent, temeraria id tantum faciant præſumptione, cultu quodam dæmoniorum, eóque idololatriæ proximo. Neque verò inferius illo eſt vel minus prohibitum, ex hora natiuitatis hominis alicuius, iudicare ea quæ non poſſunt influere ſtellæ: puta futurúſne ſit ille diues an pauper, doctus aut indoctus, ſpiritualis vel ſecularis, coniugē bonam an improbam, liberos etiam habiturus ſit paucos ſiue plures: nū collapſurus ſit, vulnere ne ſaucius, an morbo elangueſcens, iuuenis item an ſenex, quoqúe mortis ſit genere moriturus. Hæc vt ſunt comprimis vetita, ita authorem habent diabolum, nobíſque ſe ingerūt ex innato iſto curioſitatis vitio, quod hæreditario more ex Eua contraximus, quæ eodem ſcelere decepta, nos ſecū perdidit: ipſáque ſeducta fuit nō Adā. Ab Eua itaque in nos iſta venit leuitas, iſtáque perverſa cōcupiſcentia, vt quod dei proprium eſt, nobis quoque arrogemus, futura nimirum cognoſcere: inde diabolus maximis ferè quibúſque affectū iſtum incutit, dicens ad eos ſicut ad Euam, Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. Mera hæc diaboli fallacia eſt, & magnatum potentúmque ſeductio: ſicut & Cicero teſtatur aſtrologos Iulio Cæſari, Pompeio item & Craſſo prædixiſſe, eos bona & cōfecta ætate, domi, ac in ſumma quidem gloria morituros. Sed id temerè falſi enī ſunt, vt & alij plerique principes atque duces, aſtrologorum freti iudicio, plurima infortunia ſuſtinuerunt.

Electio dierum. *Natiuitates.* *Geneſ. 3.* *1. Ti. 2.* *Gene. 3.* *Cicero.*

¶ Quintò, nunc tandem ſcripturas ſacras, ſanctóſque patres, ſed & canonica patrū decreta, quibus omnibus æquè ſuperſtitioſa iſta prohibita eſt ſcientia. Ecce enim per Eſaiam dominus ait ad Babylonios, Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laboraſti ab *Eſa. 47.*

adolescentia tua, si fortè quid profit tibi, aut si posſis fieri fortior. defecisti in multitudine consiliorum tuorum. stent & saluent te augures cæli, qui contemplabantur sidera (Septuaginta hîc interpretati sunt astrologos, meminit Hieronymus) & supputabant menses, vt ex eis annunciarent ventura tibi. ecce facti sunt quasi stipula, ignis conbusſit eos, non liberabunt animam suam de manuflammę. Aut poterâtne deus apertiùs manifestiúsque artem istam prohibere, qua tota etiā decepta est Babilonia? ideóque & per Hieremiam dicit dominus, Iuxta vias gentium nolite dicere, & à signis cæli nolite metuere, quæ timēt gentes, quia leges populorum vanæ sunt. Quæ prophetæ verba exponenda Hieronymus, dicit illum ad uersus eos loqui qui venerantur cælestia, & quæ in signa sunt posita annorum, temporum mensium & dierum, ab iis æstimant regi genus humanum, & ex causis cælestiū terrena moderari: vt iam rectisſimè dixerit Sapiens, Diuinatio erroris & auguria mendacia, & cætera, (loquitur de prædictione per auguria.) Paulus verò ad Galatas, Dies, inquit, obseruatis, & menses, & tempora, & annos: timeo, ne fortè sine causa laborauerim in vobis. Ecce hîc fatetur Apostolus periculum esse, nisi nimium obseruentur motus cælestes, euangelium sit frustra. sicut & omne genus augurum futuráque prædicentium in lege adhuc prohibuit deus, sicut patet in Deuteronomio & Leuitico. Quid quod Gentilis ille Iob iniquitatem maximā, imo & negationem contra deum altisſimum esse credidit, nimium soli tribuere & lunæ?

Septuag. *Hieron.* *Hiere. 10.* *Hierony.* *Eccle. 34.* *Galat. 4.* *Deut. 18.* *Leui. 29.* *Iob. 38.*

¶ Parum quoque decretis idem vehementisſimè prohibetur, & præcipuè in canone, illos planetarios, vigesima sexta, quæstione secunda: & sunt verba Augustini, dicentis. De planetariis, qui de singulis futuris requiruntur, quòd eos Christiana & vera pietas expellat & damnet. Deinceps quoque in canone, sed & illud: quæ verba sunt Hieronymi. Est & illud opprobriū Ægypti, obseruare auguria, inquirere stellarum cursus, & euētus ex iis futurorum rimari, cæterísque huiusmodi superstitióibus implicari. Idololatrię nāque mater est Ægiptus ex qua certum est opprobria huiusmodi pullulare. Præterea Alexander pontifex maximus increpat sacerdotē, qui cū quodam infami locū priuatum accesſit, nō ea intētione vt vocaret dæmoniū, sed vt inspectione astrolabij, furtū cuiusdā ecclesiæ posset recuperari: licet proponeret se hoc zelo bono, &

26. q. 2. *Augustin.* *Hierony.* *c. ex tuarum. de sortile.*

ex simplicitate fecisse: pontifex tamen illud indicat grauissimum, eúmque non modicā inde peccati maculā contraxisse. Porrò in legibus quoque non min' prohibit. est mathematica. C. de maleficis, & mathematicis. l. artem. non illa quæ in quatuor artes deducitur liberales, eásque & honestissimas & scitu dignissimas, sed ista diuinatrix. Ideóque Imperator Cōstantinus. L. nemo aruspicem. C. eo. Nemo, inquit, aruspicem cousulat aut Mathematicū, nemo ariolum. Quapropter quilibet pius & qui verè esse vult Christianus, diuinatores istos & mendacissimos prophetas vitare debet, iuxta diuinas, ecclesiasticas & Imperatorias sanctiones. *C. de mal. & mat.* *Constant.*

¶ Cæterum doctores sancti vno velut ore omnes, omnibúsq; tēporibus scientiā illā condénârunt, quos singulos hîc adducere & nimis longū foret, & nō parum molestū. Age quosdā tamē & ex innumeris penè paucos saltē videamus. Chrysost. homil. 6. super Matthæū, eos reiiciēs, dicit Christū artis huius errores & vanitates oēs sua tantum natiuitate dissoluisse. Gregorius Nissenus in libro de fato, similiter refellit & cōfutat eos, qui ex stellis futura nobis intendunt cōstituere, ipsósq; vocat Genethliacos. Basilius verò cōgressione 6. die quarto. postquam verbis vsus fuerat astrologorum vaticinantium, quibus & illi ipsi vti consueuêre, subdit, In verbis huiusmodi magna quidem amentia, sed multò maior impietas continetur. Et hæc ex Græcis, ad Latinos venio, inter quos non postremus Ambrosius, Nonnulli, inquit, natiuitatum tentauerunt exprimere qualitates, qualis futurus sit vnusquisque qui natus sit: cum hoc non solum vanum & inutile quærentibus, sed & impossibile sit promittentibus. Probat hoc multis exemplis, inter alia dicit, Redépti sunt apostoli & congregati ex peccatoribus non vtique natiuitatis suæ hora, sed Christi eos sanctificauit aduentus, & hora dominicæ passionis redemit à morte. Comparat postremò sapientiam astronomorum telæ araneæ. Sanctus Hieronym. quoque super Esaiam ait, Isti qui supputant menses, annósque dinumerant, horarum etiam momenta librantes, futurorum scientiam pollicentur, dicant tibi quid super te Babylon dominus cogitauerit, illísque tacentibus, quid venturum sit prophetârunt. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis deuorauit eos, vt qui salutem aliis promittebant, sua ignorabant supplicia Et deinde super Sophoniam scribens, errorem appellat, scientiam fictitiam, quæ nec veritatis ali- *Chrysost.* *homil. 6.* *Nissenus.* *c. 2.* *Basilius.* *Ambr. 4.* *Hexā. c. 4.* *Hierony.* *Soph. 1.*

Gregor. quid habeat, nec solidum fundamentum. Sanctus Gregorius in Homilia Epiphaniæ, eundē errorem hæresi adscribit Priscillianistratum, stultitiam vocat, & obiicit eis gemellos istos Esau & Iacob, qui sub eodem sidere nati, per omnem ferè vitā suā in omnibus rebus & operibus fuere dissimilimi, alterque

Gemini. pessimus, alter bonus extitit. Et si de geminis respondeant astrologi, quod in vno puncto nec concipiantur, nec nascantur, ipsaque adeò sideris constellatio semper immutetur: vicissim eis obiicimus, si tam momētaneo quodanmodo per singula puncta tantum mutantur astra, qua tandem ipsi solertia possint punctū illud certum inquirere? quod cū nesciāt simul etiā iudiciū cōstitutum de pueri natiuitate ferre nō possunt.

August. ¶ Sed iam pene Augustinum præterierā, qui subinde in plurimis locis eosdem validissimè reiicit, ad præcipuè in li. de

Li.3.c.18. quæst. noui & veteris testamenti, vbi dicit. Nihil tam contra Christianos, quàm si arti matheseos adhibeant curam, hæc enim inimica dignoscitur legi dei, hanc ipsam astutia & subtilitas inuenit diaboli. Deinde hortatur omnes homines cauere sibi ab hac arte: quæ eos solicitos tantum facit, suspensósque tenet, vt quæ sunt incerta expectent. Sed & toto libr. 5. de

Lib. 4. ciuitate dei. & libri. 2. super Genesim, & libri. confessionum, eandem reiicit, atque in 2. de doctrina Christiana, capite 21. sic inquit, Genethliaci, quanuis veram stellarum positionem, cū quisque nascitur consectentur, & aliquando etiam peruestigent, tamen quod inde conantur vel actiones nostras, vel actionum euenta prædicere, nimis errant, & vendunt imperitis hominibus miserabilem seruitutem. Et capite vicesimo secūdo, Ex hac notatione valle nascentium mores, actus, euenta prædicere, magnus error & magna dementia est. Deinceps concludendo caput, dicit, Opiniones istæ quibusdam rerum signis humana præsumptione institutis, ad eadem illa, quasi quædam cum dæmonibus pacta & conuenta, referendæ sunt. Capite verò 23. sic ait, Omnes huiusmodi artes vel nugatoriæ vel noxiæ superstitiones, ex quadam pestifera societate hominum quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt repudienda & fugienda Christiano. Idē quoque in Homilia 6. de Epiphania, vocat hanc artem stultitiam sacrilegam & indoctā, in qua vani homines de genituris ho-

S. Sebastianus. minum, quicquid opinantur, loquuntur. Quid quòd sanctissimus ille martyr Sebastianus coram Cromatio præfecto Ro-

mano, vanam illam planetariorum validiſsimè confutauit ſcientiam. neque id tantùm, illum inſuper ſanare noluit, niſi confracto aſtrolabio, indicaret quam eſſet ars iſta incertiſsima, deo & aduerſa, & planè contraria.

¶ Neque vero deſunt, qui obgániant & oblatrent ſubinde, vt ſcientia hæc contẽnatur, fieri tamen multa quæ prædicunt aſtrologi, vt iá illa non ſit omnino vel nulla, vel inutilis. Iis ergo reſpondeo, artem hòc ipſo non probari, quòd illi nonnunquam aliquid verè prædicunt, quanuis id quoque implicatè nimis magíſque obſcurè, quam veteres ſua proponebant oracula. Iam enim dicunt, periculum eſſe, ne quod hęc minantur aſtra, hoc vel illo modo eueniat, niſi propitiũ aliquod ſiue Iouis ſiue Veneris ſidus impediat. Aliâs verò dicũt, hæc & id genus, alia quædam euentura, ita vt ſemper queant in vtranque partem torquere, quod prænunciant. Itaque credi ideo arti oportere, quòd alicubi quod ipſi prædixere euenerit, & periculoſum eſt, & planè nihili, id enim ex ſacris literis conſtat, vbi de pſeudopropheta dicit dominus, Si ſurrexerit in medio tui prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentũ, & euenerit quod locutus eſt: & dixerit tibi, Eamus & ſequamur deos alienos quos ignoras, & ſeruiamus eis: non audias verba prophetæ illius & ſomniatoris, quia tẽtat vos dominus deus veſter, vt palam fiat vtrum diligatis eum an non, in toto corde & in tota anima veſtra. Ecce hic deus permittit etiam pſeudoprophetã ſeductorem prædicere futura. Quare id? En cauſa quoque adiuncta eſt, cur deus iuxta eorum prædictiones quædã ſinat euenire, vt nimirum ſic cõprobet deus, quiſnã fidẽ veram & charitatẽ erga ipſum habeat. ſiquidẽ pij & cõſtãtes Chriſtiani in nullo mouentur, etiamſi diuinator aliquis ſemel atque iterum quippiam verè prædixerit; & viciſsim in aliis centum aberrarit, vt fidem illi præbeat, aduerſus diuinas, pontificias & Cæſareas leges. Aliã adhuc rationem reddit Auguſtinus, vnde fiat quod inter tot mendacia nonnunquam aliquid verè vaticinentur, dicens, id fieri aſtutia & calliditate diabolica, atque hoc gemina via. Alter, quoniã ex intellectus ſui ſubtilitate, longáque experientia, quæ futura ſunt prænoſcit: ídque dum alicui cultorum ſuorum inſpirat, huic aut alteri ſtellæ attribuit. Altera verò, vt ſi maximè quod futurum eſt, ignoret diabolus diuinator iſte tamẽ ex ſeipſo, vel etiam dæmonis inſtinctu, illud prædi-

Aſtrologi quomodo vera prædicant.

Deut. 13.

Auguſt

cat euenturum . omnem tunc mouet lapidem, nec quicquam relinquit intentatum diabolus, quantum ei permissum est a deo, vt procuraret istud fieri, quod suus Genethliacus prædixit, & ita faciliùs homines eò adducat, vt huic arti credant, per quam & seducantur.

¶ Sequitur hinc periculosum esse, aliquem vel sibi vel filio suo natiuitatẽ facere cõscribi, aut iudiciũ quodcunque. plerumque enim aliquid hîc mali latet, quòd si etiã aliás nõ eueniret, tamen iam prædictũ est, quia oĩbus viribus diabolus laborat vt fiat, & sic arti sue qualiscũque fides paretur. fit autem hoc iusto planè iudicio, vt qui deo parere recusabat & magistratui, semet Genethliaco vẽdens homini temerario, in geminũ incidat malũ: alterum, quod imminentis & quòd ipse præsciat incõmodi perpetua cura torquetur, quod eueniens etiã iã sustinendũ adhuc est quouis modo. Quisquis igitur sibi probẽ cauerit, is optimè fecerit. Et hæc quidẽ super proposita materia dictà sufficiant. Verũ adhuc duo paucissimis adiiciamus ꝓ admonitione cuilibet probo Christiano. Prius hoc. Quoniam cùm futurorum prænotio nihil planè est, etiã ea quæ ex astrologia (videtur autem illa plus habere & fidei & authoritatis) pendet, multò minus tribuendũ est cæteris perditissimis vetulis, furiis, & sagis, chiromanticis item, geomãticis, & id genus similibus nugatoribus, præstigias suas vel crystalo, vel membrana virginea, vel sedili quercino, vel pallio. &c. exercẽtibus, vel etiã per imagines fusiles, per schedas variis signis & characteribus inscriptas, per nomina quędã admirãda & inaudita, per fossas subterraneas, aut sublíminibus foribúsque ædium, paratas per manũ sinistram, hoc vel alio modo positam, per pilos aut sanguinem, & quod demum impium est, si huiusmodi quiddam sacris subiiciatur altaribus seu altarium tegumentis, vt sic super illo certus Missarum numerus legatur, in extremam dei sacramentorum ignominiã. Fuerit itaque illud ministrorum ecclesiæ, subinde circũspicere in Angariis & Kalendis Ianuariis maximè, in huiusmodi quiddã sub aris sit reconditum. Omnes enim istæ maligni hostis fraudes & versutiæ longè fugiendæ sunt: si quidem earum is vnicus machinator est & author, parans & instituens illas in perditionem hominum, & in ignominiam dei omnipotentis. Possem de singulis dicere copiosius, verum id parum profuerit, imo oberit plurimum, cùm sit periculum,

ne forte qui pusillanimes sunt, simpliciores ac infirmi, offendantur. Satis sit interim illud coronidis loco adiicere, non priuatos tantùm homines, qui huiusmodi oblectantur præstigiis, parum aut nihil habere fœlicitatis: sed & magnates ac principes, qui multis gaudent sibi electis natiuitatibus, minimum habere & fortunæ & victoriæ.

¶ Posterius illud, quod supra nos addituros recepimus, hoc est, quod hîc etiam cómemorat beatus Augustinus, se libros combusisse Genethliacorũ, idémque esse factum temporibus apostolorũ, sicut & Gelasius papa fecit anno domni quadringentesimo sexagesimo nono. Quibus modis autem libri temporibus apostolorum sint exusti, Lucas testatur, sic inquiens, Multi qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros & combusserunt eos coram omnibus:& computatis preciis illorum inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta milium. Sed & Theodosius statuit hæreticorum libros diligenter & inquirendos esse, publicè exurendos. & Valentinus quoque & Martianus ita constituerunt. Vltimo supplicio coerceantur, qui illicita docere tẽtauerint. Omnes verò huiusmodi chartę ac libri, qui funestum & hæreticum complexi fuerint dogma incendio concrementur. Hæc eo lubentius indico, quod quia & per pontificem maximum & catholicum nostrum imperatorem Carolum quintum, iustißimis & mandatis & commissionibus hæreticorum libri sunt combusti:idque in iniquum putârunt esse, nunc videant adeò illud esse æquum, vt & sanctis patribus & sanctißimis nostris præceptoribus sit vsurpatum apostolis.

Augusti.
Act. 19.
1. damnato. C. de hære tic. 1. quicunque. C. de hæret.

¶ Ex omnibus iam suprà iudicatis rationibus constat, nos non debere, quod ad liberi arbitrij nostri attinet opera, vllam dare fidem stellarum planetarúmque regimini: neque enim illud, sed ad mandata sua nos deus ire iussit cõsultatum, quæ nobis voluntatis suæ certißima sunt signa. Vanũ itaque fuerit & Christiano homine indignum, in iis rebus credere quæ asseruerũt Albumasar, Bonatus, Maternus, Firmicus, Abẽ Ezra, Messahala, Alcabitius, Alboasar, Haliabenragel, Baco. Aponen. & nõ potiùs quod veritas ipsa dixit, Si vis vitam æternã ingredi, serua mandatá. Nõ est quod tam quæras quem quilibet planeta gradũ, quódque signum occuperet, quã solicitus sis vt in omni tempore quod bonum & opereris. Nunc enim (quod & olim suo seculo Paulus verè dixit) tempus est

Matt. 19
2 Cor. 6.

acceptabile,nunc dies salutis. Profectò enim si nos illud hîc in omni pietate fecerimus, deus vicissim nobis & hîc gratiã dabit, & post hac vitam nos supra solem, lunam & stellas omnes eleuabit in gloriam sempiternam: quam vobis vnà mecum concedat pater,filius & spiritus sanctus.

HOMILIA IIII.

CVm essent iam nuptiæ in Chana Gallilææ,inuitatus est ad eas & Christus cum discipulis suis.ibi tum indicante Maria defectum vini domino, ipsóque respondente horam nondum venisse suam,nihil tamen illa commota, ministros iussit quicquid imperaret ille,facere diligenter: intelligens vtique eum nihil ex duritie aut amarulentia dixisse,dum exaudire ipsam recusaret, sed vt defectus ille vini pateret omnibus. Ita colligente hoc ipsum ex verbis domini Chrysostomo, Nondum venit hora mea, id est, nondum cognitus sum præsentibus,nondum sciunt vinum deesse:sine id primùm intelligant:satis non est quod sola referas,mater es,& suspitiosum miraculum faceres, oportet indigentes rogent. Quid multa?rogari vult,& quidem indefinenter deus:quod vel sola suo nobis declarat exemplo mulier Cananæa, quæ dum oraret pro filia, nec tantum exaudire eam primum dedignaretur dominus:verum insuper verbis ipsam duris increparet, dicens,bonum nõ esse sumptũ panem filiorũ dare canibus.Illa tamen pertinaciter instaret, interim magna & costanti nõ desinens orare fiducia,exaudita est tandẽ. Si quidem non semper statim exaudit orantẽ deus: sed interdũ quod petitur,differt,sicut hîc.Quæ sanè Christi verba prima fronte videntur esse dura, Quid tibi & mihi est mulier? Nouerat illa,tamen animi filij sui mitissimã benignitatẽ:nouerat etiã quòd omnis qui spem suã & cõsolationem reponit in deo,certũ solatiũ suæq; petitionis impetrabit effectũ: sicut de Susanna Daniel inquit,Erat cor eius fiduciã habens in domino, & exaudiuit dominus vocem eius. Quomodo Dauid quoq; cecinit Iunior fui,etenim senui, & nõ vidi iustũ derelictũ, scilicet in finem, nec semen eius quęrẽs panem.Cõuertit enim ille aquã tribulationis in vinũ cõsolationis & solatij. qua de re egregium habet prouerbiũ Sapiens.Respicite filij nationes hominũ,& scitote quia nullus sperauit in domino, & confusus est. Quis enim permãsit in mandatis eius,& derelictus est? Aut quis inuocauit eum,& despexit illũ? Sciebat hoc ita esse sanctissima

Chrysosto. *Matt.15.* *Dan.13.* *Psal.36.* *Eccle.2.*

virgo,ideóque seruis commisit,vt quicquid iuberet dominus, facerent illi. Et meritò quidem id ita seruiis commisit Maria,veluti certa eo quod facturus esset Christus, in nullo eam derelicturus, quoniam in nullo sacrarum literarum loco cõperimus illum quicquam denegasse matri.

¶ Vnde discendum est cuique Christiano,quæ sit Mariæ clemẽtia,& quã mitissimus in intercedẽdo pro humano genere affectus,cui quãdo nihil negauit in terris adhuc viuenti filius, quæ fuerit impudentia dicere eũ illi in æternã iam assumptæ beatitudinem aliquid denegare? Errant igitur neochristiani dũ reiicere sanctissimæ illius virginis, diuorúmque omnium conãtur intercessionẽ,semet tãta cõsolatione,nescio temerè, ne magis an impiè priuãtes. At nos cõtra sequentes sanctam matrẽ ecclesiã,clamamus subinde,dicentes,Eia aduocata nostra,illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte,& Iesum benedictũ fructum ventris tui nobis post hoc exiliũ ostende. *Intercessio Mariæ.* *Ecclesia.*

¶ Disce deinde hinc quisquis es, qui pietatis amas studium, domino Iesu obedire: si quidem hîc Maria in istis seruis, mihi,tibi, nobísque Christianis omnibus imperauit demandauítque, vt quicquid nos ille facere iusserit, faciamus sedulò. Eodem ferè exemplo, quo nobis pater cælestis præcepit post baptismum Christi dicens,Hîc est filius meus dilectus,in quo mihi cõmplacui,ipsum audite.Et ô beatam animam quæ vocem Christi audiuit,simul & sequitur!

2 Porrò iam sequitur,dicit Euangelista,Erant ibi lapidæ hydriæ sex positæ,secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas,vel ternas. Mos hîc Iudæorũ fuit perpetuus,vt subinde se abluerent.facilè enim polluebãtur:itaque in promptu sẽper eos oportebat habere aquã qua purgarẽtur rursus.Quasdam autem ex illis etiam ex lege habebant purificationes, sicut ex Deuteronomio, Exodo & Leuitico liquet.Quasdam verò ipsi sibi assumpserant omni tempore,idque ex traditione scribarum, seniorum & legis doctorum. Id adeò Marcus etiam testatur, sic scribens,Pharisæi & omnes Iudæi nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum. Et à foro venientes, nisi baptizentur,non comedunt,Et alia multa sunt quę tradita sunt illis seruare,baptismata calicũ, & vrceorũ & æramentorum, & lectorũ. Ad eundem verò modum Paulus idipsum quoque cõmemorat,ad Hebræos inquiens, in variis baptismatibus. *Mat. 3.17* *Ioan. 2.* *Deut. 23.* *Leui. 13. & 15.* *Mar. 7.* *Hebr. 9.*

Cùm itaque tantum & lotionum & purgationum penes Iudæos erat, decebat plurimum aquæ ad huiusmodi purificationes esse necessarium, ideoque in hunc vsum parata illa hîc asseruabatur, testante id quoque Chrysostomo, quòd cùm Palestina inopia aquarum laboret (rari enim in ea fontes scaturiunt) hydriæ illæ aquæ semper plenæ seruabantur. Sed neque temerè, eodem auctore, dictum est, secundum purificationem Iudæorum: ne quis infideliũ suspicari posset aliquo fortè crassiore vino in eis residente, deinde infusa aqua lympidissimum vinum factũ. Quare illa particula, secundũ purificationé Iudæorũ, nunquã in iis vinum fuisse ostendit. Verũ hoc etiam miraculo non parum erat accõmodũ, quod hydriæ illæ fuerunt sex, & hæ quoque iustæ magnitudinis: siquidem vna earum metretas duas aut tres capiebat, nostri vtique seculi quinas vel senas, sicut adhuc & illa Coloniæ cernitur hydria apud sanctã Vrsulam, & altera Romæ. Nam si Christus in amphora aliqua exigua minúsque capaci aquã mutasset in vinum, suspicio esse poterat, ne fortè vinum illud tantulum aliũde esset clàm ingestum, quod ipsum in tanta vini copia suspicari nemo potuit, Quãuis decebat in hunc vsum Iudæos quoque non parum, sed quàm plurimũ vini adhibere, quòd esset illa eorum consuetudo nõ omnino mala in quibusdam, vt si quis vel leprosum attigisset, vel cadauer hominis brutíue de mortui, si quis etiam cũ muliere rem habuisset, & id genus alia multa, in quibus si se aliquis polluisset, ablueretur rursus.

3 Iam nunc dominus dicit ad seruos, Implete hydrias aqua. vnde colligitur eas iã aqua fuisse euacuatas, vt sic Christus rursus impleri iuberet, iámque impleta afferri architriclino Chrysostomus hîc quærit, quanam gratia Christus antequam implerentur, non fecit miraculum, quod longè fuisset admirabilius: perfectiùs etiam indicasset eius diuinitatem cùm deus omnia ex nihilo creauerit? Respondet, Aliud est subiectæ materiæ qualitatem mutare: aliud, ipsam substantiam ex nihilo facere: hoc profectò mirabilius, non tamen ita credibile, & quod tam facilè potuisset multitudini persuaderi: hac gratia miraculorum nonnunquam multitudinem consultò imminuit, vt faciliùs crederentur. Equidem sanè crediderim maleuolos istos faciliùs tunc potuisse miraculum istud reprehendere & calumniari, vnde tandem vinum istud in aquas deuenisset. Hinc etiam alia causa promanat, quod non

ipse hydrias impleuit. nam si maximè hîc fuissent qui miraculum cauillari uellent, ministri qui aquam hauserant, testari quoque poterant, nec dolum subesse nec fraudem, sed nec magicum quicquam hîc vsurpatum. Quæ ratio est quoque, cur suorum magnitudinem miraculorũ Christus quondoque imminuerit ipse, vt nimirum & faciliùs & citiùs crederentur. Accedere potest tertio loco & illa causa, vt hîc corruerent hæretici isti Manichæi, Valentiniani, Marcionitæ, & Cerdoniani: qui duo posuerunt principia bonorum & malorum: alúmque visibilis huius mundi. alium verò inuisibilis conditorem. Impiam istam hæresim vt refelleret Christus, in miraculis suis rebus vsus est etiam visibilibus, sicut hîc aqua. Profectò enim si alius aquam condidisset creator deo contrarius, non vsus vtique hîc fuisset vlla aliena creatura ad diuinæ suæ virtutis declarationem. Verum hoc modo visum est deo sese exhibere, vt simul doceret, & vnum esse deum, & eundem cæli, terræ creatorem, omniumque creaturam. Monstraret etiam se esse illum, qui vites humectat. qui aquam pluuiatilem per radices vitis in vinũ vertit, nisi quod idipsum, quod tempore paulò longiore faciat in incremento vitum, hoc momentaneo quodam modo hîc fecit idem ille opifex in nuptiis. Super quibus pulcherrimè vt omnia, cõtemplatur beatus Augustinus dicens, Quis est qui considerat opera dei, quibus regitur & administratur totus hic mundus, & non obstupescit, obruitúrque miraculis? ipse enim fecit vinum in illo die in nuptiis, in sex illis hydriis, qui omni hoc anno facit in vitibus. Sicut enim quod miserunt ministri in hydrias in vinum conuersum est opere domini: sic & quod nubes fundunt, in vinum conuertitur eiusdem opere domini. Illud autẽ non miramur, quia omni anno fit, assiduitate amisit admirationem. Ecce etiam quod Lazarum suscitauit Christus à morte, nonnè mirum est apud omnes? & tamen quotidie nasci, qui prius nihil fuerant, quotusquisque est qui miretur?

Maniche.

Augustin.

4 Haurire deinceps iubet dominus ministros, & ferre architriclino, qui cùm gustasset aquam vinum factam, nesciuit vnde esset. Nemo, inquit hîc Chrysost, ignorat in conuiuiis huiusmodi munia, maximè sobriis & temperantibus demandari, quorum solum officium est, vt debito ordine & apparatu omnia dispensentur. Architriclinum tamen sunt qui interpretentur eum hîc intellegi, qui hospitum omnium fue-

Chrysost.

rit & summus & præcipuus, ideoque supremo loco residens, nec id immeritò. siquidem presbyter fuerit vt plurimum, qui non benedixit tantum omnia, sed & illos iuxta traditionem seniorum erudierit, quòd hîc post Alcuinum Beda quoq; cõmemorat. Qui nos apud quosdam etiam nostro seculo non omnino exoleuit, vt contracturi matrimonium & nuptias instructuri, presbyterũ quoque aduocent. Quicquid tamen hoc habeat, satis est Christum quod ex aqua iam fecerat vinum, architriclino misisse, siue ille tandem archimagirus, siue ex hospitibus primus fuerit: is gustato vino, sensit illud esse nobilissimum. Vbi sanè est quòd miremur, christum, qui in hoc venerat in mundum istum, vt homines mundi voluptatem docere contenneret, tantùm tamen humanæ tribuisse infirmitati, vt conuiuium illud optimo etiam vino exhilararet.

Ioan. 21. ¶ Verum hic alia rursus exoritur questio, quibus tandẽ verbis Christus ex aqua vinum fecerit, aut num sine omni alicuius verbi prolatione miraculũ operatus sit tantùm? Ad hoc responderi primùm potest. vsúsne sit ille aliquo verbo, sciri nõ posse. Si quidẽ non omnia sunt scripta, credendum tamen esse magis, miraculum istud, sine vllo verbo, sola sua voluntate diuina, Christum esse operatum. Omnis enim creatura purè in obedientia consistit diuina, ita vt de & cum ea fiat, quic-

Psal. 134. quid diuinæ illius placitum fuerit voluntati. Quomodo Dauid dicit, Omnia quæcunque voluit dominus fecit in cælo, terra, mari & in omnibus abyssis. At cur in hoc miraculo sola sit vsus voluntate, & tamen in plerisque aliis nunc verbo nunc opere, aliâs etiam à fletu & lachrymis sibi non temperarit: ratio reddi poterit huiusmodi, quoniam miraculum illud in lætitiam tantùm exhibitum est & exhilarationem conuiuarum, cùm interim cætera ad hominum operatus sit necessitatem: in quibus ille, quamuis & ipsa potuisse sola sua facere voluntate diuina. verbis vsus est, declaraturus per hoc, esse quippiam in eis, suæ operationi contrarium, scilicet peccatum. Omnia enim quæ patimur, ob demerita & culpam no-

Hierony. stram patimur, vt ait B. Hieronymus. & nisi peccasset Adam in paradiso, nec illum ignis vsisset, nec demersum perdidisset aqua, nec aër infecisset, neque ei animal noxium aliquod nocuisset. nec vulnerassent arma, nec aliquod offendisset ge-

Augustin. nus morborum: vt constans habet sententia Augustini, Isidori, aliorúmque doctorũ: adeò vt Paulus dixerit ad Romanos.

corpus mortuum est propter peccatum. Et cùm defectus omnes in humanum genus ex peccato irruperint, quod Christus miraculis suis venit adimere, meritò verbis quoque ad ea vti voluit, & non rarò ob significationem operibus etiam, sicuti in cæco, cui visum restituens facto ex sputo luto, liniuit oculos: & cum surdo, cuius aures tetigit expuens. Quæ sanè quid sibi velint, suis singula locis per sanctos patres egregiè est explicatum. Quanuis ergo hæc omnia penitus ex voluntate diuina pendeant, tamen in hoc præcipuè miraculo immensa quædam exhibita est gratia dei, quam velut in spiritu præuidens Dauid, dixit, Qui miseretur omnibus iniquitatibus tuis, & sanat omnes infirmitates tuas. Poterit hîc alia adhud causa dari, quod Christus in hoc primo suo miraculo euidentius declarare voluerit filiũ esse se cõditoris omnium creaturarũ, vt sic sibi vsurparit officiũ diuinũ, sola sua voluntate operandi. 5 Quando postea sequitur, increbuisse miraculum ipsum adeò illud resciuisse architriclinum. & proinde expostulasse cum sponso, quod vinum istud ad vltimas cõuiuij partes reseruasset: quæres fortè, cur ille nõ ministros potiùs, qui vinum attulerant, interrogarit, vt sic miraculum manifestatũ magis fuisset? Et hîc respõderi poterit, nescisse eum quid aut quomodo acta res hæc tota esset, ideóque sponsum interrogasse meritò, vnde illud adeò nobile vinum aduenerit, Atque id quidé Christus ipse sic fieri voluit, vt ita lentè & pedetentim miraculi sui virtus agnosceretur. Sed etsi per ministros miraculi huius fama dispersa primùm esset, non tantum fides eis habita non fuisset, sed & dici ab aliis poterat insanos esse eos, qui miraculũ tantum adscriberent, acceptúmque ferent domino adhuc & ignoto & contempto. Verisimile est etiam, neque malè creditur, hoc miraculo commotum esse istum Regulum, cuius filius decumbebat ægrotus, vt ad dominum veniret, filióque suo ex illo sanitatem impetraret.

¶ Deinde, cùm jam & serui testimonium dedissent, aquam hausisse se, & ipse quoque architriclinus, ex illa vinum factũ nõtandum est adhuc vinum hoc fuisse optimum vt sic non immeritò architriclinus cum stupore quodã irasceretur spõso, quòd istud seruasset vsque ad conuiuij finé. Rationem reddit chrysostomus, quòd eiusmodi fuerint Christi miracula, vt quæ natura perfecta sunt, lõgè pulchriora melioráq; reddãtur, ipsáque adeò mébra distorta quàm sana erant, validiora

Rom. 8.
Ioan. 9.
Mar. 7.
Psalm. 102
Chrysost.
Ioan. 4.
Chrysost.

faceret. ita enim cæci quibus visum dominus restituit, acutiùs cæteris cernebant, & sic de similibus: atque hîc etiam cum vino actũ, quod architriclinus & sponsus testãtur. Sunt quoque qui velint Christum ob euidẽtiorẽ primi huius miraculi declarationem ex aqua vinum fecisse rubeum, quod vt est per se admirandum magis, ita Ecclesiastica firmatur authoritate. siquidem non temerè canit Ecclesia, Aquæ rubescunt hydriç, vinúmque iussa fundere, mutauit vnda originem.

Ecclesia.

¶ Atq; iã nunc postremò, veluti coronidis loco adiiciamus pulcherrima illi & præclara Hilarij verba, Nuptiarũ die vinum in Chana Galilææ ex aqua factũ est: nunquid cõsequitur aut sermo noster aut sensus, quibus modis natura demutata sit, vt aquæ simplicitas defecerit, & vini sapor natus sit? Non permixtio fuit, sed creatio: & creatio non à se cœpta, sed ex alio in aliud existens: non per transfusionem potioris obtinetur quod infirmius est, sed aboletur quod erat: & quod non erat, cœpit. Sponsus tristis est, familia turbatur, solẽnitas nuptialis conuiuij periclitatur. Iesus rogatus non exurgit aut instat, sed quiescentis eius hoc opus est. Aqua hydriis infunditur, vinum calicibus hauritur, infundentis scientiæ sensus non conuenit haurientis. Qui infuderunt, hauriri aquã existimant: qui hauriunt, vinum infusum arbitrantur, tempus quod in medio est, non sufficit vt liquoris natura & nascatur & pereat. Ratio facti, & visum frustratur & sensum, virtus tamẽ dei in iis quæ sunt gesta, sentitur. Rogemus dominum. &cæt. Amen.

Lib. 2. de trini.

Corpus simplex sit mixtum.

HOMILIA V.

EVangelium istud iuxta literã vt mirabile est, ita gaudio lætitiáque plenissimũ, cùm audiuimus Christũ non tantùm nuptias præsentia sua cohonestasse, sed & hospites nouo miraculo optimóque vino exhilarasse. Verùm si spiritum & mysticum illum spectes intellectum, quem hîc sanè quærere & eruere debemus, est ꝙ magis multò miremur in hoc euangelio. sic inquisierunt eum veteres nouíque doctores omnes, præcipuè verò Augustinus, Beda & Bernardus. Et nos igitur paucula quædam nunc quoque super hoc decerpamus, ad illud quò faciliùs queamus adiutorio dei præstare: vos quoque diuinum implorate auxilium, & sicut pro Paulo Colossenses, ita pro me deũ orate, vt deus aperiat nobis ostiũ sermonis, ad loquendũ mysteria & arcana Christi, vt manifestẽ illud ita

vt oportet me loqui. [Pr]ecatis ergo, Pater noster, Aue Maria.
¶ Quando iam ex Christo dari nobis loquendi gratiam orauimus, age nūc rem ipsam aggrediamur. Principiò itaq; nuptias decimus spirituales, illas significare nuptias, quas cum sponsa sua Christus instituit. id adeò ex Matthæo collectu facillimum est, quando dicit, Simile est regnum cœlorū homini regi, qui fecit nuptias filio suo. quod ipsum de Christo Dauid quoque præuidit in spiritu, inquiens, Sicut sponsus procedens de thalamo suo: hoc est, ex vtero virginis in quo requieuit septimanas triginta noué, dies duos. Qui cum verò Christus nuptias facit, non eodem vndique modo in scripturis inuenitur. siquidem illa Christi sponsa & humanitas ipsius esse potest, & fidelis cuiusque hominis anima, & tota demum ecclesia catholica. Nos cæteris hîc omissis, illas tantùm prosequemur nuptias, quas cum ecclesia fecit. Eam autem esse Christo desponsatam, nónne satis magnus tibi testis est Paulus, cùm ait, Viri, diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit ecclesiam. & deinceps, Sacramētum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & ecclesia. Christus relicta matre sua synagoga, Ecclesiæ adhæsit catholicæ, quam ex omnibus gentibus congregauerat, quantumuis secundum carnem ex Iudæis tantùm natus. Sed & patre relicto, adhæsit eidem, patre inquam illo suo cœlesti, non tamen ab eo, vel eius diuina recedens substantia: sed ita, quòd non ea qua æqualis erat æterno patri forma, hominibus apparuerit: vt inquit Paulus, Ille cùm in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. ¶ Hæc illa sponsa quanuis nigra fuerit & deformis, cæcitatis & idololatriæ plena, adeò vt & Iudæi super hoc murmurarent, & ipse quoque Petrus illam ex gentibus collectam ad Christum non pertinere putaret. Quo exēplo & veluti typo, Aarō quoque & Maria aduersus Moysen murmurarunt, quòd vxorem duxisset Aethiopissem. Eodem enim planè modo Iudæi quoque primùm murmurauêre cōtra gētes, quæ in tantis támque execrandis sceleribus tandiu iacētes penè perierant, quod multis exaggerat Paulus. Christus tamen istam peccati contractam nigredinem, illi depellere potuit, vt ait Paulus, Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam eccle-

Mat. 22. — *Psalm. 18.* — *Vide dominica vigesima post pentecost.* — *Ephe. 5.* — *Genes. 2.* — *Philip. 2.* — *Nume. 12* — *Ephe. 5.*

ſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſ-
Iud.14. modi,ſed vt ſit ſancta & immaculata Habemus itaq; hoc mo-
3.Reg.1. do,explicatum ſponſum cũ ſponſa. Potes etiam huc adducere hiſtoriam Samſonis & cõiugũ eius, & illud myſticè applicare,vel hiſtoriã de Dauid, quãdo duxit Abiſaag Sunamitem.

2 Sed neque hoc myſterio caret, quod in Chana Galilææ
Chana. nuptiæ iſtæ factæ leguntur, Chriſti inquam & eccleſiæ. Chana enim in noſtræ linguæ idiomate idem eſt quod zelus, amor ardens & vehemens: aliâs etiam bonorum ſiue acquiſitionem, ſiue poſſeſsionem ſignificat. Galilæa verò terminus ſeu limes dicitur,quo regiones tum diſcernuntur, tum inter ſe coniunguntur. Quæ omnia ad myſticam hanc faciũt ſpiritualium nuptiarum interpretationem. ſiquidem illæ factæ ſunt in Chana,hoc eſt zelo quem Chriſtus habet erga eccle-
Ephe.5. ſiam ſuam.adeò vt ſemetipſum in mortem traderet, illã ſanctificaturus,ſicut iam ex Paulo adducimus. An nõ putas charitatem illam dei erga genus humanũ fuiſſe lõgè maximam,
Ioan.3. quod ille humilitate tanta ſe demiſerit propter eccleſiam catholicam? Teſtatur illud Chriſtus ipſe apud Ioannem,ſic dicens Nicodemo, Ita deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Vehemens hic zelus,& gratia dei
1.Cor.8. magna erga genus humanum: vt Paulus quoque non malè agnouit,ad Corinthios ſic ſcrібẽs,Scitis gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti,quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues,vt illius inopia vos diuites eſſetis. Eandem hanc
Hiere. 31. cauſam per prophetam quoq; Hieremiã proponit dominus, dicens, In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans. Et hæc illa eſt charitatis virtus, quæ matrimoniũ iſtud
Bernard. contraxit. Vnde ſanctus Bernardus. Si,inquit,deus hominem non diligeret,filius dei pro eo non moreretur. Sunt ergo nuptiæ iſtæ factæ in chana,hoc eſt,in frequenti charitate & zelo. Verùm ſi alterã quoq; illius ſpectemus interpretationem, iterum ad noſtras has ſpirituales nuptias, & ipſa non malè quadrabit,cùm emptionem ſeu redemptionem, vel etiam acquiſitionem aut poſſeſsionem verterimus,Chriſtus enim eſt qui nos redimit, & rurſus acquiſiuit è poteſtate mortis &
Tit. 2. diaboli ereptos,ſicut de eo Paulus inquit ad Titum, Qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.
Apoca. 5. tate. Et Ioannes quoque, Dignus es domine aperire librum &

ſoluere ſingula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos in ſanguine tuo ex omni tribu & lingua & populo & natione. Sed quid multis hîc immoramur, cũ tota vndique ſcriptura pleniſsima ſit, quam magno nos ille precio redemerit ſanguinis mortíſque ſuæ, quãq; nos & acquiſiuerit & poſſederit nimium cara mercede, vt hinc rectè appellemur à Petro populus acquiſitionis? vnde & Paulus diligenter nos admonet, dicens, Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos, regere eccleſiam dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Verum cur Chana in Galilæa poſita eſt? eo nimirũ, quòd charitas cũ verus ille terminus ſit, fixus quoque & immotus planéque nulli cõcedens, bonorum ſimul & malorum filios locis ſeparãs à filiis dãnationis: charitatẽ hãc quiſquis habet, ad ciuitatẽ dei pertinet: illã qui nõ habet, iã in ciuitate diaboli eſt, ídque per amorem ſui: ſicut pulchrè beatus Auguſti. in libro de ciuitate dei explicat. Rectè igitur Chana Galilææ, charitas ipſa eſt, limes nimirũ & terminus diuerſarum tũ regionum, tum ciuitatũ. Et hæ quidẽ ſpirituales ſunt nuptiæ Chriſti & eccleſiæ ſuæ, quæ in Iudæa primum cœperunt, vbi & homo factus eſt, & eccleſiam ſui corporis participatione cõſecrauit, ſimúlq; ſui ſpiritus pignore in fide eandẽ cõfirmare dignatus eſt. Sed vocatis ad fidẽ gẽtibus, vſque ad fines orbis terræ earundem nuptiarum votiua gaudia peruenerunt. 3 Neque verò Chriſtus illis nuptiis ſolus interfuit, affuit inſuper & mater eius, ſynagoga ſcilicet Iudæorum. quia enim ſecũdum carnem ex illis natus eſt Chriſtus, & ipſi quoque meritò vocati ſunt ad nuptias præ cæteris: vnde Chriſtus quoque in euangelio inquit. Nõ ſum miſſus (in propria nimirum & corporali figura) niſi ad oues quæ perierunt de domo Iſraël. Hanc illam matrem ſuam ad has nuptias inuitare vnicè præcepit Chriſtus, quum apoſtolos ad prædicandi mitteret officium, dicens, In viam gẽtium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: ſed potius ite ad oues quæ perierunt domus Iſraël. Quanuis deinde poſt Chriſti reſurrectionem non iam ſola mater, ſed creaturæ omnes, iuxta præceptũ domini vocatæ ſunt ad nuptias illas, quũ Paulus & Barnabas dicerẽt ad Iudæos, Vobis oportebat primũ loqui verbum dei ſed qm̃ repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce cõuertimur ad gẽtes. Et tantũ de ſpirituali matris Chriſti inuitatione. Verùm quod Chriſtus

1. Pet. 2.
Act. 20.
Charitas terminus bonorũ & malorum.
Lib. 14. cap. 18.
Beda.
Matt. 15.
Matt. 10.
Mar. vlti.

Act.13. quoque ad proprias suas est nuptias inuitatus, id quoque ex scriptura satis constat. Quoties enim ille à sanctis patribus expetitus,& ardétibus votis à deo patre aduẽtus Mesiæ,spõsi nimirum,velut efflagitatus:toties ad nuptias has inuitatus
Exod.4. est. An nõ hũc inuitauit Moyses, cùm diceret, Obsecro, do-
Esa.45. mine, mitte quem missurus es. Simili modo sponsum hunc ardentisimé inuitauit propheta Esaias,clamãs, Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet saluatorem,& iustitia oriatur simul. Et rursus in alio lo-
Esa.64. co, Vtinam disrumperes cœlos,& descenderes. Accedat autẽ
Abacuc 2. huius inuitationis eximius præco Abacuc, dicẽs, Qui véturus est, veniet, & nõ tardabit. Neque verò parum tum ardẽter tum grauiter spõsum illum ad proprias suas nuptias inuitauit nobilisimus iste & psaltes & propheta, idémque rex
Psal. 79. potẽtisimus,cum caneret, Excita domine potẽtiã tuam, & veni ad saluãdum. Eodem quoque pertinẽt cæteri prophetæ omnes,Hieremias,Zacharias,Ioël,Micheas,omnésque quotquot fuerũt veteris testamẽti patres sancti: qui velut vno om nes ore sedulò clamauerunt ad dominum,vt tandẽ sponsum illum,tot retro seculis promissum,mitteret ad nuptias: neque illum tãtum,sed & discipulos & apostolos eius cum eo.
Zac.9.14 Lętare itaque & exulta satis,filia Sion: Iubila filia Hierusalẽ, ecce dominus veniet,& omnes sancti cum eo,& erit in die illa lux magna. 4 Ait autẽ Maria. Quia vinum nõ habent. Non hîc loquitur de perfectis & consummatis illis nuptiis
Apoc. 19. ecclesiæ iam triumphantis in æterna beatitudine, de quibus Ioannes ait, Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se,& datum est illi vt cooperiat se bysino splendenti & cãdido. Bysinum enim iustificationes sunt sanctorum, & dixit mihi, Scribe,beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. In illis nanque nuptiis nullus omnino erit,vini defectus,quãdo vbique pręsens erit felicitas ęterna & cõsumma
Apoc. 21. ta. Ibi nullus erit luctus,nec dolor. Siquidem beatitudo,au-
Boethius. thore Boethio,status est omnium bonorum aggregatione perfectus. Sed tantùm hîc agimus de nuptiis ecclesiæ mi-
Bernar. litantis, in qua(vt ait Bernardus)sæpe vinum deficit, gratia, scilicet,deuotionis & feruor charitatis. Et, ô quoties nobis necesse est, fratres, post lachrymosas querimonias vestras exorare matrem misericordiæ,vt suggerat benignisimo filio,quoniam vinum non habeatis? Siquidem magis ad illam

piissimā matrem pertinent nuptiæ illæ sanctæ ecclesiæ, quā istæ quæ factæ sunt in Chana Galilææ: in quibus si tāto commota est affectu ad exorandum filium, quantò digniùs etiam maiori mouebitur ad intercedendum pro iis, qui se piè & deuotè implorant? Neque verò vinum nobis tantum deficit in illis nuptiis deuotionis, in orationibus nostris, & in operibus quoque vinum ardentis charitatis: sed etiam plerumque vino caremus veræ intelligentiæ scripturarū, qui quondam plurimus fuit & vberrimus defectus in veteri testamento, vbi sæpe nullum fuit in synagoga vinū, sed præter aquā planè nihil. Id adeò Augustinus quoque explicans, inquit. Erat prophetia antiquis temporibus, & à prophetiæ dispensatione nulla tempora cessauerūt. sed illa prophetia, quādo in ea Christus nō intelligebatur, aqua erat. in aqua enim quodammodo vinum latet, sed quādo velamen tollitur, & Christus in illa intelligitur, tunc ex aqua fit vinum. Hoc significare Paulus voluit, cum de Iudæis sic scriberet, Vsque in hodiernum diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum, quod in Christo euacuatur: & sic vsque in hodiernū diem, quum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorū: cùm autem cōuersus fuerit ad deum, auferetur velamen. Super eum locum, inquit August. Lege omnes libros propheticos, nō intellecto Christo, quid tam insipidum & fatuum inuenies? Intellige ibi Christum, non solùm sapit quod legis, sed etiam inebriat, mutans mentem à corpore, vt peccata obliuiscens, in ea quę ante sunt extendaris: vt ait Paulus, Omnis itaque quæ de Christo prędicta est prophetia, ante eum aqua tātum fuit, dum latebat: eadem verò vbi per Christum in succulento quodam sensu & odore fragranti est declarata, in vinum abiit. Nōne enim duobus illis in Emaus eūtibus prophetia tota aquosa fuit, quādiu eam non intellexerunt? vnde & audierunt à domino, O stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ loquuti sunt prophetæ: & statim deinceps vinum ex aqua facturus, cœpit à Moyse & omnibus prophetis, interpretans illis de omnibus scripturis quæ de ipso erant, adeò vt illi post hæc dicerent, Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et non sine ratione factum est, quod vinum non ex nihilo, sed ex aqua fecit: vt sic constaret ipsum etiā aquas non contemnere veteris testamenti, contra

August. *2. Cor. 3.* *August.* *Philip. 3.* *Lucæ 24.*

August. Manichæos,qui illud planè reiiciebant. Poterat enim vtique vt ait Augustinus,& effusa aqua vinū infundere:verū id si fecisset,videretur scripturas veteres improbasse: cū autem ipsam aquā conuertit in vinū,ostendit nobis quòd & scriptura vetus ab ipso est,quæ tamen ante suum aduentū aqua tātùm mera fuit,vsquedum ille verum sensum & intellectum eius aperiret, Si vel per transennam,Iudæorum commentaria,& ineptissima quęque veteris testamenti glossemata aspiceres, esset quod hominum istorū admirareris,& stoliditatem ineptam & cæcas ineptias, atque tunc demum crederes meram apud eos aquā esse, obseruās quoque crassas & plusquā beluinas eorum intelligentias,videres eos nondū habere vel minimā vini guttulā in nuptiis Christi. Et en ex innumeris vnū exemplum hîc tibi,cùm in principio statim Genesis sic legitur,quòd creauit deus hominem, adeóque masculum & fœminā creauit eos. ibi irruentes in hūc clarissimū & apertissimū textū Iudæi,turbāt & miscent aquā, dicūntque deum creasse Adamum instar Iani,bifrontem,vt qui geminam habuerit faciem,antè & retrò,sicque ex posteriore parte Adami deinceps fecisse fœminam. Præterea cùm legitur, Adæ non inueniebatur adiutorium simile sibi, Dixit ergo dominus deus, Faciamus ei adiutorium simile sibi. quid vel stultius uel magis tum temerarium,tum impiū, quam quòd antesignanus iste Iudęorū Rabi Salomon,turbidissimā reddens aquam,nescio ex cuius aniculæ Iudęę somnio, dicit Adam cognouisse pecudes & bestias,etiam feras omnes,cúmque iis rem habuisse? Ecce quas cisternas,quas lacunas, & quàm turbatissimas aquas Iudęi adhuc pleno ore hauriunt ac potant, dum nobile illud ecclesię fidelium cum Christo bibere vinum recusant: vnde impietates tantas,& quas iure abominetur omnis Christianus,scribunt, amant, amplectuntur, sicut quisquis es Hebraicę linguę imperitus,in fortalitio fidei leges,& apud dominum Victorem de Carbem, & ipsum Iudęum Colonię conuersum.

Adam bifrons. *Gene. 2.* *Rabi Salomon.*

¶ Hoc autem illud est quod isti,quia cęci sunt verū scripturarum intellectū non vident,sed quicquid gustant, aqueum habet saporem,quicquid potant,aqua est, & quidem turbidissima,sicut de Iudæis iam olim quoque tempore Christi dixit Ioannes ex sententia Esaiæ prophetę, Excęcauit oculos eorum,& indurauit cor eorum, vt non videant oculis, &

Ioan. 12. *Esa. 6.*

non intelligant corde,& conuertãtur & ſanem eos.Sed video nimis in longum currere materiam & protrahi: quod igitur ex illa reliquum eſt in iuſtum differamus ſermonem, Interim iam oremus deum optimum maximum,&c.

HOMILIA VI.

QVANTVM, gratia diuina auxiliante, fieri potuit, partem ſpiritualis interpretationis abſoluimus,ſuper nuptiis euangelicis. Age igitur nunc, freti eiuſdem gratiæ ſubſidiis, quod reliquum eſt in illis, pari diligentia explicemus, & tamen ſummatim, tantùm varias indicemus ſanctorum patrum expoſitiones, qui tamen omnes vinum illud nobile in iſtis nuptiis biberunt. Vt itaque rem paucis aggrediamur & tranſigamus, textus euangelij ſequens ſic habet, Erant ibi ſex hydriæ poſitæ ſecundum conſuetudinem purificationis Iudæorum. Hoc ſanè Bernardus refert *Bernar.* ad nuptias ſeculi huius, in quibus ſanè neceſſarium eſt ſubinde & mundare & abluere ſe, quando nemo mundus eſt ſatíſque purgatús à ſordibus ac ne infans quidem vnius diei. Ideóque hîc etiam ſponſa illa abluitur & mundatur, vt *Ioan. 13.* ſit ſine ruga & macula, atq; per hoc inſtruatur & paretur ad *Ephe.5.* iſtas nuptias cœleſtes. Deinceps ille hydrias iſtas ſex commemorat, è quibus ſeſe abluunt Iudæi confitentes nimirum & laudantes deum. Hydrias porrò ſex refert ad ordines *Sex hydriæ.* ſeu obſeruantias ſextuplices, à ſanctis patribus in purificationem cordium inſtitutas. & ex prima quidem hydria hauritur caſtitas, ex ſecunda ciborum abſtinentia & ieiunium, ex tertia labor contra torpentem gnauiam, ex quarta vigilia & nocturna meditatio, ex quinta ſilentium, decus & ornamentum monachorum, ex ſexta ſpiritualis poteſtatis diſciplina. Hæc ſanè pulchra & egregia eſt expoſitio de purificatione monaſtica: proinde eam confeſſoribus & prædicatoribus ad hoc deputatis relinquo, vnũ tamen hoc ſi addidero, quod Bernardus inquit, Quid ſibi iſtud vult domine? Mini- *Bernar.* ſtri ſoliciti ſunt de vini penuria,& tu dicis, Implete hydrias aqua. Illi de poculis cogitant,& tu præcipis, vt vaſa purificationis impleant: innuere nimirum & ſignificare volẽs, ſimúlque docere prælatos, præpoſitos, decanos, &c. qui miniſtri ſunt domini, quum cõfratres ſui, hoſpites vtiq; ſpirituales, cupiunt vel orationis ſuæ deuotioné, vel vinum ardẽtis charitatis, neque dum tamẽ aduenit hora domini, ille tamẽ

præcipit hydrias, aqua impleri purificationis, modo iam supra declarato: tunc demum deus vinum illis tribuet spiritualis suauitatis in deuotione, oratione, charitate, cultu diuino, monastica obseruantia, &c. Verùm de iis iam satis.

Sex hydriæ spirituales. 2 Inuenio diligentia sanctorum patrum sex hydrias veteris testamenti insignes, explicatas pulchrè & velut artificiosa figuli manu instructissimè paratas: quarum declaratio omni fideli animæ, quæ Christo domino est desponsata, multùm
1 conuenienter quadrat Hydria prima Rebecca est hydria cõ-
Gene.24. passionis & misericordiæ. Sicut enim Rebecca deposita ex humeris suis hydria, potum dedit seruo Abrahæ & camelis
2 eius: sic & nos quoque decet proximis nostris hydriam in-
Iudic.7. clinare pro suâ necessitate facultatibus nostris. Hydria altera Gedeonis est, qua ille hostes abegit, dum frangeret amphoras, in signum ardentis quoque charitatis nostræ in bono omníque cultu diuino: quando quisquis bonus est & constans veræ pietatis sectator, ex animo dolet, videns aliquid turpe aut audiens tunc enim ille frangit amphoram, hoc est, parcit nemini, nec fauorem curat, nec gratiam amici, tan-
3 tum vehementi quodam animi sui feruore cupit malum es-
3.Reg.18 se punitum. Amphora porrò tertia est illa Eliæ, qua ipse sacrificium totum & altare quoque superfudit, spiritũ significans contritum & humiliatum, qui & sacrificium siue holocaustum orationis nostræ, & opera bona omnia irrigat, hu-
4 mectat, vegetat, deóque reddit accepta. Hydria vero quarta,
3.Reg.7. quam Salomon inter cætera templi vasa collocauerat, & Ioas
4.Re.12, deinceps abstulit ea: significat gustum æternæ dulcedinis internum in cultu dei, quam ideo etiam quærere oportet in templo inter cætera vasa deo dicata & sacra: hoc est, penes illos homines qui in cultu dei versantur assiduò, quibus interdum tribuit deus dulcedinem illam spiritus sui prelibandam: sicut Monica, optima optimi filij sancti Augustini mater, à sumpto eucharistiæ sacramento sentiens in se illam dulcissimam spiritus suauitatem, eleuata à terra
5 sursum præ gaudio clamauit, & dixit, Eia commigremus
Psal. 67. in cœlum. Et Dauid, Parasti in dulcedine tua pauperi deus.
Eccle.12. Hydria quinta, illa Sapientis est Ecclesiastæ, quã super fontem contriuit, significátque contemplationem mortalitatis huius nostræ in ista peregrinatione, eámque possumus ipsi conterere quotidie, videntes indies nunc emori iuuenésque,

senésque,

senésque: nunc nobis quoque omne genus morbi, miseriæ, cæterorúmque malorum aduenire. & hãc nimirum hydriam confregit etiam Sapiens ille quum diceret, In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum nõ peccabis. Hydria hæc conteretur à nobis, quotiescũque nostram istam inuariabilem moriẽdi siue leges, siue necessitudinem recogitamus, cum illa Techua quæ ad Dauidem sic loquebatur, Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terrã, quæ non reuertuntur. Eadem quoque confringitur, recolẽdo incertissimam illam mortis horam, quomodo ad diuitem istum dixit dominus in euangelio, Stulte, hac nocte auferẽt animam tuam à te. Hydria sexta, ista est mulieris Sareptanæ, quæ nũquam euacuata est à farina, tãtisper dum annonæ caristia ibi duraret in illa regione: & ea quidem significat meditationem verbi dei & scripturæ sanctæ. inde enim verbum diuinum colligitur, dum panes conficiuntur, quibus pascantur famelici. Neque enim in solo pane viuit homo, sed & in omni verbo quod procedit de ore dei. Et hæc iam sufficiat expositio sex hydriarum, quæ Christianis omnibus in purificationem proponuntur: & non temerè lapideæ sunt istæ, in hoc scilicet, vt agnoscamus fortiter & cõstanter in huiusmodi debere contemplationibus perseuerare, sicut ait Petrus, Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini domos spirituales. 3 Aliter adhuc inuenio hydrias istas sex expositas, ita nimirum quod significent sex illas cõtemplationes, quas habere debet homo, vt impleatur aquis lachrymarum & contritionis: eas breuiter tãtum enarremus.

Eccle. 7. *2. Re. 14.* *6* *Lucæ 12.* *3. Re. 17.* *Matt. 4.* *1 Petr. 2.* *Alia expositio sex hydriarum.*

1 Prima hydria, memoria illa est & recogitatio offensæ diuinæ, qua tibi iram dei grauiter cõciliaris: amphoram hãc lachrymis adimple amarissimæ contritionis, cum Dauide, dicẽs, Exitus aquarum deduxerũt oculi mei, quia nõ custodierũt mandata tua. *Psal. 118.*

2 Hydria secũda, dolor est fraternæ compassionis: eam implebis lachrymis charitatis, clamãs ex animo cum Hieremia propheta, Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? *Hiere. 9.*

3 Tertia porrò hydria, est præsentis temporis aduersitas: eam implebis aqua miseriæ. Multæ enim tribulationes iustorum, inquit Dauid. sed & Iudith dicebat, Omnes qui placuerunt deo, per multas tribulationes transierunt fideles. *Psal. 6.* *Iudit. 8.*

4 Amphora quarta, metus est in-

fetai,& impletur aqua compunctionis:fieri enim nõ poteſt
vt qui vere pœnas recogitat inferni, non compungatur ani-
Pſal. 6. mo & horreat:vt rectè nimis dixerit Dauid, Lauabo per ſin
gulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meũ ri-
5 gabo Turbatus eſt à furore oculus meus. Hydriã verò quin-
tam, carnalium rectè dixerimus eſſe tempeſtatem,horridam
illam ſanè & turbulentiſſimam, eáque aquis adimpletur ſpi-
ritus tribulati & conturbati. namque tunc ſpiritus affligi-
6 tur, cúm caro tentatur. Hydria ſexta, proprij tum pecca-
ti tum defectus meditatio eſt: eam implemus ſpe conſola-
Pſal. 79. tionis & refectionis diuinæ:ſicut Dauid inquit, Cibabis nos
pane lachrymarum,& potum dabis nobis in lachrymis in
menſura. Aquæ illæ omnes tribulationis & miſeriæ, inter-
ceſsione virginis matris in vinum vertũtur tum cõſolatio-
Alia ad- nis diuinæ,tum ardentiſsimæ deuotionis Nimium foret ſin-
huc expo- gula ad longum deducere,vt ipſa requireret materiæ neceſ-
ſitio 6. ſitas. Dum enim diligentius adhuc omnia omniúmque ſcri-
hidriarũ. pta circunluſtro,video quoſdam hydrias iſtas exponere ſex
afflictiones pœnarum,quæ ex peccato proueniunt. 1 Quia
ſic anima ſponſum ad irã concitauit. 2 Quòd dotem ſuam
amiſit. 3 Quoniã ſponſi ſui amorem & charitatem omnem
perdidit. 4 Quia amicos ſuos optimos per peccatum con-
tempſit,reiecit,à ſe abalienauit. 5 Quòd iam pulchritudi-
ne quoque ſua & decore omni ſpoliata eſt. 6 Quòd amiſa
libertate, in ſeruitutem redacta eſt.¶ Neque tamen deſſunt
adhuc qui hydrias illas interpretentur ſex ægritudines ſeu
morbos, quos à ſe relinquit peccatum, veluti ſoadidiſsimum
& impuriſsimum harpyiæ fœtorem.& 1 Quidem quòd ſpi-
ritualis ille ſapor,gratia ſua omni amiſſa,inſipidus planè red
ditur. 2 Viſus quoque ſpirituali hebetatur. 3 Quod in
ambiguo ponitur tota ſalubritas ſpiritus. 4 Siquidem &
animus tam in operãdo bonum, quàm vitãdo malum debili-
tatur. 5 Concupiſcẽtia verò eorũ quæ niſi nocere nil poſ
ſunt,indies augetur & creſcit. 6 Volũtas quoque ipſa ſibi
aduerſatur,ita vt nũc iſtud, nũc viciſsim aliud velit. Omnis
hæc aqua & inſipida & fluxilis eſt,niſi eã Chriſtus gratia ſua
confirmet atque ſtabiliat,& in vinũ vertat gaudij diuini &
ſanitatis æternæ. Quidam inſuper hydrias has ad ſex illa re-
Matt. 25. ferũt opera miſericordiæ,quæ in die nouiſsimo mutabũtur
in vinum perpetuæ fœlicitatis. Et adhuc tamen hydrias ſex,

alij conſtituunt in purificationem. 1 Contritionem cordis. 2 Oris cōfeſsionem. 3 Volūtariam eleemoſynæ largitionē. 4 Cōtumeliæ illatæ remiſsionē. 5 Continētiam corporalem. 6 Et obediētiam præceptorum. Sunt etiā qui eas exponūt de gaudiis æternæ ſalutis. Poſſent hæc omnia per lōgū ſacræ ſcripturæ fundamētis comprobari, ſed mitto, & ea cuique pro contemplationis ſuæ modulo meditanda relinquo: quia theologia ſymbolica eſt ampliſsima, in qua inter neotericos omnes excellit Keyſerpergius. *Keyſerpergeus.* 4 Quandoquidem ex omnibus patribus ſanctus Auguſtinus ſublimem & altiuolātem aquilam Ioānem explicauit. libet quoque illius ſpiritualem ſuper hoc euangelio intellectum hîc *Auguſti.* quoque inferre, cum ipſa etiam venerabilis Bedæ expoſitione: breuiter tamen hæc omnia ne quicquam faſtidij hæc noſtra vobis ingerat prolixitas. *Beda.* Sic habet textus, Erant ibi hydriæ ſex poſitæ, eas iuſsit dominus impleri. Hydriæ illæ ſex, ætatis ſex ſunt, in quib⁹ nō defecit prophetia, prima ab Adā vſque ad Noe, ſecunda à Noe ad Abraham, tertia ab Abraham vſque ad Dauidem, (ita enim Matthæus quoque teſtatur.) *Matth. 1.* quarta à Dauid ad tranſmigrationem Babylonis vſque, & quinta ab illa vſque ad Ioānē Baptiſtā ſiue Chriſtū. (Aduerte tamē quòd qui ſeptem faciūt ætates, Moyſen interponūt.) Sex igitur ætates ſunt mundi, quæ omnes vacuæ erant, futuræ etiam inanes perpetuò, niſi eas Chriſtus impleuiſſet, ab eo enim impletæ tunc ſunt, quando in ipſo prophetiæ omnes ſunt conſummatæ, & ex aqua vinum factum eſt, cùm in prophetiis omnibus cœpit intelligi Chriſtus. Et propriè loquēdo, *Beda.* aqua ſcripturæ ſacræ ſciētiam deſignat, quæ ſuos auditores & à peccatorū ſordibus abluere, & diuinæ cognitionis poteſt fonte potare. Vaſa ſex quibus continebatur, corda ſunt ſanctorum: quæ quia fuerunt lapidea, ſignificatur ea & firma fuiſſe & fortiter fundata ſuper illam ſolidam petrā, ſuper lapidē angularē Chriſtū, *Epheſ.2.* quem vidit Daniel à mōte cōcidi ſine manibus. *Dan.2.* Deinde commemorat Euāgeliſta illa huc adhibita eſſe iuxta purificationem Iudæorum: quia lex ſolis data erat Iudæis, euāgelium verò Iudæis & Gētibus. Nota etiam quòd quādiu apta fuit, in hydriis fuit: at vbi primum vinum factum eſt, iuſsit Chriſtus fundere ex hydriis. Cur id tādem? in promptu illa ſignificatio eſt, quoniā lex Moyſi in tabulis ſcripta erat lapideis, ſiquidem & Iudæi corda habebant *Exod. 31. & 34.*

Exo. 2. 3. similiter lapidea,populúsque is erat & pertinax & durissimi
Actu. 7. cordis. Verùm ex ista duritie Christus deinde euangelicam
Ioan. 1. induxit suauitatem: ideóque & Ioannes ait, Lex per Moysem data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Sed & Petrus de lege Mosaica loquẽs, nos docet quo-
Actu. 15. modo aqua ista cruda & insipida in lapideis hydriis versa sit in vinum, cùm ait, Quid tentatis deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? sed per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus saluari. Nónne hîc patet, quomodo & ex aqua sit factum vinum, & illud deinde ex lapideis hydriis in alia vasa mitiora infusum? ¶ Et quod porrò sequitur, hydrias istas cepisse singulas metretas aut binas aut ternas, hoc sibi vult, quod vetus testamẽtum nũc tres in diuinis personas, nunc duas tantùm commemorat, vt cùm scriptum est,
Psal. 103. Omnia in sapientia (hoc est in filio) fecisti. virtus enim & sapiẽtia dei Christus est. Interdũ etiam commeminit spiri-
Psal 32. tus sancti, vt ibi, Verbo dei cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorũ. Hæc multũ extẽdit Augustinus verùm nobis satis sit interim, ea vel digito saltẽ cõmõstrasse. Nũc videamus quomodo amphoræ istæ salutaribus sint impletæ aquis scripturarũ, obseruemus etiam quo pacto eædem illæ in suauissimũ odorẽ, simul & saporem vini sint cõuersę. id ostendi poterit in ætatibus mundi, iam suprà commemoratis. Augustinus etiam idẽ declarat in Adam & Eua. Quid
Gene 2. enim aliud erant verba illa de matrimonio, quam aqua: Erũt duo in carne vna. Superueniẽs autẽ Paulus, eadem de Christo exposuit & ecclesia. Ecce iterum aquam ex alia hydria tibi. Dormiente Adam sumpta est ex latere Eua, & ex ipsa
Ephes. 5. costa facta. En autẽ hîc tibi Paulum rursus, & videbis aquam illam factam vinum. siquidem Adam iste typus & figura ex-
Roma 5. titit venturi Adæ, scilicet Christi. Dormit enim Adam ille vt fiat Eua, & moritur Christus vt fiat ecclesia, nascatúrque adeo ex latere illius. nãque & Eua sumpta est ex latere Adæ, & Christo in cruce mortuo, apertum est latus eius, vt inde
Beda. fluerent sacramenta ex quibus ecclesia formaretur. Beda idipsum in Abel etiam & Cain declarat hoc modo, Quisquis factum illud auersatur, vtique & cõdemnat sceleratum istud sacrificium Cain, eiúsque inuidiã, cædem, timorem, maledictionem & condemnationem, atque vicissim laudat bonum

&pium istum Abel, cupit cum eodem offerre sacrificium beneplacitum deo simúlque benedictionem accipere illius. Gen. 4.
Verùm hæc omnia aqua sunt tãtùm veteris testaméti, quãuis non omnino mala, hanc mihi vide versam in vinum, & meditare Cain significare peruersam malitiam Iudæorum, qui fratrem suum occiderunt innocétem, Abel verò significare passionem & morté Christi, qui in Abel iam olim pati cœpit, & in mortem tradi ab origine mũdi. Terram quoque quę sanguinem Abel suscepit, ipsam esse ecclesiam fidelium, quæ sanguinem Christi, à Iudæis effusum suscepit, in mysterium suæ renouotionis. Hoc modo quicũque sancta illa veteris testaméti verba sanctiùs adhuc & intelligit & interpretatur, is sanè cum architriclino videt ex aqua vinum, ex litera factum esse spiritum. Apoc. 13.
¶ In secunda ętate, totus diluuio mundus deperit, Noe excepto, & quotquot cum illo erant, hominibus animabúsque terrę in arca. Quod cum legis, & horrendam istam recogitas plagam quę super vniuersum irruit orbem, paucorũ quoque liberationem, & iam ipse quoque cupit cum electis saluari, ne cum malis reiectus delearis & pereas, notis aquam adhuc esse in hydria ad purificandum te. Verùm cùm apud te cogitas Noe Christũ & arcam significare ecclesiam, iuxta interpretationem Petri, & quod sicut aqua peccatores, ita baptismus delet peccatũ, columba verò quę ramum oliuę defert in arcã, spiritum sanctum designat, qui oleum gratiæ suę infundit piis hominũ mẽtibus, huiusmodi contemplatio dulcior suauiórque est longè vino optimo, apud omnes verè pios & Christianos homines. Vel etiã: sicut ex hac hydria hausit beatus August. vt sicut per lignũ figura orbis terrarum ibi in arca liberata est, ita in ligno crucis figeretur vita orbis terrarum, & sicut extra arcã nemo remãsit incolumis, ita hîc extra ecclesiam nemini esset expectãda spes salutis. Offer hæc prudenti architriclino scripturæ sacræ, & is sanè dicit vinũ hoc vtique esse nobilissimum. Gene. 7.
¶ Digrediamur vlterius etiã in tertiã ætatem, & videbimus hîc quoque hydriã in qua sit aqua. Cùm enim Abraham iam immolaturus vnicũ suum esset filiũ, & in locum illius angelus ei monstraret arietem, qui & immolatus est, si expendas Abrahæ obedientiam, qua tantùm ille meruit apud deum, teque componas, & animum tuum in omni obediẽtia, aqua est quidẽ, neque mala, vt quæ à multis te præferunt peccatis, Gene. 22.

præterea nihil. Vnde si cogites illū Abrahæ filiū, filiū dei designare Christū, illūmque sic fasciculū detulisse ad sacrificiū
Ioan.19. sicut Christus crucem suam portauit in Caluariæ locum : & quoniam vnigenitus offertur, diuinitate interim permanēte immortali, immolatus est aries, hoc est, humanitas tātum Christi passa est & mortua. Id si ita tecum recogitas, considerans benedictionem Abrahæ per obligationem Christi venisse in te mundum hunc vniuersum, sicut & Abrahæ dixit
Gene.22. deus, In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ ; Ecce iam aqua prophetiæ versa tibi est in dulcoré vini, dum agnoscis filium vnigenitum Christum, qui & promissus est. Vinum hoc illud est, quod & degustauit & multis modis commendauit Gallatis Paulus. ¶In quarta quoque mundi ætate Dauidem videm⁹ post multas persecutiones, quas sustinuit à Saule, regem tamen factum, ita vt regnum illud sibi sponderetur à deo fore perpetuum: quod quisquis audit & innocen-
I. Reg. 2. tiæ studet, sicut Dauid, patienter sustinens omnes tribulationes, is sane aquam inueniet mundam. Verùm si per Saulem Iudæos, & in Dauide intellexerit Christum, & quoniam Iudęi Dauidem, hoc est Christum, persecuti sunt & ecclesiam suam, vnde ab eis & spirituale regimen & sceptrum ablatū est seculare. Iam enim ex regione sua expulsi, & per omnem mūdum dispersi, contempti vndique circumerrant Iudęi, totam peragrant terram, nusquā domestici. & sicut ipsi aiunt, LKILL & peregrini, sedent absque sacrificio, templo, rege, sacerdote & Ephod, sicut eis prędictum erat per Oseam pro-
Oseæ 3. phetam, omnis tunc eorum gloria, totiúsque regni sui splendor in Christianorum translatus est ecclesiā, cuius regni sa-
Lucæ I. nè nullus erit finis, iuxta vocem angeli ad Mariā. In Christo enim impletum est illud Dauidis dictum, Exurge domine &
Psal.85. iudica terram, quoniā tu hęreditabis in omnibus gentibus. Melius paulò gusta vinum illud, in omnibus gentibus. Lutherani nunc & Zuingliani putantes Christum & ecclesiam tantùm penes se esse, sicut quondam Donatistæ, ecce aquam adhuc bibūt, & eā turbidā atque ingratissimam, neque dum degustarunt illud falernum nobile quod Christus miscens omnibus propinat gentibus. ¶In ætate quinta populus Iudaicus in captiuitatem ductus est Babylonicam, & ibidem annis trāsactis septuaginta, cùm iam pœnitentiam egisset, domum reductus est per pontificem illum magnum Iesum,

Hoc qui iuxta historiam audit,& metum peccati sibi inde cōcipit,pœnitentiam insuper agens de peccatis commissis,iam se abluerit aquis hydriæ lapideæ: præter hæc autem cum cogitare apud se incipit, quod Hierusalem ecclesia ecclesiam significat fideliū,Babylon impurissimā cōtagionē peccati,Nabuchodonosor diabolum:& pontifex Iesus illū designat sacerdotē æternum Christum:videt indies multos multa bona facere,melioré́sque fieri ex gratia dei,& alios vicissim propter peccata sua abripi à diabolo:ille iam vinum habet doctrinę euangelicæ. Quicquid enim patribus contigit, in figura tantum factum est:vnde& Iesus ille perfectior erat sacerdos isto, qui filius fuit Iosedech:sicut Paulus, qui vinum istud sanè satis gustauit,aliı́ſque parandū infudit,declarat ad Hebræos. 1.Cor.10. Hag.1. Zach.3. Hebr.5.

¶ Sed iam nunc postremò ætatem illā sextā quoq; contemplemur, in qua natus Christus die octauo circuncisus, tricesimo verò in templum est præsentatus,& pro eo munera iuxta legis præscriptum oblata. Vbi magnum sanè est illud, quod discimus,quia diligentia legem seruare debeamus euāgelicam: quando Christus legum omnium dominus ea dignitate legem seruauit veterem, qui tamen venerat ferre & sanctificare legem nouam.Verùm hæc aqua tantum est,licet amœna & liquida, quam qui volet vinum fieri, cogitabit apud singula ista hoc modo, Circuncisionem intelliget nostrum baptismum,& in præsentatione meditabitur ipse,quomodo Christiani post baptismum templum ingressi, sancto missæ sacrificio peracto, ipsi quoque venerabile suscipiant sacramentum corporis Christi.Quòd si verò quis etiam diem circuncisionis octauū referre commodè poterit ad diem nouissimum,quo omnis ista caduca peribit mortalitas,quo omnes sancti immortales mercedem bonorum operum & meritum suum recipient in æterna felicitate:is(mihi crede) demum gustaturus est vinnm præciosissimum & nectari simillimum. Et hoc illud est quod dominus vinum in iis nuptiis, non ex nihilo facere voluit, sed præcepit potius impleri hydrias aqua.sex enim illas mundi ætates saluberrima donauit sapientiæ aqua,quas tamen deinceps cum in mundum ipse venisset, virtute quadā sublimioris & spiritualis cuiusdā intellectus illustrauit. Ex iis omnibus hucusque cōmemoratis, cōcludo quémque pro virili recogitare debere, quidnā sibi vinū illud velit euāgelicū.neque enim hoc vinū temulentię est Mala. vīna.

Esa. 5. & beluinæ ebrietatis, de quo Esaias dixit, Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendã ebrietatem. Neque verò vinum hoc, vinum istud iniquitatis est, de Prou. 4. quo Sapiens, Comedunt, inquit, panem impietatis, & vinum Deut. 32. iniquitatis bibunt. Profectò etenim vina mala sunt pleraque & amara, quando & damnationi facile parant aditum, sicut in cantico suo Moyses cecinit, Vua eorum, vua fellis, & botr⁹. amarissimus: fel drachonum vinum eorũ, & venenum aspidũ insanabile. Verùm hoc ille nostrum vinum euangelicum in scripturis exhilarat corda hominum piorum sublimi & spirituali sensu, iuxtáque cum eleuatione mentis in superna illa mysteria dei, Vinum hoc & nectar nobilissimum, deũ simul Luc. 22. & homines lætificat, hoc modo à ministris verbi prædicatoribus haustum, Tribuat itaque dominus deus hoc nobis quoque clementer, vt hoc vino in præsentiarum satiati, bibamus etiam illic cum Christo nouum istud vinum de genimine vitis in regno patris sui. Amen.

HOMILIA VII.

Nimiũ imorati sumus, nescio qua capti mysteriorum dei suauitate: spirituali hinc intellectu declarare simul & ostendere volentes, quomodo prædicatores consimili vtantur expositione mystica in singulis euangeliis, sicuti & facilima est illa theologia significatiua, & à sanctis patribus prudenter doctéque pertractata. Quæ sanè spiritus sancti vbertas est, qui nobis scripturas sacras affatim adeò & abundanter tradidit, vt non tantùm omnes creaturæ clament & eloquantur, enarrántque gloriam sui creatoris, verumetiã quælibet creatura veluti quidã sit liber dei, in quo legas quæcũque voles de perfectione diuina. Qua de re aliâs plura: nunc tantùm ad finem contextus huius euangelici progrediamur, vbi Euangelista sic ait, Hoc fecit initiũ signorũ Iesus in Chana Galilææ. vbi nos breuiter videamus duo, alterum, quomodo signorum Christi cæterorum signum hoc fuerit initium: alterum, qua de causa & in quem finem miraculum hoc factum sit. Principiò profitemur nos hîc nihil de virtute Christi dicturos miracula operandi. Quum enim ille verus fuerit deus, potens vtique fuerit etiam miracula faciendi semper. tantùm hîc de facto loquimur: vbi quidam eius fuerunt opinionis, vt dicant Christum antea quoque plura fecisse miracula ab infantia sua, sicut & libellus quidam de infantia Christi pue-

rilia miracula plurima continet, & ipſum ſimiliter Euangelium Nazareorum. Hi omnes vt ſuæ patrocinentur opinioni, hoc illud euangeliſtæ verbum ſic accipiunt, quoniam hoc initium fuerit ſignorum chriſti, non omnium, ſed eorum quæ exhibuerit in Chana Galilææ. Verùm hæc ſententia non placet Chryſoſtomo, ait enim non contendere ſe, ſed neque multùm referre, fuerit ne hoc initium ſignorum Chriſti. Tantùm, inquit, illud affirmo, poſt baptiſma Chriſtum miracula facere cœpiſſe, antè nullum. Hoc ſiue aliud primùm fuerit poſt baptiſma, non admodum quæſitu neceſſarium ducimus. Et homilia 20. inquit, Quòd ſi quis diceret, non hoc fuit primum ſignum, quia additum ſit in Chana Galilææ, ac ſi diceret, Non omnium primum, ſed eorum quæ illic fecerat. Ad hoc reſpondebimus, quod ſuperius inquit Ioannes. Ego neſciebam eum, ſed vt manifeſtetur in Iſraël, propterea ego veni in aqua baptizans. Nam ſi antea feciſſet miracula, non indiguiſſet Iſraël Ioanne, qui ipſum manifeſtaret, imo miracula ipſa id feciſſent. nam qui in tam breui miraculis claruit, Iudeis & Syris cognitus, longè magis claruiſſet à prima infantia: ſi ea feciſſet, fuiſſet enim maiori admirationi, vt pote puer, quàm vir. Vir nanque quum iam factus eſt, per miracula ſua non Iudæis tantum, ſed & Gentibus innotuit omnibus vnico triennio. At quid opus fuerat præcurſore, qui ideo mitteretur ante Chriſtum, vt ei viam pararet, vbi ſi Chriſtus etiam puer miracula feciſſet, nihil opus habuiſſet Ioanne, qui eum manifeſtaret? Primum itaque hoc Chriſti fuit miraculū: etſi dicis antea quoque facta eſſe miracula, puta in ſtella magorum, in apparitione columbæ, &c. Et quia hîc mentionē facit diſcipulorum, ſuſpicio eſſe videtur, illos attrahere eum ſic voluiſſe miraculis ſuis. Quid quod Lucas teſtatur, ipſum adhuc duodennem, grauiter adeò & maturè tum reſpondiſſe legis doctoribus, tum viciſsim eos interrogaſſe?

Nazarei. *Chryſoſto.* *Ioan. 1.* *Luc. 2.* *Mat. 3.* *Ioan. 1.*

¶ Ad hæc obiecta breuiter reſpondeo, & primùm de ſtella atque columba ſtatim dico, quod quanuis ea quoque ab ipſo tanquam deo ſint facta (opera enim trinitatis, inquit Damaſcenus, ſunt indiuiſa. & quod operatur, pater idem filius quoq; facit & ſpiritus ſanctus. ſi quidem perſonæ illæ tres vt vnam habent eſſentiam diuinam, voluntaté vnā, vnámque virtuté, ita & operationem vnam: vſqueadeo vt fieri nō poſsit, perſonam aliquam facere quicquam, quod non operentur & alię.)

tametsi igitur Christus quoque miracula hęc fecerit vt ver⁹ dei filius, nó tamẽ ea fecit secundũ suã humanitẽ: sed neque signum hinc vllum licebat colligere de ipso, cùm non apparebat eum hæc facere,& quod de discipulis infertur, dico illos nec credidisse in Christum neque sequutos eũ fuisse propter miracula,sed primum statim ex illo Ioannis testimonio,
Ioan.1. cùm videns dominũ,diceret,Ecce agnus dei. Tunc enim audierunt eum duo discipuli loquentem, & sequuti sunt Iesum, quanuis deinceps doctrina Christi confirmati sunt fortiùs. Estque hæc nõ exigua laus discipulorũ, quód sequti sunt ipsum,priusquã vel miracula eũ facere viderant, vel ab eo quicquam de præmio æternæ retributionis audierant, vt inquit
Gregor. Gregor. Sed quod tertio loco obiectum est, illum in templo sedisse in medio doctorũ,argumentum quidem fuit & signum suæ sapientiæ euidens, sed non perinde virtutis suæ quam in miraculis denique declarauit, sicut & cũ Nathanaële loquens iam à Philippo vocato,& antehac quoque sub ficu agnito,scientiam suam demonstrauit, non potentiam. Ex iis omnibus sequitur,libellum istum de pueritia Christi, nõ minus meritò reiectum esse,quàm euangelium istud Nazaræorum, quod vtrinque miracula descripta sint plurima, quæ fecerit Christus ab infantia sua,verum id ex causis iam cõmemoratis fieri non potuit, inquit Chrysostomus homili.16. Et si queris,cur nam eousq; miracula facere distulerit Christus(is enim quia anno demum baptizatus est trigesimo, videretur sic miraculum hoc fecisse anno tandem trigesimo primo post ieiunium
Chrysosto. quadraginta dierũ) causas hui⁹ rei en duas tibi ex vno Chrysost.qui inquit, Non immeritò à teneris annis Iesus à miraculis abstinuit:arbitrati enim essent se præstigia videre.Nam si annorum accessu & ætate matura multi id suspicati sunt, quid de puero credidissent? præterea maturiùs eum propter inuidiam crucifixissent,& generatio eius non fuisset credita. Possunt præter has duas aliæ quoque rationes adduci. hoc ipso enim quod hic dicitur,Christum illud fecisse signorum initium, duplici de causa:altera, vt manifestaretur gloria eius: altera, quòd crediderint in eum discipuli sui. quid aliud sanè intelligendum hic nobis offertur, nisi Christum non maturè miraculorum suorum operationem inchoare debuisse? siquidẽ diuinitatem eius manifestare docebat hoc modo, vt tamen humanitas interim illius non negaretur, quam nimi-

rum humanam istam verè susceptam naturam tantisper probare voluit,& tot annis confirmare, ne aliquam relinqueret hæreticis occasionem eandē calūniandi. Quòd si puer statim aut infans adhuc miracula facere cœpisset,tandem clamasset Manichæi.Marcionitæ,Appelles,& alij complures hæretici ipsum non verè corpus habuisse & carnem, corpusque adeò illud suum phantasticum tantùm fuisse.Tam cōstāter itaque & tot annis diuinitatē simul & humanitatē suam argumentis certissimis Christus voluit comprobare, Sic & in fide voluit doctrinam suam Christus miraculis firmare, vbi oportebat sanè prius doctrinā præmitti,quàm confirmaretur.Neque verò decorum fuisset, Christum adhuc,siue infantulum, siue etiam puerum, ante legitimam ætatē docere cœpisse & prædicare:quod nemo vtiq; sumere tibi debet & vsurpare, vt antea doceat,quam didicerit ipse. Sed & ætas illa annorū triginta, huic officio fuit cōmodissima, siquidem & typus Christi Ioseph,ea ætate administrationem subit,& regimen Ægypti:& Ezechiel cū annos totidē peragisset, prophetandi munus suscepit:& Dauid quoque annorū triginta existens,regere cœpit. Quod in primitiua quoq; ecclesia pro lege habitum est, vt iuxta cōcilii Neocæsariensis canonē,ante triginta annorū ætatē presbyter nullus ordinaretur.quamuis esset probabilis vitæ:sed obseruaretur vsque ad præfinitū tempus,quando dominus quoque tricesimo anno baptizatus est, & nunc prædicauit. Præcepit idem postea Bonifacius quoque pontifex Maximus. Quod nūc etiam in gymnasiis quibusdā consuetudine non omnino mala obseruari cōstat,vt theologiæ doctor nullus promoueatur,nisi qui annū, attigerit trigesimum. Id verò cū presbyteris iā mutatū est,si quidē illi annum etiā agētes 25.consecrātur, cum ipsa etiam hominis vita decrescat, & quò magis ad iudicij nouissimi diem mūdus declinat,eò breuior fit hominum vita. Quāuis rationes istas nō tanquā necessarias in medium adduxerimus, quando sunt rationes decentiæ tantū & congruitatis:& propriè loquendo, vera causa cur ille miracula facere distulerit,est deiformis sua voluntas

Gene. 41.
Ezechiel.
2.Reg. 5.
78.di. ca. 1. & can. presbyte.

2 Rationem insuper reddit Euangelista miraculi huius, quoniā manifestarit gloriā suam : intellige quantum in ipso erat, regem se exhibuit gloriæ, qui potestatem haberet ipsa etiam elementa transmutandi. Quanuis enim dominus noster gloriam simul & maiestatem suā abundè etiam exhibuit

huiusmodi declarãdi operibus, quæ solus potest facere deus: & sic in illo, aliisque miraculis impletum est, quod ante aquilino suo visu viderat Ioannes, dicens, Vidimus gloriam eius,
Ioan. 1. gloriam quasi vnigeniti à patre, plenũ gratia & veritate. Altera verò causa est, quamobrem miraculum hoc fecerit Christus, vt firmaret simul & confortaret fidem suorum Apostolorum, nõ tamen quod illi iam sui essent apostoli, in quod munus deinceps tandem sunt vocati, sicut & aliquando de apostolatu prædicabimus & iam suprà ex Augu. est declaratum. Nec est quod putes eos nunc primum in Christum credidisse. sine dubio enim Andreas credidit, cùm eũ sequeretur: cre-
Ioan. 1. didit & Petrus, credidit in illum Nathanaël quoque, cum diceret, Tu es filius dei, tu es rex Israël. Verum fides ista augebatur in illis quotidie, & crescebat magis, ac magis sicut ex hoc quoque miraculo, & crescere quidem atquæ augeri in homi-
Luc. 17. ne fidem, apertè nos apostoli suo docent exemplo, clamantes ad dominum, Domine, adauge nobis fidem. Fides enim fit & conficitur ex tribus.

1 A deo quidem immediatè, quomodo infanti in baptismo infunditur. 2 Ex authoritate dicẽtis, & sic cùm scriptura sacra quippiam refert, fides eidẽ adhibetur ex scriptoris authoritate, quam ille apud ecclesiam emeruit. 3 Hauritur etiam fides ex miraculis, vt cùm Christus apostolos ablegaret in mundum vniuersum prædicare euangelium, quo ille eorum sermo nouus planè & omnibus retro inauditus seculis faci-
Mar. 16. liùs susciperetur. addidit doctrinæ nouæ quoque miracula operandi virtutem, dicens, Signa eos qui crediderint, hæc sequentur, &c. Ex iis omnibus iam patet, cur, quibúsque modis fiant miracula: neque enim omnes clamantes ad deum, miraculis iuuantur. plerique clamant ad dominum, faue, audi, adiuua: nec tamen aliud audiunt, quàm quod ille verbũ respondit matri, Nondum venit hora mea, nondum tẽpus est operãdi miracula. Cætera de miraculis require in sermonibus Ascensionis domini. Rogamus dominum, &c.

¶DOMINICA III POST EPIPHANIAM, EVANG. MATTHAEI. 8.

Mar. 1. *IN ILLO tempore, Cùm descendisset Iesus de monte secutæ sunt eum*
Lucæ 5. *turbæ multæ & ecce leprosus veniens adorabat eum dicens, Domi-*
Infrà 12. *ne, si vis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, di-*
& 15. *cens, Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi*

Iesus. Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis. Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Cēturio, rogans eum & dicens, Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Iesus, Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio, ait, Domine, nō sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate cōstitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alio, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus, miratus est, & sequentibus se dixit, Amen dico vobis, non inueni tantā fidem in Israël, Dico autem vobis, quod multi ab oriente & occidente venient, & recūbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentiū. Et dixit Iesus Centurioni, Vade, & sicut credidisti fiat tibi. & sanatus est puer ex illa hora.

Mar. 7. 9. Lucæ 7. Ioan. 4. Luc. 7. Luc. 13. Luc. 13. Luc. 7.

HOMILIA I.

PRINCIPIVM Euangelij sic habet, Cùm descendisset Iesus de monte Intellectus huius Euangelij & miraculorū Christi rationes, ex præcedenti textu emanant, vbi ascendēs Christus in montem, aperto ore euangelium nouum, nouam illam legem & testamentum apostolis suis prælegit, prædicauítque aureo planè sermone: quem tribus capitibus, quinto, sexto & septimo, complexus est Matthæus: eum quoque sermonē domini in monte dicimus, inquo interpretando singulare ingenij sui acumen, spiritúsque sancti sibi concessum donum prodidit B. August. Finito itaque sermone illo, sequitur euangelium hodiernum, Cum descendisset Iesus de monte. Et rectè nimis ex sententia Hieronymi post prædicationē atque doctrinam signi offertur occasio, vt per virtutum miracula præteritus apud audientes sermo firmetur: sicut & Marcus de prædicatione apostolorum ait, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Et id sanè domino quoque fuit conuenientissimum, qui cum virtus esset & sapientia dei patris, iuxta vocem Pauli, in monte docuit Sapientia diuina, & de mōte descendens maxima fecit miracula vt virtus dei, idque in præsentia plurimæ turbæ, quo sic tādem doctrinam suam facto mirabili confirmaret. Cùm enim hoc modo diuina maiestas miracula operatur ad comprobationem doctrinæ, oportet etiam vtique & veram esse & in-

Matt. 18. Matt. 5. Augusti. Hieron. Mar. vlt. 1. Cor. 2.

fallibilé, quando deus nō poteſt falſus eſſe teſtis, & cùm illam ſupernaturali confirmet operatione, iuſta quoque & vera erit. neminem enim fallit deus Super hæc quoque Chryſoſt. Tu, inquit, domini perpende ſapientiam, quemadmodum diſpenſationes ſuas pro vtilitate variat audientium, vt nunc quidē à ſignis ad verba tranſeat, nunc autem à doctrina migret ad ſigna. Nam & prius quàm in montem præcepta daturus aſcēderet, multos vtique curauit, vt iis quæ dicenda erant, viam pararet. & rurſus hoc prolixo doctrinæ ſuæ ſermone finito, ad facienda nihilominus ſigna regreditur, vt ex iis profectò dicta confirmet. namque in ipſo ſermonis dominici fine Euāgeliſta ſic ait, Admirabantur turbæ ſuper doctrina eius. erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens: Hæc ipſa Euangeliſtæ verba Chriſtus iam nunc implet, cum doctrinam ſuam operibus exercens, poteſtatem quoque manifeſtat diuinam. & hoc illud erat quod deinceps ad Chriſtum dixerunt, De Ieſu nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & ſermone coram deo & omni populo.

Chryſoſto. *Matt.* 7. *Luc.* 24.

2 Cùm deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. Vulgus hoc erat & plebs hominum bonorum, non iſti faſtuoſi & tumentes phariſæi, non magnates ex ſcribis & ſacerdotibus, qui plerunque aduerſati ſunt domino, eúmque variis tentabant quæſtionibus & obiectionibus: tātùm id vnicè accurantes, vt dominū in verbis ſuis caperent, doctrinámque illius calumniarentur & cauillarentur. Non autem ſic pium iſtud vulgus hominum, qui vbicunque poterat ſilenter & clàm diuinam eius attendebat doctrinam. Auguſtinus ſuper Euangelium Ioānis quinque rationes adducit, vnde moti ſint homines ad ſequendum Chriſtum. Quidam enim ſecuti ſunt eum, vt ſanarentur, ſicut leproſi in euāgelio: alij ex temeraria quadā præſumptione, vt ſic miracula quoque eius viderent: alij vt ab eodem inſtituerentur & docerentur: nonnulli vt lucrum qualecunque ſibi pararent temporale, cuiuſmodi erant quibus dixit dominus, Quæritis me, nō quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Quidā etiam vt eum apprehenderent & accuſarent. Et primi quidem illud ex neceſsitate fecerunt, ſecundi ex temeritate, tertii ex charitate, quarti ſtudio quodam priuati commodi, poſtremi verò ex obſtinata malitia. Super iis ſingulis ſcripturarum afferre exempla facilimū foret, quod ego nunc bre-

Matt. 16. 19. 22. *Cur homines Chriſtū ſecuti.* *Ioan.* 6. *Matt.* 16. & 22.

uitatis causa supersedeo. Tu tamē sectatores istos Christi tam varios nostratibus cōfer Christianis, qui tamen prædicationes ipsi quoque audiunt, & tēpla ingrediuntur: fit illud quidem sed prohdolor, non in honorem dei, non est Christiana pietate, disciplina & charitate. Sed de iis, volente deo, aliâs plura. 3 Sequitur iam deinceps, Et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens, Domine, si vis, potes me mundare. Laudat leprosum hunc beatus Chrysostomus, dicens, Magna est prudentia accedentis, & fides. Non enim quasi inconsideratus sermonem docentis incidit, nec illud auditorum theatrū importunus intercidit, sed expectauit tempus aptissimum, & descendēti iam ei, opportunissimè supplicauit. Quia enim tempus est omni rei sub cœlo, tempus doctrinæ, tempus curationis: in monte docuit, animas curauit, corda sanauit: quibus expletis (nam sicut de cœlestibus montibus diuinitatis suæ ad saluandum fragilitatem nostram, sic descendit de monte infirmos curare) aduenit leprosus, adorans eum, credens in illum, profitens eum esse deum. ita enim præceptum est in lege, Dominum deum adorabis, & illi soli seruies. Neque verò simpliciter & nudè adorauit dominum, sed etiam (vt quidem Marcus commemorat, procidit ante illum flexis genibus, sicut edoctus erat à Psalmista dicente, Venite, adoremus & procidamus coram domino. Venit itaque (vt inquit Origenes) leprosus, & adorabat eum. Antequam peteret, adorare cœpit, cultum ostendens, sicut & magi tres procidentes adorauerunt Christum adhuc paruulum, & tunc demum obtulerunt munera sua. Quid multa? leprosus iste Christum & deum agnouit & dominum suum: qui plenissimam rerū omnium haberet potestatem. Et hanc quidē illius perfectam fidem perspicere licet, non tantùm ex operibus, cùm legitur procubuisse, Christumque adorasse, verumetiam non paulò apertiùs ex eius sermone, quid sanè egregiè expendit Chrysostomus, cuius hæc sunt verba, Non dixit ille, Si deum oraueris, potes me mundare. neque ait, Domine munda me, sed ipsi cuncta commisit, eúmque conferendæ sanitatis dominum esse confessus est, atque in ipso constituit omnium potestatem: cum diceret, Domine, si vis, potes me mundare. Voluntas tua opus est, & opera tuæ voluntati obediunt: vnde fit vt neque de virtute, neque de potentia tua quicquam addubitem, tantum voluntatem peto, imploro & appello tuam. Si

Mat. 8. *Chrys.* *Origen.* *Deut. 6.* *Psal. 99.* *Origenes.* *Matth. 2* *Chrys.* *Orige.*

vis igitur domine, potes vtique me ſanare: idque in rem & commodum vitæ meæ, in honorē & gloriam nominis tui, & iis qui ſpectatores erunt, ad miraculum & incrementum do-
Hieron. ctrinæ tuæ. Ecce enim verum eſt quod ait Hieronymus, eum qui voluntatem rogat, de virtute non dubitare. ſed & fides huiuſmodi propriē in ipſam dirigitur deitatem, quæ ſola eſt o-
Heſt. 13. nipotens. Itaque & Mardocheus dicebat, Domine, domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſsit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſraël.
Pſal. 134. ſimiliter & Dauid, Omnia quæ voluit dominus, fecit in cœlo & in terra. Neque verò appendix iſta, Si vis, aliqua eſt voluntatis huius diuinæ in Chriſto extenuatio: quaſi cogitarit ille apud ſe, voluntatem Chriſti non eſſe ad omnia bona paratam: verum quia nec ſemper, nec omnibus iſta corporis ſanitas ad animæ prodeſt ſalutem, ignorabat ille an ſibi profutura eſſet iſta lepræ ſuæ mundatio,
Mar. 8. 5 Extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens, Volo, mundare. (imperatiuus hic eſt paſsiuus.) Duo autem exprimit Euangeliſta, quòd Chriſtus & extenſa manu tetigerit leproſum, & verbis quoque ad hoc ſit vſus, quibus factum eſt vt ille ſanaretur. Cùm verò Chriſtus vel vnico verbo, imo nutu ſolo illum ſanare potuiſſet, ſicut iam de omnipotentis illius dictũ eſt voluntate, non temerè factum eſt vtique quid inſu-
Chryſoſto. per eum tangere quoque voluit. Et eius quidem rei rationem
Leu. 13. geminam reddit Chryſo alteram, vt hinc quoque oſtenderet, non ſe ſubditum legis eſſe, ſed dominum in lege enim leproſus pro immũdo reputabatur, præceptúmque inſuper erat, ne quicquam tangeretur immũdum, vnde quiſquis in veteri teſtamento tetigerat leproſum, eum mundari rurſus oportebat ex lege. Altera itaque iſtius ex hoc cauſa pendet, quòd declarare voluerit omnia eſſe mundis munda. Quanuis ex multis adhuc iſta quoque aſsignari poteſt ratio, quòd per hoc filius ſuam illam quã ſuſceperat humanitatē, cohoneſtare dignatus eſt. licet enim miracula illa virtute operabatur diuina, tamen in forma faciebat humana, velut per inſtrumentũ illud ſuum. Et ſic corporaliter extendit manũ, ad deſignan-
Manus dam manum illã ſublimē dei: ſiquidem is ſcripturæ mos eſt,
Dei. vt virtutem & potentiam dei manum appellet, ſicut & male-
Exo. 8. fici Pharaonis dicebant, Digitus dei eſt hic. & Chriſtus in e-
Luc. 11. uangelio ait, Si in digito dei eiicio dæmonia, profectò venit

nit in vos regnum dei. Verùm tu non de ſolo digito, ſed etiã manu dei ſcripturæ teſtimonia requiris. En hæc quoque tibi ad manum, vbi in Eſdra legimus, Manus dei noſtri eſt ſuper omnes qui quærunt eum. Et in libro Regum, Aggrauata eſt manus domi[illegible] ſuper Azotios, & demolitus eſt eos. Sed & Dauid quoq;, I[illegible]anu tua, inquit, domine ſunt omnes fines terræ. Dum i[illegible]eproſum manu ſua tangere dignatur dominus, oſtend[illegible]lt diuinitatem miracula iſta operari, quæ humanæ naturæ erat vnita. Alia quoque cauſa dari poteſt, cuius & ipſe meminit Origenes, quamobrem tãgere leproſum voluerit, vt nimium humilitatem demonſtraret, nóſque doceret nullum ſpernere, nullum horrere, nullum contemptibilem ducere propter corporis læſionem aut maculationem, ſicut Iob dicit, Viſitans ſpeciem tuam (hoc eſt, hominem, qui eſt eiuſdẽ ſpeciei tecũ) non peccabis. Laudatur in hoc Elizabeth, quod maximam charitatẽ habuit & exercuit cum pauperibus, eorúmque non tantùm lauit, ſed & exoſculata eſt cicatrices & loca. Refert quoque cantor Parrhiſienſis fuiſſe ſacerdotem, qui vſqueadeo abhorruerit & aduerſatus ſit leproſos, vt eis etiam ſacramentum à latere tantùm per foramen porrexerit, ipſúmque deinceps eò latere factum leproſum totum, quòd antè à leproſis auerterat.

1. Eſd. 8.
1. Reg. 5.
Pſal. 6.
Origenes.
Iob 5.

¶ Et hinc iam ſequitur, quanuis Eliſeus leproſum iſtum ſanauit Naaman, non tamen vidit eum neque tetigit, ſed tantùm verbo illo curauit, cùm diceret iubérétque, vt ſepties ſe lauaret in Iordane. Chriſtus verò quia hîc leproſum tetigit, non tamen idcirco arguendus eſt Eliſeo imperfectior. Norat enim Eliſeus, quod ipſum ſolo nõ poſſet ſanare contactu, ideóque eum miſit ad Iordanem, qui tunc typum gerebat ſacramenti baptiſmatis, vbi & ſeptenaria lotio ſeptem ſignificabat dona ſpiritus. Voluit igitur exẽplo illo declarare deus, quantum virtutis habiturus eſſet baptiſmus in ſpirituali iſta animæ lepra expurganda. Verùm Chriſtus iam hîc vt verus ſacramentorum omnium dominus, & à quo ſacramẽta virtutem ſuam ſortiũtur omnia, illiúſque amariſsimæ ferunt acceptam paſsioni & morti, declarare dignatus eſt ſe potentiam ſuam non alligaſſe ſacramentis, nolens ideo leproſum iſtum quoquã ablegare, ſed ſola omnipotentia ſua ſanauit eum. Deinde hinc quoque ſequitur, cur nam contra inhibitionẽ legis Chriſtus leproſum tetigerit, nimirum quoniam non literam

4. Reg. 5.

legis, quæ leprosum tangi vetuit, respexit ille, sed voluntatem legislatoris, qui istud cani:ne sani quoque inficerentur ex leprosi contactu. contagiosa enim est lepra, & ab altero in alterum facilimè transit. Cùm itaque Christo nihil vitij seu contagij iste contrahebat attactus, sed hoc modo magis immunditiem lepræ curabat, vsqueadeo lege[illegible] hoc non
Ioan. 5. soluit, vt etiam impleueri: sicut & apud Ioan[illegible]ixit, Opera quæ facio, testimoniū perhibent de me. H[illegible]huius quoque rei in veteri testamento exemplum, in quo quanuis lege
3.Reg.17. cautum erat, ne quis mortuum tangeret, eo vsque vt quisquis illud fecisset, haberetur immundus, eo tamen non obseruato
4.Reg.4. Elias mortuum viduæ filium non leniter tantùm tetigit, sed etiam expendens se, mensus est super puerum, similiter & Elisæus, sine omni legis violatione. ¶ Postremò iam quid Christus dixerit, attentiùs audite, Volo, mundare. Quod sanè signum euidens est, non fuisse hîc inuidos illos & liuore tabidos pharisæos, qui si interfuissent, nunquam sibi temperassent quin dixissent, vt quid hæc facis? cur leprosum contra legem tangis? Quia igitur ex tāto populo, inquit Chrysostomus, nullus accusat, neque erant ibi corrupta iudicia, ne-
Chrysosto. que spectatores liuore vitiati, ideo ad confirmandam leprosi simul & turbarum fidem. Volo, inquit. Vbi rursus ait Chrysostom. Certè tot signa & alia operatus est, nunquàm tamē hoc verbo vsus refertur: veruntamen non malè cōueniebat petitioni ipsius leprosi, qui quia dixerat, Domine, si vis: rectè respōdit ei dominus, Volo. simpliciter etiā voluntatem medici appellāti leproso: & de potestate nihil dubitāti cum diceret, potes me mundare: respondit rursus Christus, Mundare. Ne-
Hierony. que enim vt hîc probat Hierony. iungendum est, iuxta quorundam latinorū sic legentiū opinionē, sed separatim legendum, vt primū dicat, volo: deinde imperet, mūdare. quasi diceret Christus, Potentiā meam cōfiteris & virtutē, & tantum imploras voluntatē. magnificè credis, magnificè & mundaberis. nō dubitasti tu credere, nō morabor te sanare. quia igitur non distulisti confiteri, non differā ego te mundare. con-
Origenes. fiteris potentiā, precaris voluntatem. En itaque volo, mundare. O responsum propitiū, ô verbum pium & clemens, ô propensam dei voluntatē, quæ nobis omniū & bonorum & quæcunque in bonū cedunt, causa es & ratio certa! Cōsideremus autē & nos fratres charissimi, vt nullus peccati leprā in sua

habeat anima, vt nullus contaminationes delictorum in suô retineat corde. Quòd si autẽ quis peccatorum adhuc grauiter est onustus sarcina, procumbens in terram cum leproso, adoret dominum, dicens, Domine, si vis, potes me mundare: tu regem mundasti Manassem, qui in multis multũ deliquerat: tu Dauid adulterij & homicidij rerum expurgasti: tu Petrum à negatione, Magdalenam peccatricem à peccatis omnibus, latronẽ quoque in cruce serò pœnitentẽ suscepisti, & à sceleribus emũdasti: tu aliis innumeris es mundi naufragio ereptis, gratiam & misericordiã tuam clementer impendisti. *Si vis igitur domine, potes & me mundare.* Tunc enim clementissimus ille dominus Iesus Christus tibi quoque manum pietatis suæ porriget, dicetque tibi, volo, mũdare. Credidisti, vnde etiam sanus efficieris: & quia sperasti, mũdatus es: hîc quidem per gratiam & charitatem, illic verò in futura felicitate munditiem vitæ consecuturus æternæ, Amen. 2.Par. 33. 4.Reg.11. Luc. 7. Luc.23.

HOMILIA II.

LEPROSVM quendam præsens nobis proponit Euangelium, qui fide forti & constanti ad dominum venit, ex eo sanitatem petens morbo detentus naturaliter incurabili: venit, inquam, ille ad dominum magna præditus deuotione, parique labore, dum illum vt deum suum adorat, & creatorem veneratur, flexisque genibus, & super faciem suam (quemadmodum Lucas refert) iacens, clamat, Domine, si vis, potes me mundare. Suo nos ille sanè docuit exemplo, quomodo nos quoque in omnibus orationibus nostris nosmet debeamus conformare voluntati diuinæ: nec petere quicquam nisi iuxta voluntatem illius, quódque facit ad laudem dei & commodum nostrum. Videmus enim hîc Christum consensisse in preces huius leprosi, & sic potenter imperasse sanitatem: cui sanè imperio & statim paruit creatura, & illum etiam naturæ agnouit creatorem: quod nobis euangelista indicat, dicens. Confestim mundata, est lepra eius. quod & argumentum certum est, vera fuisse verba domini, cui aliâs paritura natura non fuerat, neque cessurã, si quã non habuisset deitatem, sibi vendicasset. Celerius autẽ cessit hîc natura dei, quam potuerit euangelista exprimere. Nam confestim quoque ipsum, multò est tardius, illius operis celeritate, quo leprosi facta esset curatio. Nunquid enim deo (vt ait angelus ad Abraham) quicquã est difficile? aut nónne Luc.5. Chrysosto. Genes.18. Luc.1.

Sap 16. Sapientis illud verißimũ est dictũ?Neque herba, neque ma-
1. Reg. 2. lagma sanauit eos, sed tuus domine sermo, qui sanat omnia. Tu es domine qui vitæ & mortis, habes imperium, & deducis vsque ad portas mortis,& reducis. Idque euidens fuit suæ diuinitatis argumentum,quòd apparet eum virtutis & potẽtiæ fuisse tam infinitæ,cùm omnes creaturæ in tempore operentur & successiuè,non instãtaneè,sicut hîc simul hæc facta sunt omnia,quod loquente domino cesSit lepra,& sanatus est ille. 2 Tria iam porrò Christus leproso adiungit mundato,ne cui quod secum factum est dicat, vt se sacerdoti ostẽdat,& offerat munus suum.
Hierony. Quoad primum,inquit S.Hieronymus,re vera necessariũ non fuisse,vt ille sermone manifestaret, quod corpore præferebat. Quasi & ipse dominus diceret,Non est quòd tu miraculum vndique celebrans exclames:illud enim te tacente per se clamabit & loquetur mirificè.
Origenes. Verùm cur silẽtium ei præceperit Christus, causam refert Origenes,huiusmodi,dicẽs,Quare,ô dulcißime domine,nũc dicis, nemini dixeris? Propter meam,ait, humilitatem,propter meam dulcedinem, vt & vos doceamini, quando aliquid boni facitis, non gloriari, non extolli, non inaniter placere velle in cõspectu hominum: sicut consuetudo est quibusdam, siue cùm aliquid boni fecerint,siue cùm ieiunauerint,siue in pauperem eleemosynis & largitatibus,siue in altaris honore, siue in sanctorum honorificentia. Etenim ipsi ante homines volũt glorificari & sibi placere,ante dominũ mercedem perdentes. Verum hîc obstrepes forsitan, cur Christus hîc celare
Tob.12. miraculũ iusserit leprosum, cùm tamen cõtrà angelus dixe-
Ioan.9. rit ad Tobiã, Opera dei reuelare & confiteri honorificum est. Quomodo Christus ipse cæco dixit apud Ioannẽ. Da gloriã
Luc.11. deo. Si quis autẽ miraculũ aliquod dei celat & occultat, non dat illi gloriam. Simili quoq; exemplo Christus præcepit discipulis Ioannis, Ite, renunciate Ioann: quæcũque vidistis &
Esa.12. audistis:cæci vident,claudi ambulãt,leprosi mundantur,&c. Sed & Esaias dicebat,Cãtate domino quoniam magnificè fecit,annuntiate hoc in vniuersa terra. Quamobrẽ igitur Christus hic leproso miraculi tanti iniungit silentium, quod ille
Mar.1. eum etiam nõ seruaturum sciebat? ipse nãque iuxta testimonium Marci, egressus cœpit prædicare & diffamare sermonem. Responderi ad hoc potest.primũ non absolutè omnino Christum hic illi præcepisse miraculi huius silentium,sed eò

vſque tantùm, dum reliqua duo perageret. Profectò enim ſi ille iam ſtatim miraculum iſtud prædicare cœpiſſet, ſacerdotes qui erant in Chriſtū præditi inuidia, eum ad iudicium mundationis non admiſſuri erant. Altera verò cauſa Chryſoſtomi eſt, cui etiam iſta prædicta non placet, cùm ait, Leproſum illum vſqueadeo integerrimè fuiſſe iam à Chriſto mundatum, vt nō potuerit mundatio iſta à ſacerdotibus quantum uis maleuolis in dubio poni. Non enim ſic eum ille mundauerat, vt mundatio ipſa eſſet ambigua: ſed & perfectè omnino mundauit, & nulli etiam hoc eum iuſsit fateri, docens quàm eſſet alienus ab aura gloriæ, pōpāque iactātiæ. Et certè nouerat, quia non eſſet ille taciturus, ſed paſsim tam grande beneficium prædicaturus: & tamen quantum in ipſo eſt, fugit oſtentare quod fecerat. Neque ſemetipſum prædicari iuſsit, ſed dari gloriā deo, vt & per ipſum gloriæ atque iactantię renunciandum doceret: & per illum quem à legione mundauerat, gratias nos deo referre cōmoneret, eiúſque beneficia confiteri. Simul etiā nobis hîc cōmendauit humilitatem, cum vetuit ſemet laudare & extollere. Pulchrè hoc multis in locis exaggerat & declarat B. Auguſtinus, dicens, De bonis & præclaris dei donis nemo gloriari temerè debet: prona enim hæc eſt hominibus ad peccandum via. Et ſi leproſus ille mundatus proprium ſuum in hac re quæſiuiſſet honorem, quaſi is ipſe fuerit præ tot leproſis dignus, qui à domino ſanaretur, deum iſta tam temeraria & inſolenti ſuperbia multum offendiſſet, cùm ſoleat ferè vanam huiuſmodi de ſeipſo gloriationem futulis quædam comitari arrogantia, ſicut teſtatur Paulus, Si gloriari oportet, nō expedit quidem. Huius etiam vanæ gloriolæ incōmodum non paruum ſenſit rex Ezechias, qui cúm nunciis regis Merodach argentū ſuum & aurum totum, omniáque quæ in theſauris ſuis habebat oſtendiſſet, & ſe, & hæredes ſuos bonis illis omnibus priuauit. non enim bona tantùm abrepta ſunt, ſed & hæredes in captiuitatem ducti. ſicut eis prædixerat Eſaias propheta, Loquens igitur dominus in euangelio de theſauro, inquit. Hunc quiſquis inuenit, abſcondit eum. & Iob quoque dicit, Ad me dictū eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurrij eius. Breuiter itaque poteſt homo dona dei ſelebrare in honorem ipſius, & ædificationē pximi ſui; cauere tamen debet, ne quicquā vel ſuperbiæ leuioris, vel vanæ gloriæ ſibi inde quærat.

Chryſoſt.

Ioan 9.

2. Cor. 12.

4. Re. 20.

Matt. 13.

Iob. 4.

Tertia adhuc causa à quibusdã assignatur huiusmodi, quemadmodum nonnunquam præceptũ sine præcepti forma scribitur,sicuti cùm apud Marcum legitur, quòd nõ sinebat dæmonia loqui: sensus est præcepisse eum illis ne loquerentur. Ita nonnunquam in modũ præcepti,quod tamen præceptum nullum est,proponitur, sicut hîc vetuit Christus, ne leprosus cuiquam ediceret,sed vt nos sic doceret Christus omnem vanam gloriam tum vitare vndique,tum oblatam quoque recusare.

Mar. 1.

2 Satis iam hactenus primo isto præcepto explicato,secũdum nunc quoque videamus, cùm dixit Christus, vade & ostende te sacerdoti, Legis ista Mosaicæ particula erat, sicut in Leuitico legimus,vbi obedientia docetur, & cultus diuini obseruatio.Huiusmodi obseruationes Mosaïcæ vsque ad passionem & morté Christi durauerũt, estque in eo concors omnium fermè doctorũ sententia, quòd hîc leprosum istum dominus ablegauit ad legem, iussitque facere ad præceptum illius,quoniam leprosus ille iam mundatus adhuc sub iugo legis erat, cui Christus non subiiciebatur. Origenes dicit Vade & ostende te sacerdoti: vt ille videns cognoscat, quia non per legis cõsuetudiné mundatus es, sed per gratiæ operationem:nõ per terrenorum sacerdotum imaginem, sed per cœlestem summi sacerdotis splendorem. Chrysostomus quoque rationes aliquot affert, quas tamen vberiùs adhuc & cumulatiùs refert beatus Hieronymus, dicens, quatuor de causis Christum illum à lepra mundatum misisse ad sacerdoté:primùm ob humilitaté,vt sacerdotibus honorem deferre videatur.eos enim ille honorificè semper tractauit,iussitq; homines secundum doctrinam eorum,non vitam,ambulare: quãuis isti vicissim Christum summa prosequebantur inuidia. Sed & morti iam passioníque suæ proximus, ductus ad sacerdotes,nullum eis verbum respondit durius:etsi Annas & Caiphas nullius essent momenti ac præcij,viri, iniusti omnino & perditi malitia. Deinceps quoque lege Mosaïca iam planè emortua.cùm post ipsam Christi passioné simul & ascensionem Paulus in concilium ductus,& iam loquens coram pontifice Anania,cæsus in facié dixisset,Percutiet te deus,paries dealbate: & correptus super hoc esset à circunstantibus, respondit,Nesciebã, fratres, quia princeps est sacerdotũ. Scriptum est enim,Principi populi tui nõ maledices. Ita iam hîc

Leu. 14.
Orige.
Chrysosto.
Hieron.
Matt. 23.
Act. 23.
Exod. 21.

quoque Christus eis ora obstruxit, ne haberent quo cauillarentur, ipsum debitum sacerdotibus non tribuisse honorem. Opus igitur illud ipse quidem impleuit, vt ait Chrysostomus: probationem verò illis reliquit, quibus etiam de signis suis iudicãdi tribuit potestatem. Secũda causa, cur mũdatum illum Christus ad sacerdotem ablegarit, est, vt mũdatum videntes leprosum crederent saluatori & seruarentur. Tertia, vt nõ credentes etiam inexcusabiles tamen forent, sicq́ueob suã infidelitatem meritò dãnarentur: sicut & apud Ioannem dixit, Si nõ venissem, & locut᷑ nõ fuissem eis, peccatũ nõ haberent: nũc autem excusationem nõ habent de peccato suo. Si opera nõ fecissem in eis, quę nemo alius fecit, peccatũ nõ haberent, nũc autem viderunt, & oderunt & me & patrem meum. Quarta & vltima ratio illius hęc est, ne non satis miraculum istud firmaretur, néue ipsum priusquam phantasiam, elusionem, aut magicũ quiddam esse arbitraretur. Voluit itaque testimonio etiã sacerdotũ, illũ mũdatum & sanũ agnosci, iudicaríque. Vnde & Marcus habet. Vade & ostende te principi sacerdotũ. 3 Tertio iam loco præcepit quoq́ue leproso mundato Christus, vt offerret mun᷑ suum, quod pręcepit Moyses, in testimoniũ illis. Et munus quidem illud satis patet ex Leuitico, vbi in sacrificio leprosi exprimuntur passeres duo viui, lignum cedrinum, vermiculus & hyssopus. Dicit hîc Origenes, Nec videaris sacerdoti manu vacua ad eum venire: non venias in conspectu sancti templi infructuosus, sed offerens munus tuũ. Nam quod ad illũ tũc dictum est, nos omnes admonet, ad illũ loquens, nobis omnibus dicit: vt & nos dona & munera nostra nõ teneamus apud nos, sed reddamus deo, maximè cùm liberamur de aliqua tribulatione. Et nos igitur, dilectissimi à domino nostro, aliquando erepti ex necessitate & periculis, meminerimus huius pręcepti, ne & nos ingrati simus, redemptoris nostri ne obliuiscamur, quin potius alacres & lęti gratias illi agamus, munera pro facultatibus nostris offeramus, id adeò ipse à nobis exegit, hoc mundato isti quoque pręcepit & iniunxit. Vnde, inquiens, offer munus tuũ quod pręcepit Moyses. Cuius tu si fortè pręcepit rationem quæris, respõdeo illã iam esse auditã, quoniã Christ᷑ nec legem soluere, neque sacerdotes debito voluit priuare honore. Quãuis aliã adhuc causam Beda reddit, dicens, Si quẽ moueat, quomodo dominus cũ vi-

Chrysost. *Ioan. 15.* *Marc. 1.* *Matth. 8.* *Leui. 14.* *Origen.* *Beda.*

deatur Moysi sacrificium approbasse,id ecclesia nó recipiat, meminerit,quod nódũ Christus corpus suũ obtulerat per passionem in holocaustum.Non oportebat autem significantia sacrificia auferri,priusquam illud quod significabát cõfirmatum esset testimonio apostolorũ prædicátiũ & fide credétiũ. Quod autem addidit Christus in testimonium illis: varium habet intellectum. Alij enim ad Moysen referunt, qui istud præcepit in testimoniũ,ita vt manus illud mũdatis veluti testatur sanitatem iam restitutam,in quo testimoniũ iam hîc
Augus. quoque munus suum auferret. August. verò & Chrysost.aliũ
Chrisost. hîc sensum requirunt, non quòd Moyses præceperit munus illud auferre, sed quia Christus præcepit illis in testimoniũ offerre munus, quod iam olim offerri iusserat Moyses: & tunc intellectus hîc est, quod Christus præcepit offerre in testimonium illis,hoc est,in accusationem & condemnatio-
Ioan. 7. nem. Cùm enim sacerdotes plurimùm calũniarétur dominum,sicut in euangelium sæpe factum legitur, quasi ille legi
Testimonium. Mosaicæ aduersaretur, voluit iam munus illud eis esse in testimonium,vt inde saltẽ cognoscerẽt & iniustos esse se,& merità a deo corripi. Qui sanè nó infrequens scripturæ sanctæ
Num. 17. mos est,cùm sic in libris quoque Numerorum habeamus, Re-
Deute. 31. fer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, vt seruetur ibi in signum rebellium filiorũ Israël. Quomodo alibi etiam Moyses dixit, Tollite librum istum,& ponite eum in latere arcæ fœderis domini dei vestri, vt sit ibi contra te in testimonium. Ego enim scio contentionẽ tuam,& ceruicẽ tuam durißimã.En hîc tibi librum legis positũ in testimonium, vt quisquis illum transgrederetur,testem iam haberet eũ contra se,quomodo ipse ex præscripto & dictamine legis puniri
Origen. deberet. Origenes quoque ad eandem penè modum concludens,dicit,Offers munus tuum,vt omnes qui vidẽt te portare & offerre,credant iis mirabilibus & magnificẽt deum, qui misertus est tui:& infidelibus per hoc increpatio & testimonium duritiæ cordis ipsorum fiet. Sic & illum triginta octo annis iacentem in infirmitate erigés à languore, iußit portare grabbatum,& ire in domum suam, vt hunc ipsum lectũ portando per mediam ciuitatem, laudaret & inuocaret eum qui ipsum sanárat.Hoc modo & istum à natiuitate cæcum misit in piscinã Siloæ:vt sic homines videntes cæcũ per medias plateas abire ad lotionẽ piscinæ,& vidẽtem reuerti, ipsi

quoque admirãtes crederét in eũ, qui talia operabatur miracula. Sed nũc demum aliquid spiritualis quoque sensus super hac lepra afferamus. Vbi cùm alij aliter sentiant, Beda quidem lepram istam, falsam intelligit, erroneam & hæreticã doctrinam. Hanc ego contagiosam lepram in alium locum commodiorem relinquo, vbi latiùs liceat scabiem istã (sed quid scabiem dico, contagionem quanuis adhuc lepra pestilentiorem?) Lutheri, Zuinglij & aliorum hæreticorum perfricare & deterrere. Leprosus hic genus designat humanum: omne enim peccatum lepra quædam est, immundities animæ sunt auté homines peccato pleni, sicut hũc leprosum ple num vndique lepra Lucas commemorat. Peccauerunt insuper homines omnes, & plurimùm quidem indigent gloria dei, adeò vt infans vnius diei quoque mũdus & à peccato im munis nõ sit. At quomodo nos gloria dei indigemus, ita nimirum, vt extẽderet manũ suam, vt naturam susciperet humanã filius dei. Is enim brachiũ est patris, sicut habet scriptu ra, Fecit potentiam in brachio suo. & alibi, Brachium domini cui reuelatum est? Factum id est, cum filius ille dei naturam tangeret humanam, vt sic illa mundata à miraculis, & va nitate veteris liberaretur erroris. Nã cum procumbens peccator sese corã deo humiliat omnipotente, morbũ illi suum aperit, fatetur defectum, & opem implorat medicinæ. Tunc deus protensis manib⁹ auxiliũ illi mittit gratiæ suæ, statímq; ipse absolutionem & ĩdulgentiã peccatorũ suorum consequitur. Verum nondum hæc satis, adhuc est quod te sacerdoti exhibeas, confitearis illi peccata tua, quisquis peccatorũ es lepra pollutus, non iuxta sceleratam neochristianorũ pertinaciam, virtutem passionis Christi in sacramento pœnitentię cõtemnens. Cum enim patribus iuxta Paulũ omnia contigerint in figura, hãc quoque exhibitionem sacerdotalem re vera impleri oportet in nouo testamento, ĩpleri autem nullibi potuit nisi in confessione, sicut aliâs ad longum docebimus. Nunc interim sufficiat ostendisse eum, qui in templo iam est mũdatus, se quoque præsentare debere sacerdoti & sic reconsiliari ecclesiæ, offerréque munus domino deo suo. Nõ autem sacrificia vel ipsum offerendi morem commenti sunt & inuenerũt sacerdotes, quod quidam de religione & pietate malè sentientes, impiè calumniantur. Deus ille viuus qui cœlum creauit & terram, in rem & vtilitatem hominum sa-

Beda. *Lepra hæretica.* *Lucæ 5.* *Rom. 3.* *Iob 15.* *Lucæ 1.* *Esa. 53.* *1. Cor. 10.*

crificia & oblationes huiusmodi instituit, præcepítque vt sic illum colerent, maiestatem eius venerarentur & adorarent, maioráque ex ipsius bonitate suscipere beneficia operibus bonis promereantur. Neque est quod eum, qui vel oblationes recipit, vel etiam malè assumit, consideres. Ecce enim non sacrificus, sed Christus ipse dicit, Offer mun⁹ tuum sacerdotibus, qui in templo sunt à deo ordinati & instituti, illis offer. Oblationes istas si ipsi malè impenderint, væ illis rationem istius ī extremo iudicio reddituris. Verùm nos iam enixè deum obsecremus, vt super nos quoque manum immensæ suæ misericordiæ extendat, vnde nos quoque emundemur, & meritum passionis ac mortis domini nostri Iesu Christi in sacramento pœnitentiæ, cùm nos exhibemus sacerdoti, liberet & expurget nos à lepra peccati, à pœna & culpa: vt sic domino deo nostro offerre possimus pectus animúmque nostrum, sacrificium verum & viuum: & tandem peracta hac miserrima vita, vitam adipiscamur æternam. Id adeò vobis mihíque concedat omnipotens & misericors deus, in secula benedictus, Amen.

Leuiti. per totum.

HOMILIA III.

POst illũ prolixũ & egregiũ Christi in mõte habitũ sermonem, descendens iã rursus de mõte Christus, sanauit leprosum, præcipiens ei vt exhibens se sacerdoti, munus suũ offerret ex lege: quæ sanè euidens fuit doctrinæ suæ comprobatio: qua tamen non contentus ille, secũdũ vberrimum omnipotentiæ suæ thesaurũ, aliud ex alio operatus est miraculũ, & insuper iam paralyticũ curauit Centurionis seruũ. Ingredienti enim Capharnaum Christo occurrit Centurio, vbi plurima cõstat illũ fecisse miracula. Quod vel iste sermo testatur. Quãta audiuimus facta in Capharnaũ, fac & hîc in patria tua. Statim igitur ad Christũ iam vrbem ingressum, venit ille Centurio: quæ sanè historia non paulò clariùs patebit ex Luca. Is enim refert Centurionem, quia iam antè audisset de Iesu misisse ad eum seniores Iudæorum, rogasséque vt veniret sanaturus seruum eius, neque in propria persona venisse ad dominum Nam cùm ethnicus erat, à Romanis veluti veris dominis ac regentibus, ibidem (vt fit in regnorum occupationibus) constitutus loci illius præfectus in dignum se iudicabat, qui ipse ad dominum veniret Iudæum. Siquidem illum Iudaismo multùm tribuisse etiam

Lucæ. 4.

Lucæ 7.

Lucas testatur, cum ait, Seniores Iudæorũ cum venissent ad *Lucæ 7.* Iesum, rogabãt eũ solicitè, dicentes ei, Quia dignus est vt hoc illi præstes. diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis. ¶ Quòd si dixeris hæc duo nõ cõuenire, quod Matthęus dicit Centurionem hũc ad Christũ venisse, Lucas verò seniores ad ipsum misisse: id sanè egregiè diluit beatus Augustinus, dicens, Lucã negociũ hoc totũ, ita vt *Augusti. lib. 2. ca. 20. de cõ. Euan.* gestum erat propriè descripsisse, ideóque eorum etiam qui missi fuerint, mentionem fecisse: Matthęum verò rem sub compendio & breuitate complexum esse. Quoniam ita quoque tenuit consuetudo, vt etiã vulgò peruentores appellentur, qui potentium quorumlibet tanquam inaccessibiles animos per conuenientiũ personarũ interpositionem ambitionis arte pertingũt. Si ergo ipsa peruentio vsitatè dicitur per alios fieri, quãtò magis accessus per alios fieri potest? Atqui Chrysostom' de eodem hîc in Matthęo, & ibi in Luca dici ar- *Chrysost.* bitratur, Duo inquiens, hîc nobis Lucas ostendit, quanta sit Iudaica adulatio, & quòd calamitate oppressi homines, modò hoc, modò illud consilium anteponunt: quare verissimè mihi videtur. cùm voluisset ad Iesum proficisci Centurio, detentum à Iudæis fuisse, qui ei assentarentur, atque dicerent: nos ibimus, & adducemus eum: quod ita esse perspicies, si plenam assentationibus orationem eorũ diligentiis considerabis. Non est absurdum, missos esse primò aliquos qui dicerent illud: deinde quoque ipsum accessisse, ac per se iterum eadem dixisse, scilicet, Non sum dignus. Porrò digressis ab illo Centurione Iudæis, ipse demũ fidem suam ostendit, neque voluit dominum venire in domũ suam, quin potius ad dominum abiit: quod hîc Matthæus refert, communi omniũ euãgelistarum more, vt quod vnus omisit, suppleat alter. quæ sanè rota illa est in rota, quam vidit Ezechiel in figura euan- *Ezechi. 1.* gelistas significante. Ad hæc, vt maximè ita sit, tantúmque ad Christum seniores miserit Centurio, neque ipse venerit ad eum, tamen altiorem aliquantò sensum indicauit Matthęus, dicens, Accessit ad eum Centurio. quoniã Dauid quo- *Psal. 33.* que ait, Accedite ad eum & illuminamini. Cum enim Centu- *August.* rio fidem tantam habuerit, sicut ob id commendatur a Christo, prudentissimus ille euãgelista potiùs dixit ipsum venisse ad Christũ quam missos seniores, qui tãtum fidei nõ habuerũt. Quomodo & tãgente muliere fimbriã Christi, quamuis *Luca 8.*

multa Christum turba præmeret, ille tamen interrogauit, quísnam se tetigisset. Quid ita? ideo, nimirum, quòd cæterorum contactus fide carebat, ideóque Christo curæ non erat: illa verò quia magna fiducia Christi fimbriam tetigerat, factum est vt de ea quæreret dominus. Ita hîc quoque, quantò perfectiùs credidit Centurio, tantò rectiùs dicitur eum ad Christum accessisse.

2 Neque verò mutus ad dominum venit tantùm, rogauit insuper eum, dicens, Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Multi, inquit Origenes, in illo tempore pro diuersis rogabãt infirmitatibus, alius pro filio, alius pro aliquo alio: nullus pro seruo nisi iste solus, cogitans vtique apud se. Ecce mihi iste seruus est, & ego seruus sũ creatoris: iste me habet super terrã dñm, & ego hũc magnũ in cælis habeo dominũ. Si ergo nõ misereor, quomodo ille mihi miserebitur? Si ergo huic nõ subuenio, quomodo ille mihi subueniet? Sic debẽt oẽs qui famulos habẽt & famulas, cogitare sic misereri, sic condolere eis, sic supplicare, sic curã habere de seruis suis, sicut & ille beatus Cẽturio. Ideo grauiter peccant omnes immites dñi, qui cũ ipsis ex familia aliquis ægrotat, eum velut in exiliũ ablegant miserè, ignarum etiam quo pergat. Nõ sic bon⁹ iste Centurio fecit: sed dixit, iacet in domo. Istiusmodi durissimi domini Abimelech magis sequuntur, qui seruum suum vix dum morbo correptũ deseruit: quã Dauidem, qui ea non fuit impietate præditus, sed eum refocillauit. Sed & Paulus dominis præcipit clementiam & benignitatem, dicens, Vos domini, eadem facite illis, remittentes minas, scientes quia & illorum & vester dominus est in cælis, & personarum acceptio non est apud deum. Debet enim herus seruum seu quemlibet ex familia sua fidelẽ piè & humaniter tractare, non duriter in omnibus & rigidè accipere: sicut Sapiens quoque docuit, Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrẽ sic eum tracta. quod sanè ille fecit Cẽturio, qui seruo suo fuit humilimus, ipsúmque fratris loco habuit: nullã existimans, vt inquit Chrysostomus, differentiam inter seruũ & dominum, quia etsi dignitas diuersa est in hoc seculo inter illos, vna tamen est illis natura. fidelis ei quoque extitit, pro quo supplicbat tam fideliter non sine illius laude quoque, cum dicat Lucas fuisse eum illi preciosum. Condolebat illi, quem torqueri grauiter adeò cõquerebatur: cu-

Marginalia: Origen. (beside "ralyticus"); 1.Re. 30. (beside "Istiusmodi"); Ephe. 6. (beside "uit. Sed & Paulus"); Eccl. 33. (beside "piens quoque"); Chrysost. (beside "buit: nullã"); Luce. 7. (beside "de quoque")

Iúsque tam propriè exprimebat dolores inquiens. Puer meus iacet ægrotus, decumbit totus: neque venire huc ad te potest quia paralyticus, iamque adeò moriturus.. Quanuis autẽ variè eueniant in membris paralyses, grauissima tamen est quę ex cerebro descendens, membra omnia penetrans, secúmque in ea dolores immensos inferens. tremere ipsa quoque facit, adeò vt nec moueri queant, nec sentire quicquã, vt quidam me dici tradunt. Vnde ille addidit quoque, malè torquetur, O nos miserrimos & infœlices, si quãdo ęgrotare cœperimus. eóque infœliciores, quòd miseriam nostram ipsi, dum rectè valemus, non cogitamus!

3 Duæ iã hîc emergunt quæstiones ex verbis Cẽturionis. Prior, cur tandẽ ille puerũ suũ neq; secum adduxerit, neque apportari curarit ad dominum, quod alij plerique fecerũt, neque tecto parcẽtes, qui illo sublato, egrũ dimitterẽt ante dñm Posterior, vnde factũ sit, vt nihil ex Christo petierit ille Cẽturio, sicut leprosus antè fecerat. Ad illã quidẽ facilè dici potest, cùm ita puer decubuerit æger, vt morti iã esset vicinus: satis per hoc excusatus fuit Centurio, cur nõ adduxerit puerũ, cuius ingentes dolores Christo tãtopere ostendit. Chrysosto. quoque id ardentissimæ illius fidei tribuit, maiorémque hãc indicat quã istorum qui per tectũ immiserũt ægrotũ: quia enim nõ dubitabat vel solo verbo domini iacentẽ excitari posse, idcirco minimè deportandũ putauit. In eadẽ sententia est Origenes, velut præsenti Centurioni, sic dicens, Quare huc non attulisti eum, sicut illi illum paralyticum in lecto portauerunt? Ideo ait, quia nõ opus est ostendere illi omnia videnti. Non opus est in conspectu eius afferre, cuius potentia non terminatur, nec includitur, neque excluditur. Ad alteram hanc dubitationem non paulò facilior est responsio: partim enim id ex humilitate factum est, ita vt puderet illum quicquam à domino petere: partim etiam ex ingẽti fiducia in misericordiam Christi: satis enim esse putabat, si dño miseriã declararet & egestatem pueri, cui ille tunc facilè misereretur: partim quoque ex modestia & verecundia, liberrimum sic relinquendo voluntati diuinæ, conduceret ne salubritas illa puero suo an obesset. Absolutè igitur & simpliciter dixit, Puer meus domi iacet paraliticus, & malè torquetur. Iterum itaq; Origenes ad Centurionem sic loquitur. Quid vis? quid cupis? quid desideras? Non multa loquor, ait, quia ad om-

Mar. 2.

Chrysosto.

Origenes.

nia cognoſcentem loquor, Non ſum verboſior: ſcio enim quia ad omnia præſcientem reſpondeo Et ſic ex immenſa fidei ſuæ

Matt.4. magnitudine non dixit, ſicut iſte regulus, Domine, deſcende & ſana eum. norat enim hic & credebat, quod etiam ille exiſtens in omni loco præſens eſſet, quodque & ſapiens ad intelligendum potens ad operandum, & ad exaudiendum eſſet miſericors. Hinc factum eſt, vt tantùm miſeriam pueri ſui domino teferret & ægritudinem grauem, remedia interim ſanitatis libera reliquit omnipotenti illius miſericordiæ.

4 Nunc tandem petitioni Centurionis reſpondet dominus, dicens. Ego veniam & curâbo eum. O promiſsionem benigniſsimam, ô reſponſum pium & propitium, quo ille non ſanare tantúm puerum, ſed ad eundem in domum venire pollicetur! Videbat enim ille qui omnia videt, quémq; nihil omnino latet, ipſum cor Centurionis, ſicut ſuprà cômemorauimus, & illi ſuper hoc reſpondit, ita vt pia ſua merebatur petitio, clemẽtiſsimè, reſpõdítque hoc in propria perſona Chri-

Origenes. ſtus Centurioni. Vbi cogitare quis poſſet, quod & Origenes fecit, hócque modo ad Chriſtũ vel tacitus ſaltẽ dicere, Quomodo, domine, promittis aduentũ tuum huic? nec petit, nec quærit, ſciens quòd nõ acceptabile ſit ei, vt venias in domum

Chryſoſto. eius, propter quod omnino hoc profers. Reſpondet Chryſoſtomus id ita factum, vt quanta ſit Cẽturionis fides perdiſcamus niſi enim ita feciſſet, ſed illicò puerum ſanaſſet, ſyncera illius feruénſque fides ignota nobis fuiſſet, quam vtique ſic manifeſtandam præſciebat Chriſtus, ſi ipſe plus Centurioni

Mat.15 promitteret, quam petiiſſet. Sicut & fidem mulieris Chananææ comprobauit, dum non ſtatim preces illius exaudiuit: quas ſi exaudiſſet ſubitò, nihil nobis de perſeueranti iſta & conſtantiſsima mulieris fide conſtaret. Et igitur ille ſapientiſsimus omnium medicus, quem non latebat, ſua hac tam prompta ad veniendum medicandúmque exhibitione, fidem Centurionis manifeſtandam, ſicut illa ſua in ſanando mora, mulieris quoque fiduciam itidem omnibus eſſe publicãdam.

Origenes. Origenes hîc inducit pulchrè, & ſuo more luculenter, quo-

Gene.22. niam ſicut deus tentauit Abraham, non quod illius fidẽ ignoraret, ſed vt hoc ipſo illius exemplo omnes homines diſcerẽt conſtantem & perſeuerantem habere in deum fiduciam in o-

Iob. 1. mnibus tentationibus: ſicut enim deinceps tentauit Iob, & probauit illius conſtantiam, non iam antè ignarus eiuſdem,

sed vt nos ex illo doceremur spem firmam & fidem habere in concussam in deum: ad eundem iam hîc quoque modum Christus nos scire voluit, quantus fidei thesaurus in istius Centurionis corde latitaret.

¶ Aliud quoque hîc nos docere Christus voluit, dũ vltrò adeò ad puerũ Centurionis huius se venturũ promittit, qui alibi ad Reguli filium rogatus etiam venire recusauit. Vt discerent hinc tum omnes Christiani, tũ verò præcipuè, quorũ curæ cõmissi sunt ęgroti, siue religiosi sint isti, siue mũdani, non grauatim, nec moleste ægros & pauperes inuisere, propter deum. Sumãt hinc sibi & medici documentũ, sequãturque principem illum medicorum, & cum ipso properent ad pauperes. Verùm quò iam fides, pietas, dilectio, cæteráque Christianorum iura deuenere? Ad diuites curritur ab omnibus, nec iussis nec venire rogatis, neque est eius rei modus, ingerunt se omnes & intrudunt ad fastidiũ vsque pauper interim solus iacet, destitutus omni ope medicorum, quos non ita videas mihi ad pauperem festinare vel etiam rogatos. Aut certè siquando eorum aliquis, vilissimus etiam & cæteris contemptus omnibus aduenit, opus vtique foret, vel mercedem antè exoluere, vel certè cum eo de illa pacisci, inquit Hugo. *Ioan. 4.* *Medici.*

5 Sed quid iam, fratres charissimi, tam propitio Christi responso subiunxisse putatis Centurionem? illud: nimirũ verbum Christianis notabile omnibus, omníque momento ab ipsis dicendũ, aut certè cogitãdũ: vt & qui sint ipsi, & quàm piũ clementissimùmque habeat deũ, semper cogitent, Domine, non sum dignus vt intres sub tectũ meũ, sed tantùm dic verbo & sanabitur puer meus. Audiam⁹, inquit Chrys. audiam⁹ quicunque volumus Christum suscipere, audiamus Centurionem & imitetur, audiamus simili studio & Iesum recipiamus. dicẽtes, Nõ sum dignus. Quasi diceret, magnã hoc modo suam fidem proferens, Domine, terruisti me hoc promisso, conturbasti me hoc dicto, interfecisti fortitudinem animæ meæ in hoc verbo. Non sum dignus aspectu, non sum dignus approbatione, non sum dignus accessu vel introitu tuo: domine, nõ sum dignus vt intres sub tectum meum. Moyses ille magnus & tuus confabulator, ille mirabilis enarrator operũ tuorum, ille fidelis in tota domo tua, nimium se humiliauit. Quantomagis ego alienigena, Gẽtilis, miles, gladio accinct⁹, sanguinem fundens, ad prælium exiens? Sed tantũ veni verbo: verè *Chrysosto.* *Origenes.*

bum tuum opus consummatum est. Indignus ego sum tuo ad me ingerssu, quanuis illo puer meus multum esset indignus: corpore igitur absente, ostende tamen quod præsente spiritu vno etiam potes perficere verbo. Obseruandum hîc quoque est, rectiùs multò sensisse Centurionem, quàm quòs ille ad Christum miserat Iudæos, qui dixerant, Dignus est vt hoc ei præstes: ipse verò de se dixit, Domine, non sum dignus. considerans, vtique in hoc plurimū infinitā illam Christi dignitatem, longéque dignißimam maiestatem, cuius isti obliti fuerant Iudæi, vt iam rectißimè hanc apud Christum laudē præripuerit Iudæis. Neque immeritò puero suo impetrauit ipse sanitatem, sibi verò vitā acquisiuit æternam hac fiducia tanta, cúm crediderit creaturas omnes in cælo & in terra manibus & potestati Christi subiectas esse, in vnico suo verbo, siue

Iob.5. ad vitam, siue ad mortem. sicut & Iob dixit, Ipse vulnerat & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.

Origenes. ¶ Origenes hîc pulchū quiddā & notatu dignißimū docet, more nimirum non suis primum seculis nato, sed ab apostolorum tēporibus in hodiernū vsq, diē deducto, hodiéque bonis & piis omnib' sanctè obseruato, Abusus enim istos nouos & impios planéque blasphemas Neochristianorū ceremonias, insanißima stupidorum hominum commenta, abhorrere simul & vitare debent omnes Christiani. Verum quo degredimur? Sic inquit Origenes, Intrat & nunc dominus sub tectum credentium, duplici figura vel more. Nunc enim quando sancti & religiosi & deo acceptabiles ecclesiarum antistes sub tectum tuum intrant, tunc ibidem dominus per eos ingreditur, & tu sic æstimes tanquam dominum suscipias. Et aliud quando sanctum sumis cibum, quando illud incorruptū accipis eduliū, quando vitæ pane & poculo frueris, quando manducas & bibis sanguinē domini: tunc dominus sub tectū tuū ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc Centurionē, & dicito. Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum. Hic adhuc mos celeberrimus apud omnes est catholicos & Christianos per Germaniā & Italiam, imo vniuersum Christianismum: sed & sacerdotes in sancto illo missę sacrificio venerabile suscepturi sacramentum, in quibusdam locis etiā ter idem hoc dictitant, pulsantes toties pectora sua.

¶ Ad extremum, Centurio verba sua confirmat argumento (quod propriè non est simile, sed tantùm argumentum à minori

nori

nori ad maius) à se ipso ducto, dicens, Et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit, &c. Volens per hoc dicere, Cùm & ego aliis subiectus hominibus, meis imperem seruis, qui mihi in substantia cùm sint æquales, obediunt tamen: quantò magis tibi ministri tui angeli sancti, omnésque creaturæ parebūt? qui quia superiorem tè nullum habes, dominus es dominantium. De hoc Centurione Hieronymus hoc dicit, Christum, quia tam citò aduentum illi pollicitus est, vidisse Centurionis fidem, humilitatem & prudentiam: fidem quidem, eò quòd credidit ex gentibus paralyticum posse sanari à saluatore: humilitatem verò, quòd se iudicauit indignum cuius tectum dominus intraret: & prudentiam quoque, quod intra corporis tegmen diuinitatem latentem videret. Et omnia hæc ex rationabili causa: quia si ipse per seruos suos quiduis facere posset, quantò magis Christus non sola tantùm corporali sua præsentia operaretur, verumetiam per administratorios illos suos spiritus angelos? Deus igitur nobis quoque sicut huic Centurioni largiatur misericorditer, & tribuat fidem, humilitatem & prudentiam: quarum virtutum comitatu ex hac vita in illam cōmigremus æternam. Amen. *Hyerony.*

HOMILIA IIII.

Audita iam magnifica illa Centurionis tum fide, tum humilitate & prudentia, vehementer admiratus est Christus, & sequentibus se dixit, Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Ecce & admirationem hîc Christi vides, & commendationem audis Centurionis: atque de illa quidem satis clarus textus est, admiratum esse christum, quod fore Esaias etiam prædixerat, Mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Quomodo autem in Christum cadat admiratio, captum fortè vulgi excedit. Christus enim, quia præsciuit omnia antequam fierent, quomodo admirari potuit super eo quod antè sic nouerat futurum? Notis igitur quòd Christus in se, secundum naturam diuinam habeat & scientiam diuinam, eámque ab æterno sibi cum patre & spiritu sancto communem: siquidem vna trium personarum scientia est, sicut de sapientia dei inquit Sapiens, Scit illa omnia & intelligit. Secundum hanc igitur scientiam non admiratur Christus. Verum alia adhuc in illo est animæ ipsius à suæ *Esa. 60.* *Sapien. 9.*

creationis initio infusa, qua etiam non miratur. Postremò est in eo scientia seu notitia quædam experientiæ, qua quæ antea nouerat, expertus etiam est denuò, quamuis alio modo: & sic admiratus est, nō tamen cum quodam animi horrore, sicut nos admirabundi exhorrescimus: verùm omnis illa in Christo admiratio, exhibitio tātùm fuit, qua ille se hominibus exhibuit, & quid fecerit manifestauit, quod solent admirantes.

¶ Quod verò secundo loco proposuimus de laude Centurionis, videtur non paulò esse difficilius: quoniam si eam iuxta nudam intelligere voluerimus literam, fieri nō poterit, quin impiam istam incidamus blasphemiam: in cuius adhuc sordidissimo luto volui ac reuolui videmus porcum: nescio dicam immundiorem, an lupum rapaciorem Lutherum, vsqueadeo insanientē & delirantem, vt contendat Centurioni huic maiorē fuisse fidē, prædicāte adhuc Christo, quā vel in maria vel apostolis fuerit. Neque verò iste hac sola contentus est insania, insuper quoque furit canis rabidus contra dignissimā & sanctissimam virginem Mariam, dicens, quòd quamuis Christus matri suæ multuum tribuerit fidei, cùm & conciperet & pareret illum, postea tamen non item: aut certètantùm fidei illi rarissimè dederit, quin potius eam ipsam, quæ modica in illa fuerit, nonnunquam fides, labascere interdum per miserit. Ad has impias & maledictas virginis matris blasphemias, velut deceptrices sirenes, quilibet Christianus præternauigans vtranque cum Vlysse obstruat aurē: fugiat hic pro-
Lucæ. 1. cul & cum angelo Mariam benedicente inclamitet. Aue gratia plena, dominus tecum. Et cum Elizabeth benedictam ipsam prædicet in omnibus. eo quod fructus ventris illius quoque sit benedictus. Sed & nos quoque omnes errores istarum blasphemiarum aliquando refutabimus, opitulante deo, totius postillæ Lutheranæ.

¶ Quantum verò in præsentiarum opus dicere respondeo nunc, verba hæc Christi esse vtique verissima, verùm hoc tamen addidero, non esse in illis crudum istum intellectū considerandum, more Iudæorum, sed viuum illum spiritum: litera enim ista iuxta Paulum occidit, spiritus autem est qui vi-
2. Cor. 3. uificat. Ex multis igitur modis, quibus sancti patres verba hæc bene & verè exposuerunt, aliquot nunc libet recensere. Et primùm quidem B. Hieronymus ait, Christum quando dixit se fidem tantam non inuenisse in Israel, locutum de præ-

sentibus, non de omnibus retro patriarchis & prophetis. Vbi vide quod notanter ait Hieronymus eum hoc non dixisse de *Hyerony.* omnibus patriarchis & prophetis, quasi illorum nemo fidem tantam habuisset: multò igitur minus Centurio dicendus est habuisse fidem tantam, quanta in apostolis fuit Ioanne Baptista, aut Maria.

2 Dat ille tamen adhuc intellectum quo Centurionis fides commendatur, vltra fidem omnium retro patriarcharum & prophetarum: ita nimirum si per fidem Centurionis gentium fidem intelligas, quę sanè maior est multò, quàm eorum *Hyerony.* qui ex Iudaismo ad fidem Christi conuersi sunt. Omnium e- *Iudæi pauci, ex gentibus plurimi ad Christum conuersi.* nim qui Baptizati sunt Iudæorum, quàm exiguus fuerit numerus, si conferas cùm illis qui de gentilitate conuersi sunt in omnibus regionibus, India, Græcia, Ægypto, Asia, Aphrica, quæ tamen nunc, prohdolor, cum adiacentibus quoque Christianorum prouinciis & vrbibus per Turcas sunt à Christi fide & regione auersæ. Cùm terram promissionis ad spatium vix trium dierum secundum longitudinem referat Hie- *Hyerony.* ronymus. idémque inquit, latitudinem terræ eius pudet dicere, ne Ethnicis occasionem blasphemandi dedisse videamur. Et hunc equidem verum putarim verborum Christi sensum esse & intellectum, quando enim iuxta Augustini regulam in *Augustin.* libro de doctrina Christiana traditam: scripturas iuxta verborũ tam accedentiũ quàm sequentiũ significationẽ nos decet explicare: & Christus hîc quoq; statim subiungit de gentium cõuersione, nõ ex arcto & angusto tantùm Iudææ angulo, sed ab ortu & occasu solis, hoc est, ex vniuerso mũdo. Sequitur hinc necessario, locutũ esse hîc Christum de fide, quo ad multitudinẽ credentiũ, extẽsiuè nõ intẽsiuè. Et quia velut primitię credentiũ ex gẽtibus fuit hic Cẽturio, cæteros quoque credituros oẽs solus ipse significauit, quod egregiè declarant Chry. & Origenes. Nec obstat quòd prius ad Christum *Chrysosto.* tres magi venerunt. Nam nec illi de prædicatione, neque *Origenes.* miraculis Christi cognouerunt quicquam. Omnis autem vndique plena est scriptura de vocatione gentium, & eorum qui conuerterentur, ingenti multitudine: & vicissim, quanuis per se exiguus esset Iudæorum populus in parua prouinciola conclusus, quod paucissimi tamen ex iis quoque ad dominum conuertendi, & ad viam essent peruenturi salutis.

3 Quia igitur vocationem gentium hîc Christus cõme-

morat secundum multitudinem, & locus hic (quem miserè adeò blasphemus iste Lutherus dilaniat) in hoc vno pendet, quod quidam ad nostram hanc susceptam pertinet enarrationem, vt omnes nos, quotquot ex gentibus ad Christi agnitionem venimus. optimo maximo deo eò maiores gratias agamus, & illam benignissimam vocationem dei firmiter & constantissimè teneamus, nullatenus ab eadem deficientes per quascunque prauas & hæreticas doctrinas. Cùm enim nasceretur Christus, & deinde Iudæis prædicaret in Hierusalem, maiores nostri omnes in iis aliísque regionibus Gentiles fuerunt & idolatræ. Vos igitur vt vocationem vestram agnoscatis, & pro ea deo grati sitis, audite mihi de eadem vaticinantes prophetas. Primus igitur in hoc procedat euangelicus propheta Esaias, & dicat, Erit in nouissimis diebus præparatus

Esa.2. mons domus domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi,

Esa.45. scilicet per fidem. Et infrà, Conuertimini ad me, & salui eritis, omnes fines terræ. quia mihi curuabitur omne genu, & iu-

Esa.49. rabit omnis lingua. Et iterum alibi, Dedi, inquit pater ad Christum, te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad ex-

Esa.vlt. tremum terræ. Infrà quoque, Annunciabunt (apostoli nimi-

Esa.66. rum) gloriam meam gentibus. Et suprà adhuc, Mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes, in mare, in Aphricam & Lydiam tenentes sagittam, in Italiam & Greciã, ad insulas longè. Sed

Hiere.4. iam nunc tu quoque sanctè Hieremia prodi, & da testimoniũ Gentibus ad Christũ conuersis, Benedicent dominum omnes

Psal.66. gentes, & laudabunt eum. Accedat his diuinus ille Psaltes, & optet votum istum perpetuum, Confiteantur tibi populi de-

Psal.112. us, confiteantur tibi populi omnes, lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate. A solis ortu vsque

Psal.2. ad occasum laudabile nomen domini. Verum huiusmodi locis totum vndique abundat psalterium, siquidem & gentes hæreditatem suam dedit Christo pater æternus, & possessio-

Zacha.2. nem suam terminos terræ. Iam verò tu quoque Zacharia, vaticinare nobis & dic, Applicabuntur gentes multæ ad domi-

Osee.2. num in die illa, & erunt mihi in populum. Quid, quod Oseas etiam propheta super hac re appellatus, in persona domini subitò nobis respondebit & dicet. Seminabo mihi in terram, & miserebor eius quæ fuit absque misericordia. Et dicã nõ populo meo, populus meus es tu. Sed nos dum vocationi gen-

tium nimis intenti sumus, penè Iudæorum repulsam negligimus. de vtraq; igitur prophetarũ vltimum Malachiã audiamus, sic dicentem, Non est mihi voluntas in vobis, (Iudæis) dicit dominus exercituũ, & munus nõ suscipiam de manu vestra. ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gẽtibus, in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnũ nomen meũ in gentibus. Ecce quam apertè hic propheta expressit Iudæorũ repulsam, deinde sacrificiorũ quoque ipsorum contemptum apud deum: mox fidei amplitudinẽ ex gentibus latissimam, postremò sacrificium nouum & mundũ, quod offertur in omni loco, illud nimirum sacratissimũ corpus Christi, quod in sacrificio missæ offertur deo patri. Vbi corruunt omnes Iudæi velut attoniti, cum suis sacrificiis vniuersis. Iacent hîc quoque confusi, quotquot sunt hæretici & blasphemi, qui sacrosancto Missæ reluctantur officio. Sequitur hinc Christum, quando de cẽturione dixit, tantã se fidem in Israël non inuenisse, locutũ esse de toto christianismo ex gentibus, quẽ iste centurio designabat. Nec est quod mirũ hoc reputes in vno homine tantã figurari multitudinẽ, cùm consideras deũ dixisse Rebeccæ grauidæ & adhuc in vtero suo portandi gemellos, Esau & Iacob, Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex vẽtre tuo diuidentur, Qui tamẽ populi seu gentes, infantuli duo tantum erant, sed ij populos duos significabãt. Cũ igitur ex locis iam citatis, cõstet immẽsa illa catholicæ ecclesiæ magnitudo, Iudæorum synagogã multis modis excellẽs, adeò vt id Christus hîc quoque nõ celaret, quorsum attinet hæreticos nostrates ecclesiã conari in tantas restringere angustias, vt suis tantum cõtineatur cõciliabulis? Si enim penes Boemos tãtum est ecclesia, erit illa sanè non paulò etiam angustior, quã synagoga, præsertim cùm Boemorũ etiam plerique cum catholica christianorum consentiant ecclesia. Rursus, si malignãtium istorum tantùm est Lutheranorũ ecclesia, iterum eam multũ superabit synagoga. Sed & si apud Zuinglianos tantùm consistit ecclesia, deum immortalẽ! quantò erit quã synagoga inferior & angustior? Quid igitur restat, quàm si tam vera essent impia istorũ dogmata, quã sunt omnino falsissima, falsum hîc esse christũ, quod tamen procul absit, vel dicere, vel cogitare quenquam. Quin potius tantũ admiremur ecclesiæ magnitudinẽ, tantã Christianismi fidẽ suspiciamus, quãta in

Malac. 1.

Gene. 25.

Israël inuenta non est, nec in synagoga ista. Et affirmatissimè credamus omnes hæreticos errare, cum angustiis & angularibus ecclesiis. Et superabundante (quod aiunt) adhuc plures hîc libet adducere sanctorum patrum expositiones, vt omnino causari nemo quicquam possit, vnde in abominationes Lutheranas incidat, & sanctissimæ virginis calumniam. Et
Origenes. Origenes quidem per Israël non antiquos intelligit patriarchas & prophetas, neque eos qui iam Christiani facti erant Iudæi, & sese ad ecclesiam contulerãt: sed eos tantùm, qui dei filium non inuocabant, non agnoscebant, non adorabant, illum nimium Israëlem: de quo Esaias propheta inquit, Israël
Esa.1. me non cognouit, & populus meus non intellexit. Isti etiam
Ioan.8. Israëlitæ Christum peccatorem, Samaritanum, & qui dæmonium haberet calumniati sunt. in hoc nempe Israële tantùm Christus fidem non inuenit. Neque hæc sententia multum discedit ab explicatione Hieronymiana.

¶ Veruntamen si illud ad omnes Iudæos, etiam credentes referre contendas, tamen hinc quoque nõ impia ista sequetur Lutheri blasphemia. nam & tunc quoque sensum hunc retinebit: si quidem illud testimonium Christi, etiam iuxta
Chrysosto. Chrysost. sic intelligendum est, quod vnumquodq; bonũ hominis secun-
Regula. dum qualitatẽ personæ illius laudatur. Rusticum enim dicere aliquid sapienter, magnũ est; quod de philosopho non est mirum. sic & de Cẽturione dictum est, in nullo tantam fidem inueni in Israël. Nanque & Iudæi cùm legem habuerint, & prophetas, atque sacrificia, & id genus alia multa, quibus ad credendũ inducerentur: quid mirum si crediderint facile? verùm iste alienigena ignarus legis, prophetarum omniúmque promissionum dei, credebat tamen, & sic fides illius maior extitit: non in se propriè & sua essentia, sed ex cõparationib⁹ & collationibus iam dictis. Probat hoc ille exẽplis, Andreas credidit in Christum cùm iam audisset Ioannem dicentem.
Ioan.1. Ecce agnus dei. Credidit & Petrus, sed audito prius Andrea, qui dicebat, Inuenimus Messiam. Philippus vt crederet faciliùs, scripturas hinc inde euoluit, quia sic de eo scriptum est, Quem Moyses venturum scripsit in lege & prophetis, hunc inuenimus. Credidit Nathanaël quoque, verùm antè & audito Philippo, & visis miraculis. Vides nunc quàm impar & ex omni parte inæquale fuerit istud Gentilium credere in
Origen. Christũ, & Iudæum. Origenes quoque exempla adhuc affert

propinquiora, dicens, Vt maximè Centurio hic fidé non habuerit maiorem in essentia, vel eò tamen maior dicitur, quòd ipse facilè adeò & tam celeriter credidit. Iairus enim princeps Israël, pro filia sua petens, non dixit, Dic verbo: sed Veni, ait, velociter antequam moriatur filia mea. Nicodemus doctor Israël, de fidei sacramento audiens, ait, Quomodo potest hoc fieri? Maria & Martha dominum tamen nimium diligẽtes, dicunt, Domine, si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus: tanquam dubitantes quòd vbique velox non posset adesse illius potentia. Et sic meritò Centurionem hunc & primitias Gentilium appellamus, & præ tribus magis commendamus: quoniam cùm ille nec legem legisset, nec prophetiã aliquam audisset, ad credendum tamen facilimus fuit: isti verò, quid mirum si ad dominum tam longo venerunt itinere, quos & prophetia docuit Balaam, & stella noua duxit. Ioan. 11. Nu. 24.

4 Iam igitur hîc Christus quoque declarat, quomodo & Gentiles suscepturi essent fidem veram, & Iudæi repulsam passuri, dicens, Dico vobis, quòd multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum. Tres illos exprimit, quoniam in iis perfectè omnis facta est promisio, & in Abraham quidem huiusmodi, In semine tuo benedicentur omnes gentes. In Isaac autem separatio Iacob ab Esau impleta est, & in Iacob plena facta benedictio est eorum omnium, quæ ad promisionem pertinebant. Filij autem regni, Iudæi nimirũ, qui in Christũ credere renuebant, eiecti sunt in tenebras exteriores, sicut prædixerat Dauid, Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te domine. Et Hieremias similiter, Vos estis onus, proiiciam quippe vos, dicit dominus, & propheta, & sacerdos, & populus. Nam quicquid Iudæorum integrum erat, & boni odoris, illud ad Christum cõuersum est: cum interim feces & quæ in imo remansere sordes, cõuersæ nõ sint: iuxta Esaiã, sed perierint, ideóque & eiiciuntur in tenebras exteriores perpetuò dãnatæ. sed de iis supra in Iudæorum repulsa satis dictum est. ¶ Ad finem Euangelij, dicit dominus Centurioni, Vade, & sicut credidisti, fiat tibi: hoc est, sicut credidisti posse me absentem etiam corpore sanare puerum tuũ, ita fiat hoc. Hinc disce cuique homini ita euenturum, vt ipse fide per dilectionem operante, benigna & deiformi crediderit, quæ sané mensura est, qua omnia Gene. 17. Malac. 1. Psal. 5. Hier. 23. Esa. 49. Gala. 5.

in futura vita mensurabuntur. siquidem secundum Origenē, nihil in conspectu dei mirabile est, nihil magnum, nihil preciosum, nisi tantum fides. Credidit enim Cēturio posse Christum omnia, credidit dominum eum esse rerum omnium, vnde & meruit, vt quod petierat impleretur. Credamus igitur & nos dilectissimi in Christum Iesum, credamus eum omnia posse, esse quoque in omni loco præsentem, credamus & daturum illum nobis peccatorum remissionem, dummodo præcepta sua seruauerimus: & sic quilibet nostrum cum hoc Cēturione mereatur audire, Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Id adeo nobis, qui velle & operari tribuit, concedere dignetur Iesus Christus, qui cū deo patre in vnitate Spiritus sancti viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Origen.

HOMILIA V. ET VLTIMA.

MILITES NEC DAMNATOS OMNES, *nec Cainis esse filios: & qua'es eosdem esse oporteat.*

Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.

LVCÆ. 3.

CVm nuper, vt soleo, euoluerem neochristianorum libellos quosdam, incidi in nescio qualem, rancidum certè & ineptum cuiusdam Ioannis Hausschein, qui se nominat OEcolampadium, libellum profugi istius ex diui Altonis monasterio, insigni Bauariæ cœnobio, ordinis sanctæ Brigittæ, (quid expectatis, fratres charissimi? an vt dicam sancti & religiosi monachi?) apostatæ, is inter cætera in sermonibus suis super epistolam Ioannis euangelistæ, diabolicam asserit esse doctrimam, qua docetur iustum esse inter Christianos quoque bella geri: quoniam nostrates qui in bella proficiscuntur milites, veri Cainitæ sint. vt quibus meritò dici possit illud quoque, Manus vestræ planæ sanguine sunt, maledicti Cain filij estis. Et quanuis nouum istud dogma confutare non perinde esset necessarium, siquidem hæresis est Fausti, iam olim condemnata temporibus August. & quæcunque semel reiecta est hæresis, à nemine debet Christiano vel iam sopita resuscitari, vel per quoscunque resuscitata recipi. sed & si quis temerè, sicut nunc OEcolampadius fecit, idipsum reuocare præsumpserit, magistratuum fuerit istum, non tantùm non admittere, sed quemcunque etiam ea confi-

OEcolampadius.

Faustus. Augusti

dentia præditum corripere, ficut & ciuilia & canonica iura diſtrictè imperant, 24.q.1. Achatius, & cap. maiores,& l. nemo. C. de ſum.tri. & fid.cath. Fugitiuus igitur iſte monachus, & temerè & impiè milites omnes diabolo vult tribuere & filios Cain facere. Attamen cùm eiuſmodi plerique ſint milites, vt in plurima peccata leuiter incidant, vt habeāt adhuc qui pij ſunt & integri)cuiuſmodi pleróſque adhuc ex nobilibus & vulgo reliquos eſſe crediderim) milites, vnde conſcientiam animúmque ſuum erga deum probè inſtitutum habeant,& quod malum eſt declinātes, bonum faciant. Eſt enim vtique miles, ſicut alius ex iis, qui manu operantur,& militi merx ſua militia eſt:atq; vt qui negocia, artificia reliqua ac mercimonia bene maléq; vti cōtingit, ita ambiguus quoque mars,& dubia militiæ alea eſt. In iſta quoque erroris naui diu fuit Lutherus, iniquum ſentiens bella gerere aduerſus Chriſtianos,ſimul & Turcas. Verùm Lutra iſta ſuo quodam more polypum agens & ſimulans, cùm iam tumultuoſis & venenatis ſuis libellis aliquot miſerorum ruſticorum vulgus concitaſſet ad arma verſa demum tuba, pro receptu cecinit claſſicum,& incepit adulari ac aſſentiri principibus,& indulgētias in hoc elargitus omnibus nobilibus, vt trucidarent, mactarent, laniarent. Vſqueadeo & inconſtantes ſunt, & à ſeipſis deſſentiunt, modò calidum efflantes, modò ex eodē ore frigidum, omnes iſti nouelli ſeductores nouorū dogmatum & ſectarum authores. Qua de re aliàs plura. Agens igitur & ſuo more grauiter diſputans contra Fauſtum beatus Auguſt. huius vtitur Euangelij teſtimonio, pro bonis militibus hunc quoque inducens Centurioné, qui & ſub ſe ſeruos habuit, ipſe quoq; ſub alterius, ſcilicet imperatoris conſtitutus imperio. Et eius fidem laudauit hîc Chriſtus, non iuſsit vt porrò à militari ſibi téperaret officio. Affert in ſuæ cauſæ defenſionem Augu. quoque reſponſum illud Ioannis, qui baptizandis à ſe militibus,& quid facerent interrogantibus, dixit, Neminem concutiatis, neque columniam faciatis. quæ ſanè verba fuerunt, vnde præſens hic noſter currere cœpit ſermo, in quo antequam progrediamur, impetraturi ex deo gratiam, ipſam ſalutemus gratię & miſericordie parentem virginē Mariam, dicentes, Aue gratia plena. ¶ Principiò hîc profitemur nos, non omnem illam materiam quæ de militia & bello ſuſcipitur, quæque ad conſcientias pertinet in ea re ſaluandas, nunc

Luther. artic. 34.

Lib. 22. cap. 74.

pertractaturos: siquidem illud vix iusto opere & volumine integro absolui posset. Sed ea tantùm quæ in hoc negocio summa & maximè generalia sunt capita, & id quoque breuiter enarraturos. Et primùm quidem, quando in hoc multum est, circa bellum liberè susceptum, an ille à cuius partibus stet miles iustam habet belli causam, tria hîc statuo, quæ ad bellũ iustum & æquum pertinent. Quorum primum ipsa est authoritas, vt nimirum magistratus, & ipsi militum in hoc consen-
Lib. 22. tiant principes. Ita Augusti. contra Faustum, Ordo, inquit,
cap. 75. ille naturalis mortalium paci accommodatus, hoc poscit, vt suscipiendi belli authoritas atque consilium penes principes sit, exequẽdi autem iussa bellica ministerium milites debeãt paci salutique communi. Et id quidem adeò, vt idem dicat, virum istum, si fortè sub rege, homine etiam sacrilego militet,
83. q. 1. quid culpatur. rectè posse illo iubente bellare, in hoc vt ciuicæ pacis ordinem seruet, cui tamen quod iubetur vel non esse contra dei præceptum, certum est, vel vtrum sit certum non est.

¶ Hinc iam doctores concludunt, & velut vno ore colligunt, quod quilibet subditus in ministerio domini sui constitutus, sine peccato licitè posit ex heri sui præcepto militare: nisi
Rom. 13. & apertè & euidenter omnino sciat, iniquam esse eius, cuius partibus fauet, causam: quod tamen leuiter suspicari non debet, sed perpetuò domini seu principis sui legitimam credere debet causam. Sequitur quam graui semet sarcina oneret, qui
Rom. 13. bellum suscipit iniustum. quicquid enim hic in eo malorum geritur, in ipsius cumulatim cõgeritur animam: sibi etiã grauissimè peccat ille, cum interim, qui ex obedientia subditur quisque bonus simul in illam malitiã progreditur, nihil peccet. Hũc enim sua excusat obedientia, quam magistratui suo ex iure diuino & humano debet. ¶ Præterea & illud ex eodẽ cõsequitur, eos qui vndecunque ex omnibus regionibus accrurũt, illotisque manibus & pedibus irrũpũt ad bella, sine omni data sibi à magistratibus suis facultate, hoc pacto minimè excusari: sicut tamen subditi regis Franciæ, & mandato & imperio regio bella gerẽtes cõtra Imperatorẽ Romanorũ, non peccãt. Sed qui vltrò approperant ad Gallorum regem, eius partes cõtra Imperatorẽ nostrũ defendentes, contra huius quoque edicta, & peccant grauiter & peccati huius ex deo iustissimo vltore pœnam expectent (nec minus nostri Galli ad Imperatorem & alios regni impugnatores immunes cen-

ſentur.)In legimus quoque cautũ eſt, ne quis bellũ ſuſcipiat, niſi venia imperatoris. ita enim habetur l. vnica. C.vti arm. vſus neſcio principe.inter.ſit.Nulli prorſus nobis inſciis atque inconſultis quorumlibet armorũ mouendorũ copia tribuatur. Quæ tamen in bello intelligenda ſunt offenſiuo,nõ defenſiuo.nã qui ſe defendere cogitur, iam ex ipſa habet natura ſibi cõceſſam facultaté:vnde hæc omnibus inſita lex eſt, quoniam vim vi repellere licet. & ſicut pro ſuis membris & corpore,ita pro bonis etiam ſe quiſque defendere poteſt. l..1.C.vti ar.vſ.lib. 11.

2 Ad iſtud bellum,deinceps cauſa quoque rationabilis requiritur,quam beatus Auguſtinus ſic deſcribit,Iuſta bella ſolent definiri,quæ vlciſcuntur iniurias,ſi gens vel ciuitas plectenda eſt;quæ vel vindicare neglexerit, quid à ſuis improbè factũ eſt,vel reddere,quod per iniuriã ablatũ eſt. Si enim qui in magiſtratu ſunt conſtituti,malũ non punirét, quæ futura eſſet in rebus humanis totóque adeò mundo ſecuritas? aut quam diu quilibet bonus quod ſuum eſt tueretur, niſi à malis defenderetur? Artibus enim bellicis,& libertas conſeruatur, & iura dignitatéſque prouinciarũ ac vrbiũ, ſimul & maieſtas imperatoria & principum amplitudo retinetur. 3 Intentio quoq; honeſta,bona,& laudabilis bellũ iuſtũ facit:ne bellum ſuſcipiatur vel ex inuidia, vel odio, vel vlciſcendi libidine, vel auaritia & inſatiabili prædæ cupiditate: ſed amore iuſtitiæ,& vt malo punito,quid bonũ eſt promoueatur. Verũ hæc quoque ſancti Auguſtini ſententia eſt,in libro de ſermone dñi in mõte:vbi ait ,Apud veros dei cultores etiam illa bella pacata ſunt,quæ nõ cupiditate aut crudelitate geruntur:ſed pacis ſtudio,vt boni ſubleuentur & mali coerceantur. Sũt igitur hæc tria,quę ab bellũ legitimè & iuſtè ſuſcipiendũ pertinent. Iis in bello proclamato nõ inuétis,nemo accederet militum, nemo illi ſe ingerat, aut in eo pugnet. I I Eſt tamen hæc trium iſtorũ differentia,quòd vbicunque vel princeps aliquis vel ciuitas bellũ ſuſcipit cõtra illas duas priores cõditiones, quicquid in eo vel rapit,vel quocũque ſibi modo vendicat & vſurpat,id omne tenetur corã deo reſtituere,quibus abripuit. Abripuit em̃ illud quicquid eſt cõtra ius,fas,omnéſque leges, vi tantũ & violẽtia,citra vllã rationabilem cauſam. & ſic lege naturæ, humana itidem & diuina, tenetur omne huiuſmodi incõmodũ reſarcire Vides nunc quatũ curæ & laboris incũbat ceruicibus principum, qui bella ſuſcipiunt,iniqua.pro-

Auguſtin° ad Donatium. 23. q.1.

Auguſt.

Extra de dá.dato.

fectò etenim quicquid damni pauperibus & miseris ex plebe hominibus per hæc obtingit, in ipsos redundat, & in animas eorum. Audi quid dicat deus, Anima quæ peccauerit, & contempto domino negauerit proximo suo depositam, quod fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, siue rem perditam inuenerit, & inficias insuper peierauerit, & quolibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines, conuicta delicti, reddet omnia quæ per fraudem voluit obtinere integra.

Leuit. 6.

¶ Quòd si quis verò iusta belli causa habita, intẽtio tamẽ deficiat, neque intẽtionem verã habeat, malè quidẽ in hoc facit & peccat: non adeò tamen, vt teneatur ad restitutionẽ. Sicut & meretrix ĩpudens, peccat quidẽ, omnibus se corpúsque suum prostituens: & de hoc, si saluari vult, pœnitentiam oportet agat contrita, verùm pecuniam ex sordido quæstu congestam, non est quod amatoribus restituat. Ad eundem enim planè modum hîc quoque qui animo non bono suscipit bellum, peccat, neque tamen restituere cogitur. Miles etiam in bellũ currit præceps auaritiæ studio, peccat, meret ibi stipẽdio conductus, lucrum iure militari facit, & nõ tenetur reddere, sicut patebit in sequentibus, sed de auaritia pœnitere.

III Absoluimus iam & quæ ad legitimũ iustũmque pertineant bellum, & qualis in iis quoque discernendis obseruanda sit ratio, reliquum est, vt quæ porrò dicturi sumus, huic fundamento superstruamus. Esto itaque prima conclusio talis. Neque ordinationi neque disciplinæ refragatur Christianæ bella gerere. Simul enim stant hæc duo, & Christianum esse bonum & militem. Conclusionem hanc tribus locis ponit beatus Augustinus super sermonẽ domini in monte, dicens: Militare nõ est delictum, sed propter prædam militare peccatum est. Deinde in libro contra Faustum, bonos etiam militare ex hoc probat, quoniam alioquin Ioannes cùm ad eũ baptizandi milites venirent, dicentes, & nos quid faciemus? respondisset eis, Arma abiicite, militiã istam deserite, neminem percutite, vulnerate vel prosternite. Sed quia sciebat eos cùm hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarũ suarum, sed salutis publicæ defensores: idcóque vsqueadeo militare eis non prohibuit, vt etiam militandi formam præscriberet & legem. Tertiò idem hoc testatur in epistola ad Bonifaciũ

Conclusio.
August.
Lib. 22.
ca. 74.

Comitem, inquiens. Noli existimare neminem deo placere posse, qui armis bellicis ministrat. In iis erat sanctus Dauid cui dominus tam magnum perhibuit testimonium in iis etiã plurimi illius temporis iusti, in iis erat sanctus ille Centurio, qui domino dixit, Nõ sum dignus, &c. Et in alia epistola, Vtile, inquit, tibi, tuisque dabo consilium. Arripe manibus arma, oratio aures pulset authoris, quia quando pugnatur, deus apertis oculis spectat, & partem quam inspicit iustam, ibi dat palmam. Quartò, Christus quoque iubet stipendium reddi Cæsari, quod Ioannes dicit sufficere militi. Reddite, inquit, Cæsari quæ Cæsaris sunt, & deo quæ dei sunt. ad hoc enim tributa præstantur, vt propter bella necessarium militi stipendium præbeatur. ¶ V. Conclusionẽ hanc euincunt plurimi sancti qui in bello versati sunt assiduò, & tamen amici dei fuerũt, vt in veteri testamento, Abraham, Moyses, Iosue, Sãson, Iepte, Gedeon: quos & ipse Paulus in catalogo reponit sanctorũ, Dauid quoque & fortissimi illi Machabæi. In nouo autem testamento Mauricius cum sociis suis, Gedeon, Victor, Florentius, qui cum facti sunt Christiani, in pristina malitia permãserũt, acceptis etiã ab impio imperatore stipendiis S. Achatius, Osualdus, qui & in bello fortiter occubuit, Carolus magnus, potentissimus fidei Christianę in plurimis bellis aduersus infideles propugnator, & iustissimus etiam contra Christianos militando imperator. Non est autem quod suspiceris viros tantos, vitæ sanctimonia tam celebres támque & pios & deo charissimos amicos, sese ad militandum intromisisse, si vel contra deũ, vel Christianam fuisset disciplinam: quod nũc Neochristiani (vt in omnibus) inepte tumultuãtur. ¶ Conclusio secũda. Militare non tantum non prohibitum est Christianis, sed & in loco & in multis modis bonum, salutare & vitæ æternæ illis meritoriũ est. Id ita probo, Si vel ciuitas, vel princeps aliquis delinquat, vnde pax publica offendi, iustitia opprimi, & ex simplicibus multi queant offendi, Imperator verò ex potestate sibi data desuper animum inducat ex præscripto iustitiæ & magistratus sui officio, vrbem illã siue principem pœna cõdigna affligere, sint eiusdem quoq; animi omnes quos ille in consiliis suis, in aula & comitatu habet, vt punito malo, bonum promoueatur reipublicæ, & iustitia regnet. Hoc iam affectu susceptum bellũ præterquam quod æquum est & iu-

Epi. 194. *Psal. 88.* *Contra Faustum.* *Matt. 22.* *Hebr. 11.*

ſtum, plurimũ etiã extitit meritoriũ. In hoc enim principio qui in poteſtate eſt ſublimiori cõſtitutus, ſuo ſatisfacit officio, & commiſſæ volũtati diuinæ, cùm non ſine cauſa vtique gladium portet: dei enim miniſter eſt in vindictam & pœnã malorum. Igitur ſi malum feceris, time: quia poteſtati reſiſtens, dei ordinationi reſiſtit. Quòd ſi itaque princeps, ex cõmiſsione dei, quod ſuũ requirit officiũ, facit, opus vtique facit & meritoriũ, & diuinæ volũtati conforme. quãdo ſæpenumero inueteratam malitiam niſi bello publico vel ſopire vel punire non poteſt. Quid quòd & malorum ſupplicium ingens eſt opus iuſtitiæ? quod quiſquis rectè exequitur, dicere poteſt, Retribuet mihi dominus ſecundum iuſtitiam meam. Taceo quod mortis genus & honeſtiſsimũ & forti viro digniſſimũ eſt, neque minus deo beneplacitum, cõſtãter pro iuſtitia & veritate in bello vbi decertaris, etiam mori, vt inquit Sapiens, Pro iuſtitia agoñizare pro anima tua. & vſque ad mortem certa pro iuſtitia, & deus expugnabit pro te inimicos tuos. Sed & hæc volũtas eſt dei, vt mali ſupplicio afficerẽtur, vt tota vndique pleniſsima eſt ſcriptura. Iam enim per prophetam dicit dominus, Impios tradidi gladio. & alibi, Pro ſcelere ſuo dati ſunt in gladium & in rapinam. Ita meritoriũ fuit hoc optimis principibus, qui aduerſus infideles decertarunt fortiſsimè, vt Gotfridus de Bulion, qui ducatus eſt iã eccleſiæ Leodiẽſis, qui terrã ſanctam bello acquiſiuit, & in eadẽ coronatus eſt. Reges quoque alij plurimi, Cæſar Cõradus, Imperator Fredericus primus, Barbaroſſa dictus, qui & ſubmerſus eſt. ambo ex ducibus Sueuiæ, reges quoque Galliarum ſanctus Ludouicus & Philippus, & Richardus rex Angliæ: ſed & papa Innocentius Andreæ regi Hungariæ, parenti ſanctæ Elizabeth, ſub pœna tum excommunicationis tũ regni ſui amiſsionis præcepit, vt Hieroſolymam abiret: ſicut gener ſuus. Ludouicus Haſsiæ fecerat eò profectus, ibique mortuus: ſicut alij plerique principes. Et hæc omnia verbo dei firmantur in Deuteronomio, Si audieris in vna vrbium tuarum, quã dominus deus tuus dabit tibi ad habitãdũ, dicẽtes aliquos, Egreſsi ſunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis tuæ, atque dixerunt. Eamus & ſeruiamus diis alienis quos ignoratis, quære ſolicitè. & diligenter rei veritate per ſpecta, ſi inueneris certum eſſe quod dicitur, & abominationẽ hãc opere perpetratam, ſtatim per-

Roma. 13.
Pſal. 17.
Eccle. 4.
Hiere. 25.
Iudi. 8.
C. licet de vo. & vo. red.
Deute. 13.

tuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam: omniaque quæ in illa sunt vsque ad pecora, quicquid etiã su pellectilis fuerit, congregabis in medio platearũ eius, & cum ipsa ciuitate succẽdẽs, ita vt vniuersa consumas domino deo tuo, & sit tumultus sempiternus: non ædificabitur amplius, &c. Quòd si nec in imperio Christiano ciuitas aliqua hoc mo do decidat à Christiana disciplina & ordinatione, demerga- *Psal. 44.* túrque in blasphemias fidei nostræ, Imperator verò siue princeps zelo dei commotus, & gladio super femur suũ accinctus, vrbẽ huiusmodi debellet, hac etiam quam hîc in lege præscripsit dominus lege, nónne & coronã sibi meruerit in cœlo, & maius etiam fecerit deo beneplacitũ, quàm Phi- *Num. 25.* nees occidẽdo profectũ exercitus de tribu Simeon, eò quòd congressus esset cum muliere infideli: hoc enim placuit deo, quanuis occisus Zambri esset sacerdos, vbi deus illi & semini suo promisit fœdus sacerdotij in sempiternum. Similiter *Iud. 19.* quoque cũ viri Beniamin vxore Leuitæ ita abusi essent inuita, vt ipsa corruens moreretur: ad istud tam grande scelus pu *Osee. 12.* niendum egressi sunt omnes filij Israël, & pariter congregati quasi vir vnus de Dan vsque Bersabee, quadringenta milia peditum: & cùm tribus Beniamin recusaret viros Gabaa tradere suppliciis afficiendos, insupérque contra totũ Israël assisteret eis, pugnarũt contra Beniamin, & occiderunt viginti quinque milia virorum, manifestata etiam ipsis victoria quam habituri essent diuinitùs. Et nũc quisquis volet, & dubitet illos bene pugnasse atque meritoriè, sine omni peccato, tantùm vt impunitum scelus tantum non maneret, quod viri Gabaa cum vxore Leuitæ perpetrauerant.

¶ Conclusio tertia. Ex graui causa bella tum gerere tum adiuuare, non licitum est tantum & coram deo meritorium, sed & in quibusdam casibus bellum intermittere peccatum est iniquum, atque pœna dignissimũ. Id adeò deus ipse testa- *1. Reg. 15.* tur & firmat per Samuelem, sic dicens ad Saul, Recensui quęcunque fecit Amalech Israëli, quomodo restitit ei in via cùm ascenderet de Aegypto: nunc ergo vade & percute Amalech, & demolire vniuersa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid. Sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum. Sic bello adoriri cœpit, ex præcepto dei Saul Amalechitas & superauit, regémque Agag cœ-

pit viuum, plebem verò & reliquum populum occidit gladio. Verùm quia contra præceptum Saul regi pepercerat & pecoribus quæ erant meliora, omnibúsque preciosis, nó perdendo ea: iratus est dominus Sauli, misitque ad eum Samuelem, qui diceret, Quæ est hæc vox gregum? Respondit autem protinus Saul, De Amalech adduxerunt ea, pepercit enim populus melioribus ouibus & armentis vt immolarentur domino deo tuo. Aitque Samuel ad Saul, Misit te dominus, & dixit, Vade & interfice peccatores Amalech, & pugnabis contra eos vsque ad internecionem eorum, & tu versus es ad prædam: pro eo ergo quod abiecisti sermonem domini, abiecit te dominus, ne sis rex. Ecce quam grauiter peccauit Saul contra dominum, non ea feueritate pugnando contra

3.Re. 20. Amalechitas, qua præceperat domin⁹. Nec dissimile est quod legimus in conflictu Benadab, regis Syriæ, cui dum totus in bello periisset exercitus, & ipse quoque in manus venisset regis Achab: dixit ille, Si adhuc viuit Benadab, frater meus est. Pepigit igitur ille fœdus, & dimisit eum. Tunc vir quidam de filiis prophetarum venit ad eum, dicens, Hæc dicit dominus, quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Statim post hęc & ipse à Syriis occisus est. Quid igitur? nónne in simili casu verum est illud quod dixit Hieremias

Hiere. 48 propheta? Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. Quisquis enim in magistratu positus est, siue rex, siue princeps, neque suos tuetur & defendit in necessitate oppressos, cúmque potest non eripit, sed perire sinit, contra illud præ-

Psal. 81. ceptum dei. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. is & peccare se grauiter sciat & miré deum

Rex Venceslaus. offendere. Siquidem & Venceslaus rex Boemię, perditionis sui regni magna & ingens est causa, quoniam si pugnasset & accinxisset femur suū gladio, & quod tantum regem decebat, sed itiosos gladio interemisset, nobile illud & eximium regnum non ita deperiisset, subditis corpore & anima periclitatis. Ad eundem quoque modum peccarent subditi, si à magistratibus suis ad bella vocati, in patriæ defensionem & malorum supplicium, pertinaciter recusarent. cōstās itaque & firma est quam statuimus conclusio, interdū bella sine pec

August. cato intermitti non posse. Sunt vicissim, inquit Augustinus, vitia ista, quibus illud genus hominum plenum est, iure culpan-

culpanda. Nocendi cupiditas, nocendi crudelitas, implacabilis animus, libido dominandi amor prædæ, & si qua similia sunt, quæ in bellis iure culpantur. Verùm ista in immensum cresceret, extra institutum nostrum dissertatio. Sufficiant igitur hæc, quæ etiam cuique pro conscientia sua saluanda satisfacere possunt. Quòd si tamen in aliis casibus hæc cuiquam non omnino deseruiant, is alieno vtatur consilio. Nūc oremus deum pro, &c.

¶ DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM. EVANG. MATTH. 8.

IN illo tempore, Ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus: ipse uerò dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes, Domine, salua nos, perimus. Et dicit eis Iesus, Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens imperauit uentis & mari: & facta est tranquillitas magna. Porrò homines mirati sunt, dicentes, Qualis est hic, quia uenti & mare obediunt ei? Marc. 4. Lucæ 8.

HOMILIA I.

EVangelium hoc ex eodem Matthæi capite, quo illud diei ab hinc octauæ desumptum est, quo & vos fratres charissimi miracula audiuistis duo æquè magna & admiranda, alterum, ipsam leprosi mundationem, paralytici ipsius Centurionis pueri solo verbo curationē. Deinceps refert Matthæus, quomodo socrū Petri sanarit à febribus, multósque dæmoniacos à spiritibus liberarit immūdis, omnéque morborū genus ab ægrotātiū profligarit corporibus. Statímque cū discipulū istū iussisset sinere, vt mortui mortuos sepelirēt suos, sequitur euangeliū hodiernū, quomodo Christus conscenderit in nauim. Vbi dicit Origenes, Cùm multa magna & miranda ostendisset in terra, transiit ad mare, vt & ibidem excellētiora adhuc opera demonstraret, quatenus terræ marisque dominum se esse cūctis ostēderet. Sanctus enim Hierony. & hîc acutè inducit, quomodo septē illa miracula probè se cōsecuta cohæreāt, leprosi mūdatio, sanatio paralytici, curatio socrus Petri, dæmoniacorū liberatio, pacatio maris.

(margin notes: Matth. 8. — Origen. — Hierony.)

duorũ obſeſſorũ reſtitutio,& paralytici cuiuſdã in Capharnaũ ſanatio. Neq; verò in aliquo ſeptẽ horũ miraculorũ vſpiã ſolos ſibi adiũxit diſcipulos, niſi tũc demum ingreſſurus
Chryſoſt. mare ſeu ſtagnũ. Eius rei rationẽ hãc reddit S. Chryſoſtom⁹ cùm ait, Turbas præmiſiſſe,ac diſcipulos tãtũ ſecũ retinuiſſe dominũ euãgeliſtæ dicũt. id autẽ nec fruſtrà neq; caſu fecit,verùm vt futuri ſigni miraculo ipſos corroboraret. Nam palæſtræ magiſter optimus ad vtrũque eos exercebat , ne aut errore vincerẽtur,aut honoribus efferrentur, & ſimul in ferẽdis aduerſis faciet meliores,quoniã vt ſigna demõſtrarẽtur, turbas quoque admittebat,vbi verò ad ſigna timor quoque & tremor imminebat,eos ſolos recipiebat, quos ad prædicationẽ & pericula erat miſſurus. 2 Et ecce,inquit euãgeliſta motus magnus erat in mari. Verùm iſta vndarũ & procellarũ cõmotio ex virtute proueniebat diuina, ſicut & illa tem-
Ionæ 1. poribus Ionæ,quãdo miſit dominus ventũ magnum in mare,& facta eſt tempeſtas magna in mari,& nauis periclitaba
Origen. tur cõteri. Ita hîc quoque ait Origenes, ingreſſus dominus nauiculã,fecit turbari mare,cõmouit ventos, cõcitauit fluctus Cur hæc? ideò vt diſcipulos mitteret in timorem, & ſuũ auxiliũ poſtularent,ſuã quoque potentiã rogãtibus manifeſtaret. Hinc igitur vos quoque diſcite,ſi quãdò vobis dominus vèl aduerſitates vel tribulationes immittit,inuocare ex animo dominum,non murmurare:ſæpe enim nos torpentes in bono,dominus hoc modo ad pietatem excitat. & opera bo
Pſal. 119. na,ſicut & Dauid inquit, Ad dominũ cùm tribularer, clama-
Pſal. 106 ui,& de aliis quoque, Clamauerũt ad dominũ, cùm tribularentur,& de neceſsitatibus eorũ eduxit eos. Ne dubita profectò neceſsitatẽ(quod habet prouerbiũ) magna , ad curſum inſtruitur equus quãuis ignarus,pluréſque longè ad cœlum perduxit aduerſitas,quàm fortuna ſecunda & adulatrix lætitia,vnde quicquid tibi aduerſum accidit , velut nunciũ ſuſcipe dei. ſtatim enim vrget & vel inuitum impellit ad deũ. Quod ſi ſine exẽmplo non credis,en hîc ipſum tibi tribula-
Pſal. 68. tum & grauiter afflictum,clamantem ad dominum. Exaudi me domine,quoniam benigna eſt miſericordia tua , ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice me, & ne auertas faciem tuam à puero tuo,quoniam tribulor , velociter exaudi me. Intende animæ meæ & libera eam ,&c. Ecce qui ex animo præcatur,quámque celerem & feſtinatã opẽ3

implorat, qui in tribulatione est, & aduersitatibus premitur.
¶ Et hîc quoque præparaturus iam apostolos suos Christus, & instituturus vt cognoscerent se in omni necessitate refugiũ ad dominũ habere debere, præcepit iam motũ hũc maris fieri. Quod & Origenes agnouit, cũ diceret, Tẽpestas illa *Origen.* nõ ex sese oborta est, sed potestati paruit imperanti, eius qui educit ventos de thesauris suis, qui terminũ mari arenã cõstituit. Volebat enim hoc ipso miraculo declarare Christus, se & esse & credi ab omnibus deũ verũ: de quo iam olim Dauid *Psal. 134.* dixerat, Qui cõturbas profundũ maris, sonũ fluctuum eius. *Psal. 64.* Tantæ fuerũt autem istæ procellæ maris, vt illi iam de periculo metuerent & submersione nauis. Atque meritò quidem magna tempestas extitit maris: quia magnũ opus facturus & exhibiturus erat dominus, sicut ipse rei docebit exitus.

3 Obdormiuit dominus, resuscitatúsque est à discipulis. O res mirabilis & stupenda, inquit Origenes! Is qui nunquam *Origen.* obdormit, dormit: is qui cœlum & terram gubernat, dormit. dormiebat quidẽ corpore, sed vigilabat deitate: quomodo *Ioan. 4.* cùm ad fontem veniret, fatigatus etiã legitur. Eũ enim hîc iuxta diuinitatem non dormiuisse, vel hoc satis arguit quod valide motũ est mare. illud nãque quomodo concitasset dormiens? Omnis autem ista dormitio propter discipulos tãtũ facta est dispensatiuè, vt sic illi vegeti magis & robusti redderentur. Marcus enim super ceruical eum dormiuisse asserit. Vtut sit, simulauit ille somnum ad tempus, talémque se gessit, quasi qui adiuuare non vellet. Aliam adhuc rationem assignat B. Hieronymus, cámque fermè huiusmodi. Typus *Hierony.* vtique domini Ionas extitit, vel Christo testante, vnde non *Matt. 12.* sepultura tantùm adæquari illo voluit triduana, sed in hoc quoque, quod etiam Ionas, periclitantibus omnibus, solus dormierat in naui: ita hîc quoque ex somno resuscitat⁹ Christus, apostolos seruauit, quod Chrysostomus in hunc mo- *Chrysost.* dum refert, Quod si vigilãtem etiam dominum vidissent, aut non adeò pertimuissent, aut petere ab eo salutem, quòd pericula eorum videret, neglexissent, aut non posse ipsum fluctus sedare putassent. Fuit autem hæc maris procella & turbatio veluti significatrix istius imminentis tentationis, de qua Paulus inquit, Non volumus vos ignorare fratres de tribulatio- *2. Cor. 1.* ne nostra quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere.

Ad huiusmodi nimirũ futura pericula istis aduersitatibus instruebâtur discipuli. Verũ hæc tibi esse debet summa côsolatio, vt maximè appareat dominus dormitãs, nihilque agẽs: tu tamẽ ipsum excita cum apostolis: profectò enim nõ dormit ille, quàm diu etiã ceruicali innixus iacet, somnũmque
Cant. 5. suũ simulat: quod ipse in Cãticis testatur, dicens, Dormio, & cor meum vigilat. Neque latuit illud sedulũ illũ excitatorẽ
Psal. 120 domini Dauidem, cùm in psalmis caneret, Non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël. Quisquis es igitur homo, diuinæ opis indigus, clama, ne cesses, inuoca dominum, & exalta vocem tuam, dicens, O domine Iesu Christe, ne dormites super me miserrimo peccatore, sed vigila super me auxiliis & aliis gratiæ tuæ distẽtis, ne quãdo peream in profun-
Psal. 103. do pelagi, & mari huius mũdi demergar, in mari isto magno & spatioso, vbi reptibilia sunt, quorum non est numerus.

4 Suscitatio porrò illa domini per apostolos nõ simplici-
Origen. ter facta est, authore Origene: vsqueadeo enim illi erant exterriti & perturbati, vt iam super ipsum irruerent Christum, eúmque pene importuniùs excitarent, dicẽtes, Domine, salua nos, perimus. Quàm sit periculum horribile in mari simul & omnibus aquis naturaliter, destitutos iam omni spe vitæ, nullam habere euadendi viam, seu auxilij expectationem qui experti sunt, norũt. Irruentibus igitur hîc quoque procellis vndique, & increbrescẽtibus vndis, tãtũmque non fracta aut mersa naui, an non tremerent, horrerent, trepidarent discipuli, eò maximè, quod iuxta Christi testimonium
Origen. fidei adhuc modicæ erant? Id adeò contẽplãs Origenes sic inquit, O beati, ô veraces dei discipuli, dominũ saluatorẽ vobiscum habetis, & periculũ timetis? vita vobiscum est, & de morte soliciti estis? maris turbinem timentes, creatorem eius præsentem suscitatis, quasi non possit dormiente corpore, fluctus sedare aut mitigare? Quòd si dixeris hanc excitationem non esse ĩfidelitatis signũ, nãque si eũ planè non credidissent maris quoque vel (vt isti loquũtur) salsi potentẽ, nec eius opẽ implorassent, neque ipsum excitassent. Respondet Chrysostom⁹, credidisse quidem eos, vnde & discipuli fuerũt Christi, non futuri vtique, si nihil credidissent. fides autem ista, iuxta verbum domini, modica erat, vnde & dominus increpabat eos, quasi dicens, Creditis vos quidem posse me adiuuare vos, verùm non creditis posse me idẽ illud dormiẽtẽ, iuxta

præſtare,ac vigilantem. Quia igitur fides in vobis modica eſt.ad eã augendã vóſque in ipſa exercendos, ecce in nauim aſſumpſi mecum,& hanc tam validam concitaui tempeſtatem. Cur non tãta vobis ineſt fides, vt cum Dauide: dicatis, Si habitauero in extremis maris,ecce illuc manus tua deducet me. & tenebit me dextera tua? Noui equidem fidem veſtram:dominum etenim me dicitis, creditis etiã me creaturis omnib'dominari,& ſic me poſſe imperare poteſtati maris,eiúſque fluctus ſedare: creditis quoniam verbis corripere poſſim, vnde & opem ex me quæritis, cum Dauide clamãtes, Eripe me & libera me de aquis multis. Verùm hæc omnia eò non ſufficiunt,quòd putatis me nõ eadé quoque poſſe dormientem:quòd arbitramini vt corpore, ita ratione & diuinitate etiam me dormire. Non ſic inquã, non ſic, Dormio quidem ego, ſed cor meũ vigilat. Quid itaque timuiſtis? aut quantula & vbi eſt fides veſtra? Huiuſmodi quædam, quæ apoſtolis dixerit Chriſtus, pro ſe ſuáque pietate meditari quiſque poterit:cũ certum ſit,& veluti perpetua quædã regula haberi debeat, euangeliſtas non ſemper ipſa propriè & exactè deſcripſiſſe verba, vt dicta ſunt, quanuis enim ea retulerint, interdum tamen plurimis in locis idipſum non fecerũt,contenti plerunque hiſtoriã breuiter & fideliter recenſere: aliâs quis futurus erat ſcribendi finis, quando & Ioannes teſtatur, ſi omnia oportuiſſet ſcripta, ne mundum quidem ſufficere potuiſſe capiẽdis omnibus illis qui ſcripti eſſent, libris? Id adeò luce clarius ex hoc loco patet, vbi Matthæus refert dixiſſe Chriſtum ad apoſtolos, Quid timidi eſtis modicæ fidei? Marcus verò, Quid timidi eſtis? necdum fidem habetis? Lucas autem in eiuſdem rei deſcriptione, ait ipſum eos increpaſſe in hæc verba: Vbi eſt fides veſtra? Ex illis tam diuerſis conſtat, Chriſtum & hæc ibi in euangelio comprehenſa, & iis plura dixiſſe verba ad apoſtolos. 5 Surrexit itaque Chriſtus,& imperauit ventis ac mari. Vbi notandum eſt, non ſanè temerè ſingulos illos euangeliſtas tres, deſcripſiſſe adeò diſcriminatim increpationẽ iſtam, Chriſtúmque vẽtis ſimul imperaſſe & mari: quoniam tempeſtas iſta non à ventis mouebatur tantùm, ſed & ex ipſo fundo maris conſurgebant & erigebantur vnde, quæ tempeſtatem horridiorem neque paulò faciebant periculoſiorum, & ſic à vento deſuper ex aë e, ab vndis autem ex imo maris grauiter affligebantur. Et ecce

Pſal. 138. *Pſal. 143.* *Nahũ. 1.* *Cant. 5.* *C. cũ mar. de ce. miſ.* *Ioan. ult.* *Matth. 8.* *Marc. 4.* *Lucæ 8.*

in futura vita mensurabuntur. siquidem secundum Origené, Origen. nihil in conspectu dei mirabile est, nihil magnum, nihil preciosum, nisi tantum fides. Credidit enim Céturio posse Christum omnia, credidit dominum eum esse rerum omnium, vnde & meruit, vt quod petierat impleretur. Credamus igitur & nos dilectissimi in Christum Iesum, credamus eum omnia posse, esse quoque in omni loco præsentem, credamus & daturum illum nobis peccatorum remissionem, dummodo præcepta sua seruauerimus: & sic quilibet nostrum cum hoc Cēturione mereatur audire, Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Id adeo nobis, qui velle & operari tribuit, concedere dignetur Iesus Christus, qui cũ deo patre in vnitate Spiritus sancti viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

HOMILIA V. ET VLTIMA.

NO MILITES NEC DAMNATOS OMNES, *nec Cainis esse filios: & qua'es eosdem esse oporteat.*

Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.

LVCÆ. 3.

CVm nuper, vt soleo, euoluerem neochristianorum libellos quosdam, incidi in nescio qualem, rancidum certè & ineptum cuiusdam Ioannis Hausschein, qui se nominat. OEcolampadius. OEcolampadium, libellum profugi istius ex diui Altonis monasterio, insigni Bauariæ cœnobio, ordinis sanctæ Brigittæ, (quid expectatis, fratres charissimi? an vt dicam sancti & religiosi monachi?) apostatæ, is inter cætera in sermonibus suis super epistolam Ioannis euangelistæ, diabolicam asserit esse doctrinam, qua docetur iustum esse inter Christianos quoque bella geri: quoniam nostrates qui in bella proficiscuntur milites, veri Cainitæ sint, vt quibus meritò dici posit illud quoque, Manus vestræ planæ sanguine sunt, maledicti Cain filij estis. Et quanuis nouum istud dogma Faustus. confutare non perinde esset necessarium, siquidem hæresis Augusti est Fausti, iam olim condemnata temporibus August. & quæcunque semel reiecta est hæresis, à nemine debet Christiano vel iam sopita resuscitari, vel per quoscunque resuscitata recipi. sed & si quis temerè, sicut nunc OEcolampadius fecit, idipsum reuocare præsumpserit, magistratuum fuerit istum, non tantùm non admittere, sed quemcunque etiam ea confi-

dentia præditum corripere, ficut & ciuilia & canonica iura diſtrictè imperant, 24.q.1. Acharius, & cap.maiores,& l. nemo.C.de ſum.tri. & fid.cath. Fugitiuus igitur iſte monachus, & temerè & impiè milites omnes diabolo vult tribuere & filios Cain facere. Attamen cùm eiuſmodi plerique ſint milites, vt in plurima peccata leuiter incidant, vt habeāt adhuc qui pij ſunt & integri)cuiuſmodi pleróſque adhuc ex nobilibus & vulgo reliquos eſſe crediderim) milites, vnde conſcientiam animúmque ſuum erga deum probè inſtitutum habeant,& quod malum eſt declinātes,bonum faciant.Eſt enim vtique miles, ficut alius ex iis, qui manu operantur,& militi merx ſua militia eſt:atq; vt qui negocia, artificia reliqua ac mercimonia bene maléq; vti cōtingit, ita ambiguus quoque mars,& dubia militiæ alea eſt.In iſta quoque erroris naui diu fuit Lutherus,iniquum ſentiens bella gerere aduerſus Chriſtianos,ſimul & Turcas. Verùm Lutra iſta ſuo quodam more polypum agens& ſimulans,cùm iam tumultuoſis & venenatis ſuis libellis aliquot miſerorum ruſticorum vulgus concitaſſet ad arma verſa demum tuba,pro receptu cecinit claſſicum,& incepit adulari ac aſſentiri princip bus,& indulgētias in hoc elargitus omnibus nobilibus, vt trucidarent, mactarent, laniarent. Vſqueadeo & inconſtantes ſunt, & à ſeipſis deſſentiunt, modò calidum efflantes, modò ex eodē ore frigidum, omnes iſti nouelli ſeductores nouorū dogmatum & ſectarum authores. Qua de re aliâs plura. Agens igitur & ſuo more grauiter diſputans contra Fauſtum beatus Auguſt. huius vtitur Euangelij teſtimonio, pro bonis militibus hunc quoque inducens Centurionē, qui & ſub ſe ſeruos habuit, ipſe quoq; ſub alterius, ſcilicet imperatoris.conſtitutus imperio. Et eius fidem laudauit hîc Chriſtus, non iuſsit vt porrò à militari ſibi tēperaret officio. Affert in ſuæ cauſæ defenſionem Augu.quoque reſponſum illud Ioannis, qui baptizandis à ſe militibus,& quid facerent interrogantibus,dixit, Neminem concutiatis, neque columniam faciatis. quæ ſanè verba fuerunt, vnde præſens hic noſter currere cœpit ſermo, in quo antequam progrediamur,impetraturi ex deo gratiam, ipſam ſalutemus gratię & miſericordie parentem virginē Mariam, dicentes, Aue gratia plena. ¶ Principiò hîc profitemur nos, non omnem illam materiam quæ de militia & bello ſuſcipitur,quæque ad conſcientias pertinet in ea re ſaluandas,nunc

Luther. artic. 34.

Lib. 22. cap. 74.

pertracturos: siquidem illud vix iusto opere & volumine integro absolui posset. Sed ea tantùm quæ in hoc negocio summa & maximè generalia sunt capita, & id quoque breuiter enarraturos. Et primùm quidem, quando in hoc multum est, circa bellum liberè susceptum, an ille à cuius partibus stet miles iustam habet belli causam, tria hîc statuo, quæ ad bellũ iustum & æquum pertinent. Quorum primum ipsa est authoritas, vt nimirum magistratus, & ipsi militum in hoc consen-

Lib. 22. cap. 75. tiant principes. Ita Augusti. contra Faustum, Ordo, inquit, ille naturalis mortalium paci accommodatus, hoc poscit, vt suscipiendi belli authoritas atque consilium penes principes sit, exequẽdi autem iussa bellica ministerium milites debeãt paci salutique communi. Et id quidem adeò, vt idem dicat, virum istum, si fortè sub rege, homine etiam sacrilego milites,

83. q. 1. quid culpatur. rectè posse illo iubente bellare, in hoc vt ciuicæ pacis ordinem seruet, cui tamen quod iubetur vel non esse contra dei præceptum, certum est, vel vtrum sit certum non est.

¶ Hinc iam doctores concludunt, & velut vno ore colligunt, quod quilibet subditus in ministerio domini sui constitutus, sine peccato licitè possit ex heri sui præcepto militare: nisi

Rom. 13. & apertè & euidenter omnino sciat, iniquam esse eius, cuius partibus fauet, causam: quod tamen leuiter suspicari non debet, sed perpetuò domini seu principis sui legitimam credere debet causam. Sequitur quam graui semet sarcina oneret, qui

Rom. 13. bellum suscipit iniustum. quicquid enim hîc in eo malorum geritur, in ipsius cumulatim cõgeritur animam: ibi etiã grauissimè peccat ille, cum interim, qui ex obedientia subditur quisque bonus simul in illam malitiã progreditur, nihil peccet. Hũc enim sua excusat obedientia, quam magistratui suo ex iure diuino & humano debet. ¶ Præterea & illud ex eodé cõsequitur, eos qui vndecunque ex omnibus regionibus accrurũt, illotisque manibus & pedibus irrũpũt ad bella, sine omni data sibi à magistratibus suis facultate, hoc pacto minimè excusari: sicut tamen subditi regis Franciæ, & mandato & imperio regio bella gerẽtes cõtra Imperatorẽ Romanorũ, non peccãt. Sed qui vltrò approperant ad Gallorum regem, eius partes cõtra Imperatorẽ nostrũ defendentes, contra huius quoque edicta, & peccant grauiter & peccati huius ex deo iustissimo vltore pœnam expectent (nec minus nostri Galli ad Imperatorem & alios regni impugnatores immunes cen-

ſentur.)In legimus quoque cautũ eſt, ne quis bellũ ſuſcipiat, niſi venia imperatoris. ita enim habetur l. vnica. C.vti arm. vſus neſcio principe.inter.ſit.Nulli prorſus nobis inſciis atque inconſultis quorumlibet armorũ mouendorũ copia tribuatur. Quæ tamen in bello intelligenda ſunt offenſiuo,nõ defenſiuo.nã qui ſe defendere cogitur, iam ex ipſa habet natura ſibi cõceſſam facultaté:vnde hæc omnibus inſita lex eſt, quoniam vim vi repellere licet. & ſicut pro ſuis membris & corpore,ita pro bonis etiam ſe quiſque defendere poteſt. *l..1.C.vti ar.vſ.lib. 11.*

2 Ad iſtud bellum,deinceps cauſa quoque rationabilis requiritur,quam beatus Auguſtinus ſic deſcribit,Iuſta bella ſolent definiri,quæ vlciſcuntur iniurias,ſi gens vel ciuitas plectenda eſt;quæ vel vindicare neglexerit, quid à ſuis improbè factũ eſt,vel reddere,quod per iniuriã ablatũ eſt. Si enim qui in magiſtratu ſunt conſtituti,malũ non punirét, quæ futura eſſet in rebus humanis totóque adeò mundo ſecuritas? aut quam diu quilibet bonus quod ſuum eſt tueretur, niſi à malis defenderetur? Artibus enim bellicis,& libertas conſeruatur, & iura dignitatéſque prouinciarũ ac vrbiũ, ſimul & maieſtas imperatoria & principum amplitudo retinetur. 3 Intentio quoq; honeſta,bona,& laudabilis bellũ iuſtũ facit:ne bellum ſuſcipiatur vel ex inuidia, vel odio, vel vlciſcendi libidine, vel auaritia & inſatiabili prædæ cupiditate: ſed amore iuſtitiæ,& vt malo punito,quid bonũ eſt promoueatur. Verũ hæc quoque ſancti Auguſtini ſententia eſt,in libro de ſermone dni in mõte:vbi ait ,Apud veros dei cultores etiam illa bella pacata ſunt,quæ nõ cupiditate aut crudelitate geruntur:ſed pacis ſtudio,vt boni ſubleuentur & mali coerceantur. Sũt igitur hæc tria,quę ab bellũ legitimè & iuſtè ſuſcipiendũ pertinent. Iis in bello proclamato nõ inuẽtis,nemo accederet militum, nemo illi ſe ingerat, aut in eo pugnet. II Eſt tamen hæc trium iſtorũ differentia,quòd vbicunque vel princeps aliquis vel ciuitas bellũ ſuſcipit cõtra illas duas priores cõditiones, quicquid in eo vel rapit,vel quocũque ſibi modo vendicat & vſurpat,id omne tenetur corã deo reſtituere,quibus abripuit. Abripuit eñ illud quicquid eſt cõtra ius,fas,omnéſque leges, vi tantũ & violẽtia,citra vllã rationabilem cauſam. & ſic lege naturæ, humana itidem & diuina, tenetur omne huiuſmodi incõmodũ reſarcire Vides nunc quãtũ curæ & laboris incũbat ceruicibus principum, qui bella ſuſcipiunt,iniqua.pro- *Auguſtin ad Donnium. 23. q.1.* *Auguſt.* *Extra de dã.dato.*

fectò etenim quicquid damni pauperibus & miseris ex plebe hominibus per hæc obtingit, in ipsos redundat, & in animas eorum. Audi quid dicat deus, Anima quæ peccauerit, & contempto domino negauerit proximo suo depositam. quod fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, siue rem perditam inuenerit, & inficias insuper peierauerit, & quolibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines, conuicta delicti, reddet omnia quæ per fraudem voluit obtinere integra.

Leuit. 6.

¶ Quòd si quis verò iusta belli causa habita, intétio tamē deficiat, neque intétionem verā habeát, malè quidē in hoc facit & peccat: non adeò tamen, vt teneatur ad restitutionē. Sicut & meretrix ípudens, peccat quidē, omnibus se corpúsque suum prostituens: & de hoc, si saluari vult, pœnitentiam oportet agat contrita, verùm pecuniam ex sordido quæstu congestam, non est quod amatoribus restituat. Ad eundem enim planè modum hîc quoque qui animo non bono suscipit bellum, peccat, neque tamen restituere cogitur. Miles etiam in bellū currit præceps auaritiæ studio, peccat, meret ibi stipēdio conductus, lucrum iure militari facit, & nō tenetur reddere, sicut patebit in sequentibus, sed de auaritia pœnitere.

III Absoluimus iam & quæ ad legitimū iustúmque pertineant bellum, & qualis in iis quoque discernendis obseruanda sit ratio, reliquum est, vt quæ porrò dicturi sumus, huic fundamento superstruamus. Esto itaque prima conclusio talis. Neque ordinationi neque disciplinæ refragatur Christianæ bella gerere. Simul enim stant hæc duo, & Christianum esse bonum & militem. Conclusionem hanc tribus locis ponit beatus Augustinus super sermonē domini in monte, dicens: Militare nō est delictum, sed propter prædam militare peccatum est, Deinde in libro contra Faustum, bonos etiam militare ex hoc probat, quoniam alioquin Ioannes cùm ad eū baptizandi milites venirent, dicentes, & nos quid faciemus? respondisset eis, Arma abiicite, militiā istam deserite, neminem percutite, vulnerate vel prosternite. Sed quia sciebat eos cùm hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarū suarum, sed salutis publicæ defensores: ideóque vsqueadeo militare eis non prohibuit, vt etiam militandi formam præscriberet & legem. Tertiò idem hoc testatur in epistola ad Bonifaciū

Conclusio. *August.* *Lib. 22. ca. 74.*

Comitem, inquiens. Noli existimare neminem deo placere posse, qui armis bellicis ministrat. In iis erat sanctus Dauid cui dominus tam magnum perhibuit testimonium in iis etiã plurimi illius temporis iusti, in iis erat sanctus ille Centurio, qui domino dixit, Nõ sum dignus, &c. Et in alia epistola, Vtile, inquit, tibi, tuísque dabo consilium. Arripe manibus arma, oratio aures pulset authoris, quia quando pugnatur, deus apertis oculis spectat, & partem quam inspicit iustam, ibi dat palmam. Quartò, Christus quoque iubet stipendium reddi Cæsari, quod Ioannes dicit sufficere militi. Reddite, inquit, Cæsari quæ Cæsaris sunt, & deo quæ dei sunt. ad hoc enim tributa præstantur, vt propter bella necessarium militi stipendium præbeatur. ¶ V. Conclusionẽ hanc euincunt plurimi sancti qui in bello versati sunt asiduò, & tamen amici dei fuerũt, vt in veteri testamento, Abraham, Moyses, Iosue, Sãson, Iepte, Gedeon: quos & ipse Paulus in catalogo reponit sanctorũ, Dauid quoque & fortissimi illi Machabæi. In nouo autem testamento Mauricius cum sociis suis, Gedeon, Victor, Florentius, qui cum facti sunt Christiani, in pristina malitia permãserũt, acceptis etiã ab impio imperatore stipendiis S. Achatius, Osualdus, qui & in bello fortiter occubuit, Carolus magnus, potentissimus fidei Christianę in plurimis bellis aduersus infideles propugnator, & iustissimus etiam contra Christianos militando imperator. Non est autem quod suspiceris viros tantos, vitæ sanctimonia tam celebres támque & pios & deo charissimos amicos, sese ad militandum intromisisse, si vel contra deũ, vel Christianam fuisset disciplinam: quod nũc Neochristiani (vt in omnibus) inepte tumultuãtur. ¶ Conclusio secũda. Militare non tantum non prohibitum est Christianis, sed & in loco & in multis modis bonum, salutare & vitæ æternæ illis meritoriũ est. Id ita probo, Si vel ciuitas, vel princeps aliquis delinquat, vnde pax publica offendi, iustitia opprimi, & ex simplicibus multi queant offendi, Imperator verò ex potestate sibi data desuper animum inducat ex præscripto iustitiæ & magistratus sui officio, vrbem illã siue principem pœna cõdigna affligere, sint eiusdem quoq; animi omnes quos ille in consiliis suis, in aula & comitatu habet, vt punito malo, bonum promoueatur reipublicæ, & iustitia regnet. Hoc iam affectu susceptum bellũ præterquam quod æquum est & iu-

Epi. 194. *Psal. 88.* *Contra Faustum.* *Matt. 22.* *Hebr. 11.*

ſtum,plurimũ etiã extitit meritoriũ. In hoc enim principio qui in poteſtate eſt ſublimiori cõſtitutus, ſuo ſatisfacit officio,& commiſſæ volũtati diuinæ, cùm non ſine cauſa vtique gladium portet:dei enim miniſter eſt in vindictam & pœnã
Roma.13. malorum. Igitur ſi malum feceris,time: quia poteſtati reſiſtens,dei ordinationi reſiſtit. Quòd ſi itaque princeps,ex cõmiſsione dei,quod ſuũ requirit officiũ,facit, opus vtique facit & meritoriũ,& diuinæ volũtati conforme.quãdo ſæpenumero inueteratam malitiam niſi bello publico vel ſopire vel punire non poteſt. Quid quòd& malorum ſupplicium ingens eſt opus iuſtitiæ?quod quiſquis rectè exequitur, dicere poteſt, Retribuet mihi dominus ſecundum iuſtitiam meam.
Pſal. 17. Taceo quod mortis genus& honeſtiſsimũ & forti viro digniſſimũ eſt, neque minus deo beneplacitum, cõſtãter pro iuſtitia & veritate in bello vbi decertaris,etiam mori, vt inquit
Eccle.4. Sapiens, Pro iuſtitia agonizare pro anima tua. & vſque ad mortem certa pro iuſtitia,& deus expugnabit pro te inimicos tuos.Sed & hæc volũtas eſt dei, vt mali ſupplicio afficerẽtur, vt tota vndique pleniſsima eſt ſcriptura. Iam enim per
Hiere.25. prophetam dicit dominus, Impios tradidi gladio. & alibi,
Iudi.8. Pro ſcelere ſuo dati ſunt in gladium & in rapinam. Ita meritoriũ fuit hoc optimis principibus, qui aduerſus infideles decertarunt fortiſsimè,vt Gotfridus de Bulion, qui ducatus eſt iã eccleſiæ Leodiẽſis,qui terrã ſanctam bello acquiſiuit,& in eadẽ coronatus eſt. Reges quoque alii plurimi, Cæſar Cõradus,Imperator Fredericus primus, Barbaroſſa dictus, qui & ſubmerſus eſt.ambo ex ducibus Sueuiæ,reges quoque Galliarum ſanctus Ludouicus & Philippus,& Richardus rex Angliæ:ſed& papa Innocentius Andreæ regi Hungariæ,parenti ſanctæ Elizabeth,ſub pœna tum excommunicationis tũ regni ſui amiſsionis præcepit, vt Hieroſolymam abiret: ſicut gener ſuus. Ludouicus Haſsiæ fecerat eò profectus,
C. licet ibíque mortuus:ſicut alij plerique principes. Et hæc omnia
de vo. & verbo dei firmantur in Deuteronomio,Si audieris in vna vr
vo. red. bium tuarum,quã dominus deus tuus dabit tibi ad habitãdũ,
Deute.13. dicẽtes aliquos,Egreſsi ſunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis tuæ,atque dixerunt. Eamus & ſeruiamus diis alienis quos ignoratis, quære ſolicitè. & diligenter rei veritate per ſpecta,ſi inueneris certum eſſe quod dicitur,& abominationẽ hãc opere perpetratam, ſtatim per-

cuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam: omniaque quæ in illa sunt vsque ad pecora, quicquid etiã su pellectilis fuerit, congregabis in medio platearũ eius, & cum ipsa ciuitate succẽdẽs, ita vt vniuersa consumas domino deo tuo, & sit tumultus sempiternus: non ædificabitur amplius, &c. Quòd si nec in imperio Christiano ciuitas aliqua hoc mo do decidat à Christiana disciplina & ordinatione, demerga- *Psal. 44.*
túrque in blasphemias fidei nostræ, Imperator verò siue princeps zelo dei commotus, & gladio super femur suũ accinctus, vrbé huiusmodi debellet, hac etiam quam hîc in lege præscripsit dominus lege, nónne & coronã sibi meruerit in cœlo, & maius etiam fecerit deo beneplacitũ, quàm Phinees occiđẽdo profectũ exercitus de tribu Simeon, eò quòd *Num. 25.*
congressus esset cum muliere infideli: hoc enim placuit deo, quanuis occisus Zambri esset sacerdos, vbi deus illi & semini suo promisit fœdus sacerdotij in sempiternum. Similiter *Iud. 19.*
quoque cũ viri Beniamin vxore Leuitæ ita abusi essent inuita, vt ipsa corruens moreretur: ad istud tam grande scelus pu *Osee. 12.*
niendum egresi sunt omnes filij Israël, & pariter congregati quasi vir vnus de Dan vsque Bersabee, quadringenta milia peditum: & cùm tribus Beniamin recusaret viros Gabaa tradere suppliciis afficiendos, insupérque contra totũ Israël assisteret eis, pugnarũt contra Beniamin, & occiderunt viginti quinque milia virorum, manifestata etiam ipsis victoria quam habituri essent diuinitùs. Et nũc quisquis volet, & dubitet illos bene pugnasse atque meritorié, sine omni peccato, tantùm vt impunitum scelus tantum non maneret, quod viri Gabaa cum vxore Leuitæ perpetrauerant.

¶ Conclusio tertia. Ex graui causa bella tum gerere tum adiuuare, non licitum est tantum & coram deo meritorium, sed & in quibusdam casibus bellum intermittere peccatum est iniquum, atque pœna dignissimũ. Id adeò deus ipse testa- *1.Reg.15.*
tur & firmat per Samuelem, sic dicens ad Saul, Recensui quęcunque fecit Amalech Israëli, quomodo restitit ei in via cùm ascenderet de Aegypto: nunc ergo vade & percute Ama lech, & demolire vniuersa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid. Sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum. Sic bello adoriri cœpit, ex præcepto dei Saul Amalechitas & superauit, regémque Agag cœ-

pit viuum, plebem verò & reliquum populum occidit gladio. Verùm quia contra præceptum Saul regi pepercerat & pecoribus quæ erant meliora, omnibúsque preciosis, nō perdendo ea: iratus est dominus Sauli, misitque ad eum Sanuelem, qui diceret, Quæ est hæc vox gregum? Respondit autem protinus Saul, De Amalech adduxerunt ea, pepercit enim populus melioribus ouibus & armentis vt immolarentur domino deo tuo. Aitque Samuel ad Saul, Misit te dominus, & dixit, Vade & interfice peccatores Amalech, & pugnabis contra eos vsque ad internecionem eorum, & tu versus es ad prædam: pro eo ergo quod abiecisti sermonem domini, abiecit te dominus, ne sis rex. Ecce quam grauiter peccauit Saul contra dominum, non ea seueritate pugnando contra

3.Re. 20. Amalechitas, qua præceperat domin'. Nec dissimile est quod legimus in conflictu Benadab, regis Syriæ, cui dum totus in bello periisset exercitus, & ipse quoque in manus venisset regis Achab: dixit ille, Si adhuc viuit Benadab, frater meus est. Pepigit igitur ille fœdus, & dimisit eum. Tunc vir quidam de filiis prophetarum venit ad eum, dicens, Hæc dicit dominus, quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Statim post hęc & ipse à Syriis occisus est. Quid igitur? nónne in simili casu verum est illud quod dixit Hieremias propheta? Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. Quisquis enim in magistratu positus est, siue rex, siue princeps, neque suos tuetur & defendit in necessitate oppressos, cúmque potest non eripit, sed perire sinit, contra illud præceptum dei. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. is & peccare se grauiter sciat & miré deum offendere. Siquidem & Venceslaus rex Boemię, perditionis sui regni magna & ingens est causa, quoniam si pugnasset & accinxisset femur suū gladio, & quod tantum regem decebat, seditiosos gladio interemisset, nobile illud & eximium regnum non ita deperiisset, subditis corpore & anima periclitatis. Ad eundem quoque modum peccarent subditi, si à magistratibus suis ad bella vocati, in patriæ defensionem & malorum supplicium, pertinaciter recusarent. cōstās itaque & firma est quam statuimus conclusio, interdū bella sine peccato intermitti non posse. Sunt vicissim, inquit Augustinus, vitia ista, quibus illud genus hominum plenum est, iure culpan-

Margin notes: Hiere. 48 (beside "ne in simili casu"); Psal. 81. (beside "ceptum dei"); Rex Venceslaus. (beside "offendere"); August. (beside "cato intermitti").

culpanda. Nocendi cupiditas, nocendi crudelitas, implacabilis animus, libido dominandi amor prædæ, & si qua similia sunt, quæ in bellis iure culpantur. Verùm ista in immensum cresceret, extra institutum nostrum dissertatio. Sufficiant igitur hæc, quæ etiam cuique pro conscientia sua saluanda satisfacere possunt. Quòd si tamen in aliis casibus hæc cuiquam non omnino deseruiant, is alieno vtatur consilio. Nũc oremus deum pro, &c.

¶DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM. EVANG. MATTH. 8.

IN illo tempore, Ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus: ipse uerò dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes, Domine, salua nos, perimus. Et dicit eis Iesus, Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens imperauit uentis & mari: & facta est tranquillitas magna. Porrò homines mirati sunt, dicentes, Qualis est hic, quia uenti & mare obediunt ei? Marc. 4. Lucæ 8.

HOMILIA I.

EVangelium hoc ex eodem Matthæi capite, quo illud diei ab hinc octauæ desumptum est, quo & vos fratres charissimi miracula audiuistis duo æquè magna & admiranda, alterum, ipsam leprosi mundationem, paralytici ipsius Centurionis pueri solo verbo curationẽ. Deinceps refert Matthæus, quomodo socrũ Petri sanarit à febribus, multósque dæmoniacos à spiritibus liberarit immũdis, omnéque morborũ genus ab ægrotãtiũ profligarit corporibus. Statímque cũ discipulũ istũ iussisset sinere, vt mortui mortuos sepelirẽt suos, sequitur euangeliũ hodiernũ, quomodo Christus conscenderit in nauim. Vbi dicit Origenes, Cùm multa magna & miranda ostendisset in terra, transiit ad mare, vt & ibidem excellẽtiora adhuc opera demonstraret, quatenus terræ marisque dominum se esse cũctis ostẽderet. Sanctus enim Hierony. & hîc acutè inducit, quomodo septẽ illa miracula probè se cõsecuta cohæreãt, leprosi mũdatio, sanatio paralytici, curatio socrus Petri, dæmoniacorũ liberatio, pacatio maris.

Matth. 8. Origen. Hierony.

duorũ obſeſſorũ reſtitutio,& paralytici cuiuſdã in Capharnaũ ſanatio. Neq; verò in aliquo ſeptẽ horũ miraculorũ vſpiã ſolos ſibi adiuxit diſcipulos, niſi tũc demum ingreſſurus
Chryſoſt. mare ſeu ſtagnũ. Eius rei rationẽ hãc reddit S. Chryſoſtom⁹ cùm ait, Turbas præmiſiſſe, ac diſcipulos tãtũ ſecũ retinuiſſe dominũ euãgeliſtæ dicũt. id autẽ nec fruſtrà neq; caſu fecit, verùm vt futuri ſigni miraculo ipſos corroboraret. Nam palæſtræ magiſter optimus ad vtrũque eos exercebat, ne aut e rore vincerẽtur, aut honoribus efferrentur, & ſimul in ferẽdis aduerſis faceret meliores, quopiã vt ſigna demõſtrarẽtur, turbas quoque admittebat, vbi verò ad ſigna timor quoque & tremor imminebat, eos ſolos recipiebat, quos ad prædicationẽ & pericula erat miſſurus. 2. Et ecce, inquit euãgeliſta motus magnus erat in mari. Verùm iſta vndarũ & procellarũ cõmotio ex virtute proueniebat diuina, ſicut & illa temporibus Ionæ, quãdo miſit dominus ventũ magnum in mare, & facta eſt tempeſtas magna in mari, & nauis periclitabatur cõteri. Ita hîc quoque ait Origenes, ingreſſus dominus naiculã, fecit turbari mare, cõmouit ventos, cõcitauit fluctus Cur hæc? ideo vt diſcipulos mitteret in timorem, & ſuũ auxiliũ poſtularent, ſuã quoque potentiã rogãtibus mani feſtaret. Hinc igitur vos quoque diſcite, ſi quãdò vobis dominus vel aduerſitates vel tribulationes immittit, inuocare ex animo dominum, non murmurare: ſæpe enim nos torpentes in bono, dominus hoc modo ad pietatem excitat & opera bo
Ionæ I.
Origen.
Pſal. 119. na, ſicut & Dauid inquit, Ad dominũ cùm tribularer, clama-
Pſal. 106 ui, & de aliis quoque, Clamauerũt ad dominũ, cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorũ eduxit eos. Ne dubita profectò neceſſitatẽ (quod habet prouerbiũ) magna, ad curſum inſtruitur equus quãuis ignarus, plureſque longè ad cœlum perduxit aduerſitas, quàm fortuna ſecunda & adulatrix lætitia, vnde quicquid tibi aduerſum accidit, velut nunciũ ſuſcipe dei. ſtatim enim vrget & vel inuitum impellit ad deũ. Quod ſi ſine exẽmplo non credis, en hîc ipſum tibi tribulatum & grauiter afflictum, clamantem ad dominum. Exaudi
Pſal. 68. me domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice me, & ne auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ & libera eam, &c. Ecce qui ex animo præcatur, quàmque celerem & feſtinatã ope-

implorat, qui in tribulatione est, & aduersitatibus præmitur.
¶ Et hîc quoque præparaturus iam apostolos suos Christus, & instituturus vt cognoscerent se in omni necessitate refugiũ ad dominũ habere debere, præcepit iam motũ hũc maris fieri. Quod & Origenes agnouit, cũ diceret, Tẽpestas illa nõ ex sese oborta est, sed potestati paruit imperanti, eius qui educit ventos de thesauris suis, qui termin ũ mari arenã cõstituit. Volebat enim hoc ipso miraculo declarare Christus, se & esse & credi ab omnibus deũ verũ: de quo iam olim Dauid dixerat, Qui cõturbas profundũ maris, sonũ fluctuum eius. Tantæ fuerũt autem istæ procellæ maris, vt illi iam de periculo metuerent & submersione nauis. Atque meritò quidem magna tempestas extitit maris: quia magnũ opus facturus & exhibiturus erat dominus, sicut ipse rei docebit exitus. Origen. Psal. 134. Psal. 64.

3 Obdormiuit dominus, resuscitatúsque est à discipulis. O res mirabilis & stupenda, inquit Origenes! Is qui nunquam obdormit, dormit: is qui cœlum & terram gubernat, dormit. dormiebat quidẽ corpore, sed vigilabat deitate: quomodo cùm ad fontem veniret, fatigatus etiã legitur. Eũ enim hîc iuxta diuinitatem non dormiuisse, vel hoc satis arguit quod valide motũ est mare. illud nãque quomodo concitasset dormiens? Omnis autem ista dormitio propter discipulos tãtũ facta est dispensatiuè, vt sic illi vegeti magis & robusti redderentur. Marcus enim super ceruical eum dormiuisse affe-rit. Vtut sit, simulauit ille somnum ad tempus, talémque se gessit, quasi qui adiuuare non vellet. Aliam adhuc rationem assignat B. Hieronymus, eámque fermè huiusmodi. Typus vtique domini Ionas extitit, vel Christo testante, vnde non sepultura tantùm adæquari illo voluit triduana, sed in hoc quoque, quod etiam Ionas, periclitantibus omnibus, solus dormierat in naui: ita hîc quoque ex somno resuscitat⁹ Christus, apostolos seruauit, quod Chrysostomus in hunc modum refert, Quod si vigilãtem etiam dominum vidissent, aut non adeò pertimuissent, aut petere ab eo salutem, quòd pericula eorum videret, neglexissent, aut non posse ipsum fluctus sedare putassent. Fuit autem hæc maris procella & turbatio veluti significatrix istius iminentis tentationis, de qua Paulus inquit, Non volumus vos ignorare fratres de tribulatione nostra quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Origen. Ioan. 4. Hieronym. Matt. 12. Chrysost. 2. Cor. 1.

Ad huiusmodi nimirũ futura pericula istis aduersitatibus instruebãtur discipuli. Verũ hæc tibi esse debet summa cõsolatio, vt maximè appareat dominus dormitãs, nihílque ages: tu tamẽ ipsum excita cum apostolis: profectò enim nõ dormit ille, quàm diu etiã ceruicali innixus iacet, somnúmque suũ simulat: quod ipse in Cãticis testatur, dicens, Dormio, & cor meum vigilat. Neque latuit illud sedulũ illũ excitatorẽ domini Dauidem, cùm in psalmis caneret, Non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël. Quisquis es igitur homo, diuinæ opis indigus, clama, ne cesses, inuoca dominum, & exalta vocem tuam, dicens, O domine Iesu Christe, ne dormi tes super me miserrimo peccatore, sed vigila super me auxiliis & aliis gratiæ tuæ dictẽtis, ne quãdo peream in profundo pelagi, & mari huius mũdi demergar, in mari isto magno & spatioso, vbi reptibilia sunt, quorum non est numerus.

Cant. 5. Psal. 120 Psal. 103.

4 Suscitatio porrò illa domini per apostolos nõ simpliciter facta est, authore Origene: vsqueadeo enim illi erant exterriti & perturbati, vt iam super ipsum irruerent Christum, eúmque pene importuniùs excitarent, dicẽtes, Domine, salua nos, perimus. Quàm sit periculum horribile in mari simul & omnibus aquis naturaliter, destitutos iam omni spe vitæ, nullam habere euadendi viam, seu auxilij expectationem qui experti sunt, norũt. Irruentibus igitur hîc quoque procellis vndique, & increbrescẽtibus vndis, tãtũmque non fracta aut mersa naui, an non tremerent horrerent, trepidarent discipuli, eò maximè, quod iuxta Christi testimonium fidei adhuc modicæ erant? Id adeò contẽplãs Origenes sic inquit, O beati, ô veraces dei discipuli, dominũ saluatorẽ vobiscum habetis, & periculũ timetis? vita vobiscum est, & de morte soliciti estis? maris turbinem timentes, creatorem eius præsentem suscitatis, quasi non possit dormiente corpore, fluctus sedare aut mitigare? Quòd si dixeris hanc excitationem non esse ĩfidelitatis signũ, nãque si eũ planè non credidissent maris quoque vel (vt isti loquũtur) falsipotentẽ, nec eius opẽ implorassent, neque ipsum excitassent. Respondet Chrysostom', credidisse quidem eos, vnde & discipuli fuerũt Christi, non futuri vtique, si nihil credidissent. fides autem ista, iuxta verbum domini, modica erat, vnde & dominus increpabat eos, quasi dicens, Creditis vos quidem posse me adiuuare vos, verùm non creditis posse me idẽ illud dormiẽtẽ, iuxta

Origen. Origen.

præſtare,ac vigilantem. Quia igitur fides in vobis modica eſt,ad eā augendā vóſque in ipſa exercendos, ecce in nauim aſſumpſi mecum,& hanc tam validam concitaui tempeſtatem. Cur non tāta vobis ineſt fides, vt cum Dauide dicatis, Si habitauero in extremis maris,ecce illuc manus tua deducet me. & tenebit me dextera tua? Noui equidem fidem veſtram:dominum etenim me dicitis, creditis etiā me creaturis omnib' dominari,& ſic me poſſe imperare poteſtati maris,eiúſque fluctus ſedare: creditis quoniam verbis corripere poſſim, vnde & opem ex me quæritis, cum Dauide clamātes, Eripe me & libera me de aquis multis. Verùm hæc omnia eô non ſufficiunt,quòd putatis me nō eadē quoque poſſe dormientem:quòd arbitramini vt corpore, ita ratione & diuinitate etiam me dormire.Non ſic inquā, non ſic, Dormio quidem ego, ſed cor meū vigilat. Quid itaque timuiſtis? aut quantula & vbi eſt fides veſtra?Huiuſmodi quædam,quæ apoſtolis dixerit Chriſtus,pro ſe ſuáque pietate meditari quiſque poterit:cū certum ſit,& veluti perpetua quædā regula haberi debeat, euangeliſtas non ſemper ipſa propriè & exactè deſcripſiſſe verba,vt dicta ſunt,quamuis enim ea retulerint, interdum tamen plurimis in locis idipſum non fecerūt,contenti plerunque hiſtoriā breuiter & fideliter recenſere: aliâs quis futurus erat ſcribendi finis,quando & Ioannes teſtatur, ſi omnia oportuiſſet ſcripta, ne mundum quidem ſufficere potuiſſe capiēdis omnibus illis qui ſcripti eſſent, libris? Id adeò luce clarius ex hoc loco patet,vbi Matthæus refert dixiſſe Chriſtum ad apoſtolos, Quid timidi eſtis modicæ fidei? Marcus verò, Quid timidi eſtis?necdum fidem habetis? Lucas autem in eiuſdem rei deſcriptione,ait ipſum eos increpaſſe in hæc verba:Vbi eſt fides veſtra? Ex illis tam diuerſis conſtat, Chriſtum & hæc ibi in euangelio comprehenſa, & iis plura dixiſſe verba ad apoſtolos. 5 Surrexit itaque Chriſtus,& imperauit ventis ac mari. Vbi notandum eſt, non ſanè temerè ſingulos illos euangeliſtas tres, deſcripſiſſe adeò diſcriminatim increpationē iſtam,Chriſtúmque ventis ſimul imperaſſe & mari:quoniam tempeſtas iſta non à ventis mouebatur tantùm,ſed & ex ipſo fundo maris conſurgebant & erigebantur vnde,quæ tempeſtatem horridiorem neque paulò faciebant periculoſiorum, & ſic à vento deſuper ex aëre, ab vndis autem ex imo maris grauiter affligebantur. Et ecce

Pſal. 138. *Pſal.* 143. *Nahū.* 1. *Cant.* 5. *C. cū mar. de ce. miſ.* *Ioan. ult.* *Matth.* 8. *Marc.* 4. *Lucæ* 8.

dedit hîc nobis dominus doctrinæ imaginem, vt nos in omni
origen. conturbatione & contumelia patientiam teneamus, stabiles simus, fidem non deseramus. Et si omnis iste mũdus tãquam mare ebulliat, atque in furorem consurgat: & si omnes venti & vertigines dæmonum vndique sæuiant, & si omnis tempestas maris, id est omnes principatus & potestates mundi concitentur, & in tumore iracundiæ spument, vt furiant super sanctos: & si adhuc vsque ad cœlos sese extollant, vt tempestates maris malignantes ac dolos & fremitus concitantes aduersus aliquem vestrũ: nolite timere, nolite turbari, nolite contremiscere, nolite deficere. Omnes quotquot in fidei nauicula cũ domino nauigatis, omnes quotquot in hac nimirum sanctæ ecclesiæ nauicula cum domino per hunc vndosum supernatatis mundum, etsi dominus dormiat pio somno, nostram patientiam & tolerantiam expectans, vel impiorum pœnitentiam & conuersionem sustinens, alacriter accedite ad eum, orationibus instantes, atque cum propheta dicentes, Exurge, quare obdormis domine? exurge adiuua nos & redime nos propter nomen sanctum tuum. Cùm igitur
psal. 43. iam dominus potenter adeò ventis imperasset & mari, facta est tranquillitas magna. Et hoc est miraculum illud admirandum, quod fecit hîc dominus, qui nobis post vndosas huius miseriæ procellas, tranquillam donare dignetur requiem in cœlesti patria, Amen.

HOMILIA II.

Satiatis quinque hominũ milibus ĩ deserto ex pauculis panibus, & adhuc remanentibus reliquiis, legimus præcepisse discipulis suis Christum, vt ea quoque colligerent fragmenta, ne pereant. Idipsum nos quoque facientes, reliquias
Ioan. 6. quæ ex euãgelio proximo Matthæi octauo nobis supersunt, adhuc proferamus, eas vbi fregerimus, vos dentibus fidei masticate & cõterite, inque augmentũ sãctæ pietatis cõuertite.

¶ Refert hîc Euangelista ascendisse Christũ in nauiculam, prædicando occupatum, neque contentum iis qui citra mare habitabant & erant hominibus prædicare, nisi insuper vlterioribus quoque istis euãgelizaret: ad quos iam nauicula vectus progrediebatur, dúmque veheretur, sopitus est, sed studiosè & ita volens, vt sic occasio daretur miraculo: quanuis verisimile est, eum iam defatigatum, ista corporis requie non parum indiguisse. Quicquid sit, constat hîc dominum

hæresim confutasse Manichæorum, dum ministerio vti non *Manich.* dedignatur nauiculę, vt naturam hoc modo suam testatur humanam: qui diuina sua omnipotētia poterat inābulare aquis quod & alibi fecisse eum legimus, quando quarta noctis vigilia venit ad discipulos suos, ambulans supra mare. Sed & *Mat.14.* dormiens, hominem se testatur esse, qui deum postea in exhibitione miraculi se declarauit, vt & nos confirmaret in fide, facilius hoc modo credituros, & deum esse ipsum & hominem verum. fatigationē quoque suam Marcus exprimere voluit, cùm diceret, Dimittentes turbam, assumunt eum ita vt *Mar. 4.* erat in naui, vbi prædicauerat. Et auecti velut à labore continuo ceruical supposuerunt ei: quo ille tamen non abusus ad voluptatem, sed ad honestam quietis vsus est necessitatem: nos quoque docens, posse laborum nostrorum recreationes admittere & refocillationes: quoniā & ipse ceruical tantum, neque plus subiici passus est sibi. & nos igitur necessariis illis non ad vanam mundi carnísque abutamur voluptatem, siqui dem istud quoque per prophetam prohibuit dominus, dicens Væ vobis qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, Neque verò legimus Christum sanasse quenquam *Amos. 6.* in lecto decumbentem. & quod apud Ioannem habetur de claudo, quem sanitati restituit dominus sunt qui dicunt, eum quoque nō iacuisse in lecto, sed ceruicali, vili nimium & abiecto: cui iste capite tantùm fuerit innixus & humeris. Quanuis in ea re haud ita multum est positum: vocabulum enim istud grabbatum, ἀ καρὰ deducitur, id est, caput, & dicitur quasi καράβατος, sed hæc ad scholas sunt relegenda. Et hæc prima propositi euangelij pars est, qua declaratur, Christum non vt nauis indignum, nauim ingressum: sed quoniam nauis egebat Christo, peritura vtique si sine ipso fuisset.

2 Quomodo autem ille virtute sua diuina concitarit ventos dictum est homilia præcedenti: cōstat sanè ipsum id adeò fecisse, vt fidem eorū confirmaret & augeret, ipsósque simul ad subeundas confortaret tribulationes. Non desunt tamen qui velint abortā esse hanc tempestatem propter Iudam, qui & ipse fuerit in naui: certum enim hoc est, commercia malorum non raró causam esse periclitationis bonorum, quomodo & in veteri testamento præcepit deus. Recedite à taber- *Num. 16.* naculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad ipsos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum, & pereatis.

Vnde & glossa quædam super Lucam dicit, Meritò turbatur nauis, in qua proditor est cum bonis. & qui suis meritis firmi fuerant, turbantur alienis. Res est sanè contagiosa & nociua, vbi vel vnus fuerit malus bonis immixtus: quid futurum, si
Iosue.7. multi mali bonis conuersantur? Iosue ex præcepto dei dicebat ad populum Israel, Anathema in medio tui est Israel: nō poteris stare cum hostibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere. En hîc exemplum tibi, vbi vnius hominis flagitium in totam redundat hominum multitudinem: sicut adhuc hodie vsu venire videamus, vt dum aliquot malorum vitiis iratus deus, famen, pestem, annonæ caritatē immitit, eidem cum impiis istis supplicio subiecti sint etiam
Iob.1. boni omnes. Testatur autem & Iob, inter filios dei apparuisse
3.Reg.22 etiam Sathan, statímque eum effecisse, vt Iob bonis suis primùm, deinde liberis priuatus, mox corpore toto castigaretur. Sed & in alio scripturæ loco legimus, quòd sathan cùm venisset inter filios dei, fecit vt esset spiritus mendax in ore omniū prophetarum. Sunt igitur mali ex omni hominum congregatione exigendi, ne ab eis cæteri quoque perturbentur, vel propter ipsos malum sustineant: quanuis dispensatoriè inter apostolos suos Christus Iudam sustinuit & passus est: quoniam Iudas necdum malitiam suam manifestarat, nec se ad fœdum proditionis scelus intromiserat. Cùm autem consideras hîc & vides etiam apostolos, quibus dominus adest, tentationum secularium procella perturbari, attende (vt ha-
Glossa. bet Glossa super Lucam 8.) & aduerte neminem sine tentatione de hac vita posse transmigrare, siquidem quod Paulus
2.Timo.3. ait, verum est, vt est sanè verissimum: quoniam omnes qui piè volunt in Christo viuere, persecutionem patiuntur. Quomo
Tob.12. do angelus quoque Raphaël dixit ad Tobiam, Quia acceptus eras deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.

3 Audiuimus nauiculam vndis ac procellis hinc inde iactatam & impulsam, ipsósque adeò discipulos metu perculsos, trepidare tantùm & horrere, tandémque de vita iā desperantes ad Christum confugere, & ipsum excitare. Discamus igitur hinc & nos in necessitate constituti, vt omni primùm moto lapide ad profligandam illam, dei tamen non obliuiscamur: subinde clamemus ad ipsum, opem illius inuocemus, ex-
2.Par.20. emplo ipsius Iosaphat nos id quoque sic docentis. Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt

oculos noſtros dirigamus ad te. Ideo enim odormiuit Chriſtus, vt probaretur, quomodo apoſtoli recurſum omnem & refugium ſuum habituri eſſent ad dominum, ſicut omnes nos facere debemus iuxta præceptum ſancti Petri, Omnem ſolicitudinem veſtram proiicite in deum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Et Dauid dicit, Mendicus & pauper ſum ego, & dominus ſolicitus eſt mei. Cùm autẽ ex modica fide petebant diſcipuli, increpabat eos dominus. Et nota increpat ille primùm diſcipulos, deinde ventos, inquit Chryſoſtomus. nãque timor iſte quem habebant, non erat cauſa quamobrem in tẽtationem inducerentur, ſed imbecillitas mentis. Et quanuis apud Lucam poſt ventos obiurgantur diſcipuli, tamen hoc inde tantum colligitur, quoniã diſcipulos antè & pòſt obiurgatos ventos increparit. Quid timidi, inquiens, eſtis modicæ fidei? quaſi diceret, Si deum me verè eſſe creatorem omnium ſuſcepiſtis, quare non creditis quòd ea quæ à me facta ſunt in mea habeam poteſtate? quare ergo dubitatis puſillæ fidei? qui puſillum credit, arguetur, & fragiles in fide, alieni autem à fide, omninò punientur. Qui in fide ſunt imbecilles, piè corripiuntur: à fide autem qui planè ſunt remoti, excruciantur & torquentur: ſicut & olim, & nunc quoque obſtinati Iudæi ſimul & Ethnici faciunt. vnde factum eſt, vt in ſua indurati malitia iamdudum perierint. Et vos itaque in Chriſto dilectiſſimi, curate ne in immenſa malorum turba connumeremini fidem potius vobis parate conſtantem & firmam, ne tandem à deo iuſto condennemini iudicio: ne quando in fide deficiẽtes, graui metu coripiamini, maximè mortis tẽpore, cum fidei afflictio ſiue tentatio grauiſsima eſt. & tunc ſi quem videt diabolus in fide puſillanimẽ, eũ verò adoritur, denique eũ omni admoto ariete cõcutere molitur, & à fide deiicere: ſicut dictum eſt illi à deo in ſerpente. Ipſa conteret caput tuum, (vel ipſum ſemen conteret) & tu inſidiaberis calcaneo illius. Per calcaneum, hoc eſt, quod in homine imum exiſtit, terminum & vltimum iſtud humanæ vitæ intelligere debemus mortem cui omniũ maximè inſidiatur diabolus. Neque ſunt iã pauci quorum quis ſibi videtur fortiſsimus, & fide planè inconcuſſus: ad credendum verò leuiſsimus atque facilimus eſt: vbi autem ſeriò pugnandum & vltimo iſto conflictu decertandum fuerit: ibi demum quiſque hoſtiles experietur & ſentiet afflictiones in fide, fortiſsimóſque inſultus, quod conſiderãs

1 Pet.5. — *Psal.39.* — *Chryſoſto.* — *Luc.8.* — *Origenes.* — *Gene.3.* — *Ephe.6.*

Simile apositissimā. Paulus, rectè fidem scutum appellauit dicens, In omnibus sumentes scutum fidei, in quo posſitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere.

¶ Hîc nanque dū quis in hac vita fidem ſibi habere videtur, & optimā & tutiſsimā, ſimilimus illi eſt, qui truncū in aqua fluentem ducit, ipſo aquæ fluxu vrgēte facilimè: verùm vbi ad littus ventum fuerit, tum demū qui prius leuiter in aquis trūcum promouerat, ſentit in tollēdo & eleuādo illius grauitatē ac pōdus. Eodē planè modo quiſquis hîc ſecura nauigat aura, quiſquis quidem fidē habere ſe putat ſecurā, is vbi ad vitæ littora appulerit, vitā cōmutatur[9] morte, tūc deniq; videbit, qui dnā hic crediderit, qualēq; fidē habuerit. Nemo itaq; de ſe nimiū præſumat. nemo fidē ſe habere putet fortē, & ad omnē cu-

Luc. 17. iuſcunq; periculi euentum conſtantem. Quin potius ad dominum clamet cum apoſtolis, Domine, adauge nobis fidem.

4 De puſillæ fidei modicitate reprēhenſis iam diſcipulis, Chriſtus porrò conſurgens, ventis quoque imperat & mari.

Hyerony. Ex quo intelligimus, inquit Hyeronymus, quod omnes creaturæ ſentiant creatorem: quas enim increpauit, & quibus im-

Origenes. perauit, ſentiunt imperantem. Non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, ſed maieſtate conditoris, quæ apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt. Ex magna tempeſtate parem feci: dominus ſerenitatem, magnus erat dominus, magnáque eū decebant opera. Et ſicut hîc ſedauit mare, ita idem ille dominus quotieſcunque in eccleſia vēti oboriūtur, tempeſtatéſque perſecutionum per hæreticos, ſiue Gentiles, vbi ille ſaltem imperauerit ventis diaboli, ſubitò euaneſcunt magnáque ſtatim pax & tranquillitas reddit eccleſiæ. Ah quàm nunc quoque operæprecium foret & neceſſarium, excitare dominum! Quantus enim in nos irruit ex Oriente ventus Turca iſte ſæuiens, nauiculam Chriſti & Petri ſubmerſurus! Exciderunt iam in medios fluctus & vndas maris imperatoriæ ſedes duæ, & regna plus quam triginta. Deperiit, prohdolor, & pudor, auguſtiſsima Conſtantinopolis. Quid nobiliſsimū referam imperium Trapezuntium? Nequedum finis, adhuc furit ventus peſtilens, paríque atrocitate in Croatiam, Hungariam ſæuit & Carniolam, quarum tamen bonam iam antehac abripuit partem, ſicut & Chriſtianiſmam nobis noſtræque fidei abſtraxit Rhodum, Rhodum, inquam, inſulam illam, vel ob hoc vnum perpetuis ad aſtra vſque ferendā laudibus, quod

tantiſper ſe ſummis tutata eſt viribus & conatibus, dum tan-
dem iugo iſtius quoque inuita collũ ſubderet(ah, vix lachry-
mis mihi tempero) & imperio, neque adhuc quicquam de a-
liquo fine cõſtat, indies aliud ex alio malum. En autem aliũ
tibi, & bonis omnibus odioſiſsimum ex aquilone ventum, Lu- *Lutherus.*
therum, vt ſic impleretur Hieremiæ vaticinium, Ab aquilone *Hiere. 2.*
pandetur omne malum. Ex quo alius adhuc lateralis ventus
ortus eſt pernicioſus, qui ſeditioſum ruſticorum vulgus con-
citauerat, quod tamen infelici exitu eorum ſedatum eſt, & in-
enarrabili damno. Peſtilentior adhuc exortus nobis eſt, ma- *Hæretici.*
gíſque turbidus & væſanus ex occidente ventus in Zuinglio,
Bucero, iſtorúmque ſimilibus, qui ipſum etiam (qua ſunt per-
tinacia & crudelitate) è nauicula Chriſtum exturbare & præ
cipitare moliuntur: quíque eundem iam ſibi ex ſacramento
altaris eieciſſe videntur. Et ne quarta cæli plaga nihil quod
minetur habeat mali, ex meridie in ſeptimum iam annũ per-
petua nos terrent capitum Chriſtianiſmi bella, cum immen
ſis ambarum partium ſumptibus: nec ſine magna pauperum
diuitúmque totius Italiæ internecione, & cum maxima ſan-
guinis multorum innocentium profuſione. O miſerrimam
Chriſtianiſmi conditionem! Nunquam Turca fuit poten-
tior, nunquam hæreſis fortior, nunquam bella crudeliora,
quibus vel plures, vel potentiores inuoluti fuiſſent princi-
pes & optimates viri; Papa, imperator, reges Galliarum &
Angliæ, Venetiæ, Germani, Hiſpani, Siculi, Neopolitani,
Itali, Franci. Orientales, & Heluetij: vt præ oculis iam ſit il- *Deute. 32.*
lud quod olim Moyſes dixit, Foris vaſtabit eos gladius, &
intus pauor, Quid multa? in hæc iam tempora incidimus, de *2. Par. 15.*
quibus Azarias, In tempore, inquit, illo non erit pax egrediẽ-
ti, ſed ingredienti, ſed errores vnique in cunctis habitatio-
nibus terrarum. Pugnabit enim gens contra gentem, & ci-
uitas contra ciuitatem: quia dominus conturbabit eos in om-
ni anguſtia. Tantùm nos iuuare poteſt in hac tribulatione do
minus quem & excitare debemus oratione ſedula, ipſúmque
deprecari, vt ventis iſtis turbulentis imperet, eóſque ceſſare
iubeat, ſicut & hîc & alibi per Sapientem facere iubemur.
Circundederunt me vndique, & non erat qui adiuuaret, Reſ-
piciens eram ad adiutorium hominũ, & non erat. Memora- *Eccle. 15.*
tus ſum miſericordiæ tuę domine, & cooperationis tuæ, quę à
ſeculo ſunt, quoniam eruis ſuſtinẽtes te domine, & liberas eos

de manibus gentium. Periculum est tamen, ita subitò non defituros istos vẽtos, quoniam peccata nostra nondum desinũt: iusto igitur iudicio & ventos non sedabit deus. Omnes enim creaturæ seruiunt & parent imperio dei, idque in hominis confusionem, ignominiam, & cõdemnationem. Iubet (inquit Origenes) mari, & non contemnit: dicit ventis & tempestati-
Origenes. bus, & mox compescuntur: iubet omni creaturæ, & non supergreditur iussionem eius. Et hominũ genus, & vnum quod secundũ similitũdinem dei honorificatum est, cui verbum & prudentia data est, hi soli homines resistunt, hi tantũ inobedientes sunt, hi soli contemnunt: ideo hi soli in iudicio damnabuntur, & à iustitia punientur, vel vti deteriores mutis animalibus, vel his quæ sine spiritu & anima sunt in hoc mũdo. Deus tamen ille misericors & miserator dominus, misericordiam nobis & gratiam suam donare dignetur, Amen.

HOMILIA III.

TANTUM nobis reliquiarum ex primo sermone remansit, vt iustum adhuc ex illis confici possit conuiuiũ. Age, igitur vlteriùs iam Euangelium istud tractemus, Christus ascendit in nauiculam, orta est statim tempestas, trepidantes, dominum excitârunt discipuli, quos ille increpauit ventisque imperauit & mari, vnde facta serenitate magna, admirati sunt homines, & dixerunt, Quis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Vbi si quæris, quinam isti fuerint homines, en tibi respondet Hieronymus, Non discipuli, inquiens, sed nautæ & cæteri, qui in naui erant, mirabantur. & si contentiosè quis voluerit eos qui mirabantur, fuisse discipulos, respondebimus, rectè homines appellatos, qui necdum
Origenes. nouerant potentiam saluatoris. Origenes tamen diuersum sentiens, dicit, Non putes hîc per homines, apostolos esse significatos: nusquam enim inuenimus, præter honorem cognominati domini discipulos: sed semper aut apostoli, aut discipuli nominantur. Intelligit itaque istud ille vel de iis qui simul nauigabant, vel quorum erat nauicula. Auditum est au-
Chrysosto. tem iam antehac ex Chrysostomo, solos cum domino discipulos nauigasse. Quanuis in hoc parum situm est: siquidem facilè dici poterit, plures dominum esse secutas nauiculas; sed & stagnum, quod ex Iudaici sermonis idiomate mare cognominatur, non adeò latum est & amplum, vt non in ipso videre potuerit littore, tempestatem & periculum pericli-

tantium in naui. Ad hæc confiderârunt illi quoque fubitam adeò ferenitatem ex ventis & mari tam repente præter naturam exhortam: aliâs enim compofitis iam ventis fremitus non ftatim fedatur, & æftus aquarum, vt iam non temerè admirati fint illi: neq; parua ifta erat admirationis caufa, quòd videbant mare ex imo profundi concitatum, ipfófque adeò fedatos ventos: vnde & dicebant, Quis eft hic? non quòd fic interrogarent, fed quoniam confirmabant, veluti dicentes: Maior hic eft quàm Moyfes, potentior Elia: quorum ille vi- *Exod.1.* mare diuifit, virga illud feriens: hic verò pallio Iordanem percufsit & feparauit, vt fic arida cum Elifeo via pertranfiret, tandemque igneo curru raperetur in cœlum. Horum tamen omniũ magnum extitit difcrimen. Moyfes enim illud fecit *4.Reg.2.* vt minifter & feruus, Chriftus vt potentifsimus. Non enim *Chryfofto.* virgàm, vt ille tetendit, non manus in cœlũ fuftulit, non precibus indiguit, verùm vt dominus ancillæ imperans, & conditor fuæ creaturæ, fic fluctus maris depref sit, fedauítque quafi freno, verbo folum atque præcepto: omnis confeftim foluta eft tempeftas, nec veftigium fuit vllum turbationis relictum. Hinc factum eft, vt meritò demirati fint homines. Dormit nanque in naui vt homo, & ventis maríque imperat vt deus: fedénfque in naui, creaturas omnes folo fuo imperio deflectit ad volũtatem fuam. Admiremur itaque & nos, quan- *Orige.* do & benignitates & beneuolentias oftendit circa nos dominus, quando nos de periculis faluare dignatur, quando de tumultibus & tribulationibus multis nos liberat, quando ab inimicis infequentibus nos eruit. Miremur, & mirantes gratias agamus, & gratiæ obediamus, obedientes timeamus, timentes diligamus, vt æternæ charitatis ab eodem hæredes efficiamur. ¶ Sed nunc iam pifcium quoque reliquias attentemus, fenfum etiam fpiritualẽ deguftare, primúmque ftatim hiftoriam hanc de Chrifto exponamus allegoricè (cùm facilè fit ire per fymbola, vt fuperiùs dicimus) dicamúfque nauim fignificare fanctam crucem. nauis nanque, fi fubftantiam *Nauis* fpectes illius, lignũ eft: vfus eius eft ad transfretãdum, in hoc *Crux.* enim paratur, paruáque eft, non oneraria galea, aut caraca, aut triremis. Quæ omnia probè competunt cruci, quod hæc quoque in fubftantia fua parua fit, humilitatem præ fe ferens magnam, in qua redempti fumus: vnde & Sapiens di- *Sap.14.* xit, Vt non effent vacua fapientiæ tuæ opera, propter hoc

ter odeò dormire iam credatur ab omnibus dominus.

¶Quem cùm prælati ecclesiæ orationibus suis excitant, vt surgens ventis imperet, persecutiones compescat, hæreses aboleat, ecclesiæ & illius ministris libertatem & omnia iura reddat: tunc demum fit ista tranquillitas magna. O igitur, domine Iesu Christe, largire propitius, vt hanc pacem nos quoque tandem restitutam videamus in fide nostra catholica.

Nauicula pœnitētiæ ¶Ad extremum pœnitentiam quoque nauiculam esse, & vulgare est, & à doctissimo viro domino Keysersbergi latissimè declaratum, & per nos quoque explicatum. Quæ quia in omnium passim sunt manibus, missa nunc facio. Et vos deo & protectioni diuinæ commendo. Oremus ad dominum, &c.

¶DOMINICA V. POST EPIPHANIAM, EVANG. MATTHAEI. XI.

Luc. 10. *IN illo tempore, Respondens Iesus, dixit, Confiteor tibi pater, domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filium, nisi pater, ne*

Infra. 28. *que patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Venite*

Lucæ 10. *ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiā vos. Tollite iu*

Ioan. 16 13 *gum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.*

HOMILIA I.

DOminus noster Iesus Christus in hoc euangelio cōfitetur & gratias agit patri suo cœlesti, quòd corda illuminarit humilium, ad credendum & confitendum ea, quæ tum fidei tum salutis sunt animarum: eaque omnia absconderit à sapientibus, superbis nimirū & obstinatis. Deinde remuneratorem semet fatetur omnium qui in terris hic duriter laborant, & dicit, confiteor tibi pater, domine cœli & terræ. Est autem triplicem in scripturis confessionem reperire,

Iaco. 5. peccatorum vnam, de qua Iacobus, confitemini, inquit, alterutrum peccata vestra. de hac Iosue etiam sic loquutus est

Iosue 7. ad Acham, Fili mi, da gloriam domino deo Israel, & confitere atque indica mihi quid feceris, & ne abscondas. Secunda confessio prædicationis est, de qua Paulus ita scribit,

corde

Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confeſsio ad ſalutem. Ea neceſſaria erat tempore perſecutionis in ipſis adhuc eccleſiæ primordiis, vbi quàm plurimi ſuppliciorum metu Chriſtũ ore negabant,& tamen corde confitebantur. De neutra harum confeſsionum hîc dominus loquitur: ſed de illa tertia,quæ laudis eſt & gratiarũ actionis, cuius & Eſaias meminit, dicens, Domine, deus meus es tu,exaltabo te & confitebor nomini tuo, quoniã feciſti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, Amen. Huiuſmodi hîc confeſsione confitetur hic Chriſtus deo patri,quomodo confeſsio frequenter etiam vſurpatur in Pſalmis.Et hæc ſanè confeſsio,gratiarum actió eſt, qua quis agnoſcit ex quo beneficium acceperit, vt illum propter hoc laudet,quod ei contulit bonum. Sic itaque dicit hic Chriſtus. Confitebor tibi pater, domine cœli & terræ, hic ille eſt,cui confiteri & quem laudare debemus,deus pater cœleſtis, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.Et meritò quidem confiteri huic debemus: aperit enim manum ſuam,& implet omne animal benedictione.Idem ille dominus omnium, qui & diues eſt in omnes qui inuocant eum. Audiant hîc omnes qui Chriſtiani ſunt, quotque fidem profitentur catholicã, & diſcant, quoniã deus creauit eos. Chriſtus ſanguine ſuo redemit, & Spiritus ſanctus ſuper ipſos in baptiſmo & aliis ſacramentis effuſus eſt.Atque dum credunt omnia bona ſe recepiſſe à deo, tandémque vitam & fœlicitatem ſuſcepturos æternam:ex animo gratias agant illi ſicut fideliter monuit Paulus,Semper gaudete, ſine intermiſsione orate,in omnibus gratias agite. hæc eſt enim voluntas dei in Chriſto Ieſu in omnibus vobis. Audiui voluntatem hanc eſſe dei,vt in omnibus illi gratiæ agantur.Ecce idẽ te docet beatus Auguſtinus, inquiens, Quid melius & animo geramus, & ore promamus.& calamo exprimamus,quam deo gratias? Hoc nec dici breuius,nec audiri lætius,nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt. Vos ex corde intimo dicite, Deo gratias,iterúmq; ore ingeminate idipſum,Deo gratias. Verbum hoc vulgo etiã notiſsimũ eſt, & in ore omnium freques: ſed non in ſuo illo ſucci pleno intellectu.Sic & Paulus cibum cum gratiarum actione præcepit percipiendum dicens, Siue manducatis,ſiue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam dei facite. Hæc eſt autem gloria dei, vt illi gratiæ agantur in omnibus. (Recita ſi vis totum caput trigeſimum pri-

Rom.10. Eſa. 25. Pſal. 49. 106.& 108. Iaco. 1. Pſal.144. 1. Theſ.5. Ad Aur. epiſt. 77. Deo gratias. 1.Cor.10.

duorũ obſeſſorũ reſtitutio,& paralytici cuiuſdã in Capharnaũ ſanatio. Neq; verò in aliquo ſeptẽ horũ miraculorũ vſpiã ſolos ſibi adiũxit diſcipulos, niſi tũc demum ingreſſurus
Chryſoſt. mare ſeu ſtagnũ. Eius rei ratiõẽ hãc reddit S. Chryſoſtom⁹ cùm ait, Turbas præmiſiſſe, ac diſcipulos tãtũ ſecũ retinuiſſe dominũ euãgeliſtæ dicũt. id autẽ nec fruſtrà neq; caſu fecit, verùm vt futuri ſigni miraculo ipſos corroboraret. Nam palæſtræ magiſter optimus ad vtrũque eos exercebat, ne aut errore vincerẽtur, aut honoribus efferrentur, & ſimul in ferẽdis aduerſis faceret meliores, quoniã vt ſigna demõſtrarẽtur, turbas quoque admittebat, vbi verò ad ſigna timor quoque & tremor imminebat, eos ſolos recipiebat, quos ad prædicationẽ & pericula erat miſſurus. Et ecce inquit euãgeliſta motus magnus erat in mari. Verùm iſta vndarũ & procellarũ cõmotio ex virtute proueniebat diuina, ſicut & illa tem-
Ionæ I. poribus Ionæ, quãdo miſit dominus ventũ magnum in mare, & facta eſt tempeſtas magna in mari, & nauis periclitaba
Origen. tur cõteri. Ita hic quoque ait Origenes, ingreſſus dominus nauiculã, fecit turbari mare, cõmouit ventos, cõcitauit fluctus. Cur hæc? ideo vt diſcipulos mitteret in timorem, & ſuũ auxiliũ poſtularent, ſuã quoque potentiã rogãtibus manifeſtaret. Hinc igitur vos quoque diſcite, ſi quãdò vobis dominus vel aduerſitates vel tribulationes immittit, inuocare ex animo dominum, non murmurare: ſæpe enim nos torpentes in bono, dominus hoc modo ad pietatem excitat & operã bo
Pſal. 119. na, ſicut & Dauid inquit, Ad dominũ cùm tribularer, clama-
Pſal. 106 ui, & de aliis quoque, Clamauerũt ad dominũ, cùm tribularentur, & de neceſsitatibus eorũ eduxit eos. Ne dubita profectò neceſsitatẽ (quod habet prouerbiũ) magna, ad curſum inſtruitur equus quãuis ignarus, plurẽſque longè ad cœlum perduxit aduerſitas, quàm fortuna ſecunda & adulatrix lætitia, vnde quicquid tibi aduerſum accidit, velut nunciũ ſuſcipe dei. ſtatim enim vrget & vel inuitum impellit ad deũ. Quod ſi ſine exẽmplo non credis, en hic ipſum tibi tribula-
Pſal. 68. tum & grauiter afflictum, clamantem ad dominum. Exaudi me domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice me, & ne auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ & libera eam, &c. Ecce qui ex animo præcatur, quámque celerem & feſtinatã ope-

implorat,qui in tribulatione est,& aduersitatibus præmitur.
¶ Et hîc quoque præparaturus iam apostolos suos Christus, & instituturus vt cognoscerent se in omni necessitate refugiũ ad dominũ habere debere,præcepit iam motũ hũc maris fieri. Quod & Origenes agnouit, cũ diceret, Tẽpestas illa *Origen.* nõ ex sese oborta est,sed potestati paruit imperanti, eius qui educit ventos de thesauris suis,qui termin[ũ] mari arenã cõstituit. Volebat enim hoc ipso miraculo declarare Christus, se & esse & credi ab omnibus deũ verũ:de quo iam olim Dauid *Psal.134.* dixerat,Qui cõturbas profundũ maris, sonũ fluctuum eius. *Psal.64.* Tantæ fuerũt autem istæ procellæ maris,vt illi iam de periculo metuerent & submersione nauis. Atque meritò quidem magna tempestas extitit maris:quia magnũ opus facturus & exhibiturus erat dominus,sicut ipse rei docebit exitus.

3 Obdormiuit dominus,resuscitatúsque est à discipulis. O res mirabilis & stupenda,inquit Origenes! Is qui nunquam *Origen.* obdormit,dormit:is qui cœlum & terram gubernat,dormit. dormiebat quidẽ corpore, sed vigilabat deitate: quomodo *Ioan. 4.* cùm ad fontem veniret, fatigatus etiã legitur. Eũ enim hîc iuxta diuinitatem non dormiuisse,vel hoc satis arguit quod valide motũ est mare. illud nãque quomodo concitasset dormiens? Omnis autem ista dormitio propter discipulos tãtũ facta est dispensatiuè,vt sic illi vegeti magis & robusti redderentur. Marcus enim super ceruical eum dormiuisse asserit. Vtut sit,simulauit ille somnum ad tempus, talémque se gessit,quasi qui adiuuare non vellet. Aliam adhuc rationem assignat B.Hieronymus, cámque fermè huiusmodi Typus *Hieron.* vtique domini Ionas extitit, vel Christo testante, vnde non *Matt.12.* sepultura tantùm adæquari illo voluit triduana, sed in hoc quoque,quod etiam Ionas, periclitantibus omnibus, solus dormierat in naui:ita hîc quoque ex somno resuscitat[us] Christus,apostolos seruauit, quod Chrysostomus in hunc modum refert, Quod si vigilãtem etiam dominum vidissent,aut non adeò pertimuissent,aut petere ab eo salutem,quòd pericula eorum videret,neglexissent,aut non posse ipsum fluctus *Chrysost.* sedare putassent. Fuit autem hæc maris procella & turbatio veluti significatrix istius imminentis tentationis,de qua Paulus inquit, Non volumus vos ignorare fratres de tribulatione nostra quæ facta est in Asia,quoniam supra modum *2.Cor.1.* grauati sumus supra virtutem,ita vt tæderet nos etiam viuere.

Ad huiusmodi nimirũ futura pericula istis aduersitatibus instruebãtur discipuli. Verũ hæc tibi esse debet summa cõsolatio, vt maximè appareat dominus dormitãs, nihílque ages: tu tamẽ ipsum excita cum apostolis: profectò enim nõ dormit ille, quàm diu etiã ceruicali innixus iacet, somnúmque
Cant. 5. suũ simulat: quod ipse in Cãticis testatur, dicens, Dormio, & cor meum vigilat. Neque latuit illud sedulũ illũ excitatorẽ
Psal. 120 domini Dauidem, cùm in psalmis caneret, Non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël. Quisquis es igitur homo, diuinæ opis indigus, clama, ne cesses, inuoca dominum, & exalta vocem tuam, dicens, O domine Iesu Christe, ne dormites super me miserrimo peccatore, sed vigila super me auxiliis & aliis gratiæ tuæ districtis, ne quãdo peream in profun-
Psal. 103. do pelagi, & mari huius mũdi demergar, in mari isto magno & spatioso, vbi reptibilia sunt, quorum non est numerus.

4 Suscitatio porrò illa domini per apostolos nõ simplici-
Origen. ter facta est, authore Origene: vsqueadeo enim illi erant exterriti & perturbati, vt iam super ipsum irruerent Christum, cúmque pene importuniùs excitarent, dicẽtes, Domine, salua nos, perimus. Quàm sit periculum horribile in mari simul & omnibus aquis naturaliter, destitutos iam omni spe vitæ, nullam habere euadendi viam, seu auxilij expectationem qui experti sunt, norũt. Irruentibus igitur hîc quoque procellis vndique, & increbescẽtibus vndis, tãtũmque non fracta aut mersa naui, an non tremerent horrerent, trepidarent discipuli, eò maximè, quod iuxta Christi testimonium
Origen. fidei adhuc modicæ erant? Id adeò contẽplãs Origenes sic inquit, O beati, ô veraces dei discipuli, dominũ saluatorẽ vobiscum habetis, & periculũ timetis? vita vobiscum est, & de morte soliciti estis? maris turbinem timentes, creatorem eius præsentem suscitatis, quasi non possit dormiente corpore, fluctus sedare aut mitigare? Quòd si dixeris hanc excitationem non esse ĩfidelitatis signũ, nãque si eũ planè non credidissent maris quoque vel (vt isti loquũtur) falsi potentẽ, nec eius opẽ implorassent, neque ipsum excitassent. Respondet Chrysostom. credidisse quidem eos, vnde & discipuli fuerũt Christi, non futuri vtique, si nihil credidissent. fides autem ista, iuxta verbum domini, modica erat, vnde & dominus increpabat eos, quasi dicens, Creditis vos quidem posse me adiuuare vos, verùm non creditis posse me idẽ illud dormiẽtẽ, iuxta

præstare,ac vigilantem. Quia igitur fides in vobis modica est.ad eã augendã vósque in ipsa exercendos, ecce in nauim assumpsi mecum,& hanc tam validam concitaui tempestatem. Cur non tãta vobis inest fides, vt cum Dauide: dicatis, Si habitauero in extremis maris,ecce illuc manus tua deducet me. & tenebit me dextera tua? Noui equidem fidem vestram:dominum etenim me dicitis, creditis etiã me creaturis omnib' dominari,& sic me posse imperare potestati maris,eiúsque fluctus sedare: creditis quoniam verbis corripere possim, vnde & opem ex me quæritis, cum Dauide clamãtes, Eripe me & libera me de aquis multis. Verùm hæc omnia eò non sufficiunt,quòd putatis me nõ eadẽ quoque posse dormientem:quòd arbitramini vt corpore, ita ratione & diuinitate etiam me dormire.Non sic inquã, non sic, Dormio quidem ego, sed cor meũ vigilat. Quid itaque timuistis? aut quantula & vbi est fides vestra?Huiusmodi quædam,quæ apostolis dixerit Christus,pro se suáque pietate meditari quisque poterit:cũ certum sit,& veluti perpetua quædã regula haberi debeat, euangelistas non semper ipsa propriè & exactè descripsisse verba,vt dicta sunt,quanuis enim ea retulerint, interdum tamen plurimis in locis idipsum non fecerũt,contenti plerunque historiã breuiter & fideliter recensere: aliâs quis futurus erat scribendi finis,quando & Ioannes testatur, si omnia oportuisset scripta, ne mundum quidem sufficere potuisse capiẽdis omnibus illis qui scripti essent, libris? Id adeò luce clarius ex hoc loco patet,vbi Matthæus refert dixisse Christum ad apostolos,Quid timidi estis modicæ fidei? Marcus verò, Quid timidi estis?necdum fidem habetis? Lucas autem in eiusdem rei descriptione,ait ipsum eos increpasse in hæc verba:Vbi est fides vestra? Ex illis tam diuersis constat, Christum & hæc ibi in euangelio comprehensa, & iis plura dixisse verba ad apostolos. 5 Surrexit itaque Christus,& imperauit ventis ac mari Vbi notandum est, non sanè temerè singulos illos euangelistas tres, descripsisse adeò discriminatim increpationẽ istam,Christúmque vẽtis simul imperasse & mari:quoniam tempestas ista non à ventis mouebatur tantùm,sed & ex ipso fundo maris consurgebant & erigebantur vnde,quæ tempestatem horridiorem neque paulò faciebant periculosiorem, & sic à vento desuper ex aëre, ab vndis autem ex imo maris grauiter affligebantur. Et ecce

Marginal notes: *Psal. 138.* — *Psal. 143.* — *Nahũ. 1.* — *Cant. 5.* — *C. cũ mar. de ce. mis.* — *Ioan. ult.* — *Matth. 8.* — *Marc. 4.* — *Lucæ 8.*

dedit hîc nobis dominus doctrinæ imaginem, vt nos in omni
origen. conturbatione & contumelia patientiam teneamus, stabiles simus, fidem non deseramus. Et si omnis iste mũdus tãquam mare ebulliat, atque in furorem consurgat: & si omnes venti & vertigines dæmonum vndique sæuiant, & si omnis tempestas maris, id est omnes principatus & potestates mundi concitentur, & in tumore iracundiæ spument, vt furiant super sanctos: & si adhuc vsque ad cœlos sese extollant, vt tempestates maris malignantes ac dolos & fremitus concitantes aduersus aliquem vestrũ: nolîte timere, nolite turbari, nolite contremiscere, nolite deficere. Omnes quotquot in fidei nauicula cũ domino nauigatis, omnes quotquot in hac nimirum sanctæ ecclesiæ nauicula cum domino per hunc vndosum supernatatis mundum, etsi dominus dormiat pio somno, nostram patientiam & tolerantiam expectans, vel impiorum pœnitentiam & conuersionem sustinens, alacriter accedite ad eum, orationibus instantes, atque cum propheta dicentes, Exurge, quare obdormis domine? exurge adiuua nos
psal. 43. & redime nos propter nomen sanctum tuum. Cùm igitur iam dominus potenter adeò ventis imperasset & mari, facta est tranquillitas magna. Et hoc est miraculum illud admirandum, quod fecit hîc dominus, qui nobis post vndosas huius miseriæ procellas, tranquillam donare dignetur requiem in cœlesti patria, Amen.

HOMILIA II.

SAtiatis quinque hominũ milibus ĩ deserto ex pauculis panibus, & adhuc remanentibus reliquiis, legimus præcepisse discipulis suis Christum, vt ea quoque colligerent fragmenta, ne pereant. Idipsum nos quoque facientes, reliquias
Ioan. 6. quæ ex euãgelio proximo Matthæi octauo nobis supersunt, adhuc proferamus, eas vbi fregerimus, vos dentibus fidei masticate & cõterite, inque augmentũ sãctæ pietatis cõuertite.

¶ Refert hîc Euangelista ascendisse Christũ in nauiculam, prædicando occupatum, neque contentum iis qui citra mare habitabant & erant hominibus prædicare, nisi insuper vlterioribus quoque istis euãgelizaret: ad quos iam nauicula vectus progrediebatur, dúmque veheretur, sopitus est, sed studiose & ita volens, vt sic occasio daretur miraculo: quanuis verisimile est, eum iam defatigatum, ista corporis requie non parum indiguisse. Quicquid sit, constat hîc dominum

hæresim confutasse Manichæorum, dum ministerio vti non dedignatur nauiculę, vt naturam hoc modo suam testatur humanam: qui diuina sua omnipotẽtia poterat inãbulare aquis quod & alibi fecisse eum legimus, quando quarta noctis vigilia venit ad discipulos suos, ambulans supra mare. Sed & dormiens, hominem se testatur esse, qui deum postea in exhibitione miraculi se declarauit, vt & nos confirmaret in fide, facilius hoc modo credituros, & deum esse ipsum & hominem verum. fatigationẽ quoque suam Marcus exprimere voluit, cùm diceret, Dimittentes turbam, assumunt eum ita vt erat in naui, vbi prædicauerat. Et auecti velut à labore continuo ceruical supposuerunt ei: quo ille tamen non abusus ad voluptatem, sed ad honestam quietis vsus est necessitatem: nos quoque docens, posse laborum nostrorum recreationes admittere & refocillationes: quoniã & ipse ceruical tantum, neque plus subiici passus est sibi. & nos igitur necessariis illis non ad vanam mundi carnísque abutamur voluptatem, siquidem istud quoque per prophetam prohibuit dominus, dicens Væ vobis qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris. Neque verò legimus Christum sanasse quenquam in lecto decumbentem. & quod apud Ioannem habetur de claudo, quem sanitati restituit dominus sunt qui dicunt, eum quoque nõ iacuisse in lecto, sed ceruicali, vili nimium & abiecto: cui iste capite tantùm fuerit innixus & humeris. Quanuis in ea re haud ita multum est positum: vocabulum enim istud grabbatum, à καρὰ deducitur, id est, caput, & dicitur quasi καρὰβατος, sed hæc ad scholas sunt relegenda. Et hæc prima propositi euangelij pars est, qua declaratur, Christum non vt nauis indignum, nauim ingressum: sed quoniam nauis egebat Christo, peritura vtique si sine ipso fuisset.

Manich. *Mat. 14.* *Mar. 4.* *Amos. 6.*

2 Quomodo autem ille virtute sua diuina concitarit ventos dictum est homilia præcedenti: cõstat sanè ipsum id adeò fecisse, vt fidem eorũ confirmaret & augeret, ipsósque simul ad subeundas confortaret tribulationes. Non desunt tamen qui velint abortã esse hanc tempestatem propter Iudam, qui & ipse fuerit in naui: certum enim hoc est, commercia malorum non rarò causam esse periclitationis bonorum, quomodo & in veteri testamento præcepit deus. Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad ipsos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum, & pereatis. *Num. 16.*

Vnde & glossa quædam super Lucam dicit, Meritò turbatur nauis, in qua proditor est cum bonis. & qui suis meritis firmi fuerant, turbantur alienis. Res est sanè contagiosa & nociua, vbi vel vnus fuerit malus bonis immixtus; quid futurum, si
Iosue.7. multi mali bonis conuersantur? Iosue ex præcepto dei dicebat ad populum Israel, Anathema in medio tui est Israel: nõ poteris stare cum hostibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere. En hîc exemplum tibi, vbi vnius hominis flagitium in totam redundat hominum multitudinem: sicut adhuc hodie vsu venire videamus, vt dum aliquot malorum vitiis iratus deus, famen, pestem, annonæ caritatẽ immitit, eidem cum impiis istis supplicio subiecti sint etiam
Iob.1. boni omnes. Testatur autem & Iob, inter filios dei apparuisse
3.Reg.22 etiam Sathan, statímque eum effecisse, vt Iob bonis suis primùm, deinde liberis priuatus, mox corpore toto castigaretur Sed & in alio scripturæ loco legimus, quòd sathan cùm venisset inter filios dei, fecit vt esset spiritus mendax in ore omniũ prophetarum. Sunt igitur mali ex omni hominum congregatione exigendi, ne ab eis cæteri quoque perturbentur, vel propter ipsos malum sustineant: quanuis dispensatoriè inter apostolos suos Christus Iudam sustinuit & passus est: quoniam Iudas necdum malitiam suam manifestarat, nec se ad fœdum proditionis scelus intromiserat. Cùm autem consideras hîc & vides etiam apostolos, quibus dominus adest, tentationum secularium procella perturbari, attende (vt ha-
Glossa. bet Glossa super Lucam 8.) & aduerte neminem sine tentatione de hac vita posse transmigrare, siquidem quod Paulus
2.Timo.3. ait, verum est, vt est sanè verissimum: quoniam omnes qui piè volunt in Christo viuere, persecutionem patiuntur. Quomo
Tob.12. do angelus quoque Raphaël dixit ad Tobiam, Quia acceptus eras deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.

3 Audiuimus nauiculam vndis ac procellis hinc inde iactatam & impulsam, ipsósque a deò discipulos metu perculsos, trepidare tantùm & horrere, tandémque de vita iã desperantes ad Christum confugere, & ipsum excitare. Discamus igitur hinc & nos in necessitate constituti, vt omni primùm moto lapide ad profligandam illam, dei tamen non obliuiscamur: subinde clamemus ad ipsum, opem illius inuocemus, ex-
2.Par.20. emplo ipsius Iosaphat nos id quoque sic docentis. Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt

oculos nostros dirigamus ad te. Ideo enim odormiuit Christus, vt probaretur, quomodo apostoli recursum omnem & refugium suum habituri essent ad dominum, sicut omnes nos facere debemus iuxta præceptum sancti Petri, Omnem solicitudinem vestram proiicite in deum, quoniam ipsi cura est de vobis. Et Dauid dicit, Mendicus & pauper sum ego, & dominus solicitus est mei. Cùm autē ex modica fide petebant discipuli, increpabat eos dominus. Et nota increpat ille primùm discipulos, deinde ventos, inquit Chrysostomus. nāque timor iste quem habebant, non erat causa quamobrem in tētationem inducerentur, sed imbecillitas mentis. Et quanuis apud Lucam post ventos obiurgantur discipuli, tamen hoc inde tantum colligitur, quoniā discipulos antè & pòst obiurgatos ventos increparit. Quid timidi, inquiens, estis modicæ fidei? quasi diceret, Si deum me verè esse creatorem omnium suscepistis, quare non creditis quòd ea quæ à me facta sunt in mea habeam potestate? quare ergo dubitatis pusillæ fidei? qui pusillum credit, arguetur, & fragiles in fide, alieni autem à fide, omninò punientur. Qui in fide sunt imbecilles, piè corripiuntur: à fide autem qui planè sunt remoti, excruciantur & torquentur: sicut & olim, & nunc quoque obstinati Iudæi simul & Ethnici faciunt. vnde factum est, vt in sua indurati malitia iamdudum perierint. Et vos itaque in Christo dilectissimi, curate ne in immensa malorum turba connumeremini fidem potius vobis parate constantem & firmam, ne tandem à deo iusto condennemini iudicio: ne quando in fide deficiētes, graui metu coripiamini, maximè mortis tēpore, cum fidei afflictio siue tentatio grauissima est. & tunc si quem videt diabolus in fide pusillanimē, eū verò adoritur, denique eū omni admoto ariete cōcutere molitur, & à fide deiicere: sicut dictum est illi à deo in serpente. Ipsa conteret caput tuum, (vel ipsum semen conteret) & tu insidiaberis calcaneo illius. Per calcaneum, hoc est, quod in homine imum existit, terminum & vltimum istud humanæ vitæ intelligere debemus mortem cui omniū maximè insidiatur diabolus. Neque sunt iā pauci quorum quis sibi videtur fortissimus, & fide planè inconcussa: ad credendum verò leuissimus atque facilimus est: vbi autem seriò pugnandum & vltimo isto conflictu decertandum fuerit: ibi demum quisque hostiles experietur & sentiet afflictiones in fide, fortissimósque insultus, quod considerās

1 Pet. 5. Psal. 39. Chrysosto. Luc. 8. Origenes. Gene. 3. Ephe. 6.

Simile aptissimũ. Paulus, rectè fidem scutum appellauit dicens, In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.

¶ Hîc nanque dũ quis in hac vita fidem sibi habere videtur, & optimã & tutissimã, similimus illi est, qui truncũ in aqua fluentem ducit, ipso aquæ fluxu vrgẽte facilimẽ: verùm vbi ad litus ventum fuerit, tum demũ qui prius leuiter in aquis trũcum promouerat, sentit in tollẽdo & eleuãdo illius grauitatẽ ac põdus. Eodẽ planè modo quisquis hîc secura nauigat aura, quisquis quidem fidẽ habere se putat securã, is vbi ad vitæ littora appulerit, vitã cõmutatur⁹ morte, tũc deniq; videbit, qui dnã hic crediderit, qualẽq; fidẽ habuerit. Nemo itaq; de se nimiũ præsumat. nemo fidẽ se habere putet fortẽ, & ad omnẽ cu-

Luc. 17. iuscunq; periculi euentum constantem. Quin pot ius ad dominum clamet cum apostolis, Domine, adauge nobis fidem.

4 De pusillæ fidei modicitate reprehensis iam discipulis, Christus porrò consurgens, ventis quoque imperat & mari.

Hyerony. Ex quo intelligimus, inquit Hyeronymus, quod omnes creaturæ sentiant creatorem: quas enim increpauit, & quibus im-

Origenes. perauit, sentiunt imperantem. Non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed maiestate conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt. Ex magna tempestate parem fecit dominus serenitatem, magnus erat dominus, magnáque eũ decebant opera. Et sicut hîc sedauit mare, ita idem ille dominus quotiescunque in ecclesia vẽti oboriũtur, tempestatésque persecutionum per hæreticos, siue Gentiles, vbi ille saltem imperauerit ventis diaboli, subitò euanescunt magnáque statim pax & tranquillitas reddit ecclesiæ. Ah quàm nunc quoque operæprecium foret & necessarium, excitare dominum! Quantus enim in nos irruit ex Oriente ventus Turca iste sæuiens, nauiculam Christi & Petri submersurus! Exciderunt iam in medios fluctus & vndas maris imperatoriæ sedes duæ, & regna plus quam triginta. Deperiit, prohdolor, & pudor, augustissima Constantinopolis. Quid nobilissimũ referam imperium Trapezuntium? Nequedum finis, adhuc furit ventus pestilens, paríque atrocitate in Croatiam, Hungariam sęuit & Carniolam, quarum tamen bonam iam antehac abripuit partem, sicut & Christianissimam nobis nostræque fidei abstraxit Rhodum, Rhodum, inquam, insulam illam, vel ob hoc vnum perpetuis ad astra vsque ferendã laudibus, quod

tantiſper ſe ſummis tutata eſt viribus & conatibus, dum tandem iugo iſtius quoque inuita collũ ſubderet(ah,vix lachrymis mihi tempero) & imperio, neque adhuc quicquam de aliquo fine cõſtat,indies aliud ex alio malum. En autem aliũ tibi,& bonis omnibus odioſiſsimum ex aquilone ventum,Lutherum,vt ſic impleretur Hieremiæ vaticinium,Ab aquilone pandetur omne malum. Ex quo alius adhuc lateralis ventus ortus eſt pernicioſus,qui ſeditioſum ruſticorum vulgus concitauerat,quod tamen infelici exitu eorum ſedatum eſt,& inenarrabili damno. Peſtilentior adhuc exortus nobis eſt, magíſque turbidus & væſanus ex occidente ventus in Zuinglio, Bucero,iſtorũmque ſimilibus,qui ipſum etiam (qua ſunt pertinacia & crudelitate) è nauicula Chriſtum exturbare & præcipitare moliuntur: quíque eundem iam ſibi ex ſacramento altaris eieciſſe videntur. Et ne quarta cæli plaga nihil quod minetur habeat mali,ex meridie in ſeptimum iam annũ perpetua nos terrent capitum Chriſtianiſmi bella ,cum immenſis ambarum partium ſumptibus: nec ſine magna pauperum diuitúmque totius Italiæ internecione, & cum maxima ſanguinis multorum innocentium profuſione. O miſerrimam Chriſtianiſmi conditionem! Nunquam Turca fuit potentior, nunquam hæreſis fortior, nunquam bella crudeliora, quibus vel plures, vel potentiores inuoluti fuiſſent principes & optimates viri, Papa, imperator. reges Galliarum & Angliæ, Venetiæ, Germani, Hiſpani, Siculi, Neopolitani, Itali,Franci.Orientales,& Heluetij: vt præ oculis iam ſit illud quod olim Moyſes dixit, Foris vaſtabit eos gladius, & intus pauor, Quid multa?in hæc iam tempora incidimus, de quibus Azarias,In tempore,inquit,illo non erit pax egredięti, ſed ingredienti, ſed errores vnique in cunctis habitationibus terrarum. Pugnabit enim gens contra gentem, & ciuitas contra ciuitatem:quia dominus conturbabit eos in omni anguſtia. Tantùm nos iuuare poteſt in hac tribulatione dominus quem & excitare debemus oratione ſedula, ipſúmque deprecari, vt ventis iſtis turbulentis imperet, eóſque ceſſare iubeat,ſicut & hîc & alibi per Sapientem facere iubemur. Circundederunt me vndique,& non erat qui adiuuaret, Reſpiciens eram ad adiutorium hominũ, & non erat. Memoratus ſum miſericordiæ tuę domine,& cooperationis tuæ,quę à ſæculo ſunt,quoniam eruis ſuſtinétes te domine,& liberas eos

Lutherus. *Hiere. 2.* *Hæretici.* *Deute. 32.* *2. Par. 15.* *Eccle. 15.*

de manibus gentium. Periculum eſt tamen, ita ſubitò non deſituros iſtos vẽtos, quoniam peccata noſtra nondum deſinũt: iuſto igitur iudicio & ventos non ſedabit deus. Omnes enim creaturæ ſeruiunt & parent imperio dei, idq́ue in hominis confuſionem, ignominiam, & cõdemnationem. Iubet (inquit Origenes) mari, & non contemnit: dicit ventis & tempeſtatibus, & mox compeſcuntur: iubet omni creaturæ, & non ſupergreditur iuſsionem eius. Et hominũ genus, & vnum quod ſecundũ ſimilitũdinem dei honorificatum eſt, cui verbum & prudentia data eſt, hi ſoli homines reſiſtunt, hi tantũ inobedientes ſunt, hi ſoli contemnunt: ideo hi ſoli in iudicio damnabuntur, & à iuſtitia pũnientur, vel vti deteriores mutis animalibus, vel his quæ ſine ſpiritu & anima ſunt in hoc mũdo. Deus tamen ille miſericors & miſerator dominus, miſericordiam nobis & gratiam ſuam donare dignetur, Amen.

Origenes.

HOMILIA III.

TANTUM nobis reliquiarum ex primo ſermone remanſit, vt iuſtum adhuc ex illis confici poſsit conuiuiũ. Age, igitur vlteriùs iam Euangelium iſtud tractemus, Chriſtus aſcendit in nauiculam, orta eſt ſtatim tempeſtas, trepidantes, dominum excitârunt diſcipuli, quos ille increpauit ventiſque imperauit & mari, vnde facta ſerenitate magna, admirati ſunt homines, & dixerunt, Quis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei? Vbi ſi quæris, quinam iſti fuerint homines, en tibi reſpondet Hieronymus, Non diſcipuli, inquiens, ſed nautæ & cæteri, qui in naui erant, mirabantur. & ſi contentioſè quis voluerit eos qui mirabantur, fuiſſe diſcipulos, reſpondebimus, rectè homines appellatos, qui necdum nouerant potentiam ſaluatoris. Origenes tamen diuerſum ſentiẽs, dicit, Non putes hîc per homines, apoſtolos eſſe ſignificatos: nuſquam enim inuenimus, præter honorem cognominati domini diſcipulos: ſed ſemper aut apoſtoli, aut diſcipuli nominantur. Intelligit itaque iſtud ille vel de iis qui ſimul nauigabant, vel quorum erat nauicula. Auditum eſt autem iam antehac ex Chryſoſtomo, ſolos cum domino diſcipulos nauigaſſe. Quanuis in hoc parum ſitum eſt: ſiquidem facilè dici poterit, plures dominum eſſe ſecutas nauiculas; ſed & ſtagnum, quod ex Iudaici ſermonis idiomate mare cognominatur, non adeò latum eſt & amplum, vt non in ipſo videre potuerit littore, tempeſtatem & periculum pericli-

Origenes.

Chryſoſto.

tantium in naui. Ad hæc confiderârunt illi quoque fubitam adeò ferenitatem ex ventis & mari tam repente præter naturam exhortam: aliâs enim compofitis iam ventis fremitus non ftatim fedatur, & æftus aquarum, vt iam non temerè admirati fint illi: neq; parua ifta erat admirationis caufa, quòd videbant mare ex imo profundi concitatum, ipfófque adeò fedatos ventos: vnde & dicebant, Quis eft hic? non quòd fic interrogarent, fed quoniam confirmabant, veluti dicentes: Maior hic eft quàm Moyfes, potentior Elia: quorum ille virga mare diuifit, virga illud feriés: hic verò pallio Iordanem percufsit & feparauit, vt fic arida cum Elifeo via pertranfiret, tandemque igneo curru raperetur in cœlum. Horum tamen omniũ magnum extitit difcrimen. Moyfes enim illud fecit vt minifter & feruus, Chriftus vt potentifsimus. Non enim virgam, vt ille tetendit, non manus in cœlũ fuftulit, non precibus indiguit, verùm vt dominus ancillæ imperans, & conditor fuæ creaturæ; fic fluctus maris deprefsit, fedauítque quafi freno, verbo folum atque præcepto: omnis confeftim foluta eft tempeftas, nec veftigium fuit vllum turbationis relictum, Hinc factum eft, vt meritò demirati fint homines. Dormit nanque in naui vt homo, & ventis maríque imperat vt deus: fedénfque in naui, creaturas omnes folo fuo imperio deflectit ad volũtatem fuam. Admiremur itaque & nos, quando & benignitates & beneuolentias oftendit circa nos dominus, quando nos de periculis faluare dignatur, quando de tumultibus & tribulationibus multis nos liberat, quando ab inimicis infequentibus nos eruit. Miremur, & mirantes gratias agamus, & gratiæ obediamus, obedientes timeamus, timentes diligamus, vt æternæ charitatis ab eodem hæredes efficiamur. ¶ Sed nunc iam pifcium quoque reliquias attentemus, fenfum etiam fpiritualẽ deguftare, primúmque ftatim hiftoriam hanc de Chrifto exponamus allegoricè (cùm facilè fit ire per fymbola, vt fuperiùs dicimus) dicamúfque nauim fignificare fanctam crucem. nauis nanque, fi fubftantiam fpectes illius, lignũ eft: vfus eius eft ad transfretãdum, in hoc enim paratur, paruáque eft, non oneraria galea, aut caraca, aut triremis. Quæ omnia probè competunt cruci, quod hæc quoque in fubftantia fua parua fit, humilitatem præ fe ferens magnam, in qua redempti fumus: vnde & Sapiens dixit, Vt non effent vacua fapientiæ tuæ opera, propter hoc

Exod. 1. 4. Reg. 2. Chryfofto. Orige. Nauis Crux. Sap. 14.

etiam & exiguo ligno credunt homines animas suas,& transeuntes mare,per ratem liberati sunt. exiguum sanè istud lignum crux est, in qua dominus noster Iesus Christus operatus est salutem vniuersi orbis: per quem deinceps fideles omnes ad portum appellunt salutis æternæ. In hanc nauiculam ascendit Christus ipsa parasceues die.& aptè nauiculam interpretamur crucem, cum hæc nauis quoque figuram
Matt,8. habuerit,superius enim & inferius angustior fuit, superius quidem, quod ibi optimus maximus ille generis humani redemptor, non habuerit vbi caput reclinaret suum: inferius verò, quoniam ibidem clauo confixus vterque pes fuerit. In medio autem lata fuit, vbi perfidi Iudæi sanctissimum Christi corpus vsqueadeo distenderunt, vt omnes illi in corpore
Psal.21. vires membráque omnia contremuerint: impleta sic in ipso Dauidis prophetia, dicentis, Foderunt manus meas & pedes meos,& dinumerauerunt omnia ossa mea,(vide in passione.) Ascendente itaque Iesu in nauiculam, secuti sunt eum disci-
Matt.20. puli eius: secuti, inquam, Christum sunt etiam apostoli, per supplicia passionum, sicut & ad filios Zebedei dixit dominus,
Luc. 9. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? & responderunt, Possumus. Et apud Lucam, Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Vnde apostoli omnes martyrio coronati sunt, vno exceptò Ioanne, qui in feruentis olei dolium missus, deinceps in exilium relegatus est. ¶ Ingresso autem in hanc nauiculã Christo, factus est motus in mari mundi huius magnus. magna enim in elementis omnibus facta mutatiò est, quando sol
Mat. 27. & luna obscurarentur, velũ templi scinderetur, terra vniuer-
Luc.23. sa caligine obfuscaretur, scinderẽtur petræ, totáque tremeret
Mar. 15. terra,& sepulchra mortuorum aperirẽtur. En tibi maris huius motum maximũ. Sed adhuc vndas & procellas aquarum videre desideras? ecce prosecutionẽ aspice vehementem, quæ Christo etiã in cruce iam suffixo contigit, vbi primus statim calumniator illius latro fuit à latere pendens, cùm diceret, Si filius dei es, salua nos. Transeuntes quoque exprobrabant illi, Vah, qui destruis tẽplum dei, &c. Sed & principes sacerdotum & scribæ improperabant ei, Quoniã alios saluasset ipse salutis inops & indignus. Astabãt hîc, qui patrem suum cœlestem inuocanti inclamabant, Eliam vocat iste. Neq; deerat iis omnibus insolens quoque militum elusio, qui pro vino a-

cetum offerebant sitienti. Omnes istæ procellæ nauiculam Christi crucem sanctá obruerunt, & infestarũt: quibus & luctus & fuga accesit discipulorum, compassio virginis matris vnde factum est vt tota vndique nauis obtegeretur sæuientiũ vndarũ tumultibus maderétque iam sanctissimo innoxij sanguinis defluuio. Neque sic in Christo desiit hæc tempestas, durarunt venti isti etiam apud Gentiles, quibus stultitia erat crux Christi: & Iudæos, quibus scandalum extitit. In iis igitur vndis, ecce obdormit dominus, dum in ara crucis tradito patri spiritu moritur. Somnus enim illius mors est, testante id quoque in Psalmis Dauide, Ego dormiui. &, In pace in idipsum dormiam & requiescam. Et cùm iam magno illius in somno & morte tenerentur desiderio discipuli, resuscitatus die tertia resurrexit, & eos increpauit de incredulitate: quam dum sustulit, ventis imperauit & mari, & tunc deuicta morte, superato diabolo, facta est serenitas magna: quando etiam viso domino gauisi sunt discipuli. Id adeò iam nos quoque audimus, miramur & obstupescimus, quoniam sicut tunc venti & procellæ in nauiculam Christi sæuierunt, ita deinceps continuò quoque in hæc tempora vsque aduersus naues apostolorum & martyrum insurrexerunt. I.Cor.1. Psal. 3. 4. Matt. 15. Ioan. 20.

¶ Neque absurdè nauis hæc intelligi potest quælibet cuiusuis Christiani hominis anima, quæ in mare tunc adducitur, quãdo corpori vnitur. Inque eam descendit Christus, cum illi gratia sua assistit: statímque venti persecutionem concitantur, nunc diuitiis, nunc honoribus, potentia aliâs: vicissim & carnalis concupiscentiæ fluctus commouentur, quibus non rarò obruta contegitur nauis. Quicquid enim in hominem præualet aduersitatis, periculi, voluptatis, doloris, fortunæ, persecutionis, aliud esse ne credas quàm fluctus & vndas: quibus sæuientibus excitandus est Dominus oratione sedula & piissimè statímque adueniens ille, serenitatem facit & tranquillitatem magnam. ¶ Sed & ipsa catholica ecclesia nauis firmissima est & solida: in ea sedet dominus, vt gubernator illius & rector, eúmque sequuntur discipuli, prælati ecclesiæ. Exurgunt autem venti, quia in eã subinde persecutiones mouentur & minæ gentium, hæreticorum, Iudæorum, & nunc nouo quodã sæuitiæ genere principum quorundam insolentia, aduersus ecclesiam & ecclesiæ libertatem pugnantiã, contra leges proprias nitentium forti- Anima hominis nauis. Ecclesia quoque nauis.

ter adeò dormire iam credatur ab omnibus dominus.

¶Quem cùm prælati ecclesiæ orationibus suis excitant, vt surgens ventis imperet, persecutiones compescat, hæreses aboleat, ecclesiæ & illius ministris libertatem & omnia iura reddat: tunc demum fit ista trãquillitas magna. O igitur, domine Iesu Christe, largire propitius, vt hanc pacem nos quoque tandem restitutam videamus in fide nostra catholica.

Nauicula pœnitētiæ ¶Ad extremum pœnitentiam quoque nauiculam esse, & vulgare est, & à doctissimo viro domino Keyserspergi latissimè declaratum, & per nos quoque explicatum. Quæ quia in omnium passim sunt manibus, missa nunc facio. Et vos deo & protectioni diuinæ commendo. Oremus ad dominum, &c.

¶DOMINICA V. POST EPIPHANIAM, EVANG. MATTHAEI. XI.

Luc. 10. *IN illo tempore, Respondens Iesus, dixit, Confiteor tibi pater, domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filium, nisi pater, ne-*
Infra. 28. *que patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Venite*
Lucæ 10. *ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos. Tollite iu-*
Ioan. 16. 13 *gum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.*

HOMILIA I.

DOminus noster Iesus Christus in hoc euangelio cõfitetur & gratias agit patri suo cœlesti, quòd corda illuminarit humilium, ad credendum & confitendum ea, quæ tum fidei tum salutis sunt animarum: eaque omnia absconderit à sapientibus, superbis nimirũ & obstinatis. Deinde remuneratorem semet fatetur omnium qui in terris hîc duriter laborant, & dicit, confiteor tibi pater, domine cœli & terræ. Est autem triplicem in scripturis confessionem reperire,
Iaco. 5. peccatorum vnam, de qua Iacobus, confitemini, inquit, alterutrum peccata vestra. de hac Iosue etiam sic loquutus est
Iosue 7. ad Acham, Fili mi, da gloriam domino deo Israël, & confitere atque indica mihi quid feceris, & ne abscondas. Secunda confessio prædicationis est, de qua Paulus ita scribit, corde

Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salu- Rom. 10.
tem. Ea necessaria erat tempore persecutionis in ipsis adhuc
ecclesiæ primordiis, vbi quàm plurimi suppliciorum metu
Christũ ore negabant,& tamen corde confitebantur. De neu-
tra harum confessionum hîc dominus loquitur: sed de illa
tertia,quæ laudis est & gratiarũ actionis, cuius & Esaias me-
minit, dicens, Domine, deus meus es tu,exaltabo te & confi Esa. 25.
tebor nomini tuo, quoniã fecisti mirabilia, cogitationes an-
tiquas fideles, Amen. Huiusmodi hîc confessione confitetur
hic Christus deo patri,quomodo confessio frequenter etiam
vsurpatur in Psalmis. Et hæc sanè confessio,gratiarum actió
est, qua quis agnoscit ex quo beneficium acceperit, vt illum Psal. 49. 106. & 108.
propter hoc laudet,quod ei contulit bonum. Sic itaque dicit
hic Christus. Confitebor tibi pater, domine cœli & terræ,
hic ille est,cui confiteri & quem laudare debemus,deus pater
cœlestis, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Et
meritò quidem confiteri huic debemus: aperit enim manum Iaco. 1.
suam,& implet omne animal benedictione. Idem ille domi- Psal. 144.
nus omnium, qui & diues est in omnes qui inuocant eum.
Audiant hîc omnes qui Christiani sunt, quotque fidem pro-
fitentur catholicã, & discant, quoniã deus creauit eos. Chri-
stus sanguine suo redemit, & Spiritus sanctus super ipsos in
baptismo & aliis sacramentis effusus est. Atque dum credunt
omnia bona se recepisse à deo, tandémque vitam & fœlici-
tatem suscepturos æternam: ex animo gratias agant illi sicut
fideliter monuit Paulus, Semper gaudete, sine intermissione
orate, in omnibus gratias agite. hæc est enim voluntas dei in 1. Thes. 5.
Christo Iesu in omnibus vobis. Audiui voluntatem hanc esse
dei, vt in omnibus illi gratiæ agantur. Ecce idẽ te docet bea-
tus Augustinus, inquiens, Quid melius & animo geramus,
& ore promamus, & calamo exprimamus, quam deo gratias? Ad Aur.
Hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, epist. 77.
nec agi fructuosius potest. Vos ex corde intimo dicite, Deo Deo gra-
gratias, iterúmq; ore ingeminate idipsum, Deo gratias. Ver- tias.
bum hoc vulgo etiã notissimũ est, & in ore omnium frequẽs:
sed non in suo illo fucci pleno intellectu. Sic & Paulus cibum
cum gratiarum actione præcepit percipiendum dicens, Siue 1. Cor. 10.
manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in glo-
riam dei facite. Hæc est autem gloria dei, vt illi gratiæ agan-
tur in omnibus. (Recita si vis totum caput trigesimum pri-

Augusti. mum ex septimo de ciuitate dei Augustini.) 2 Quando itaque ex iis constat, verbum hoc, confiteor, non ad pœnitentiam hîc referri & contritionem, superuacuum fuerit de illa multum referre, quod veteres fecisse videmus doctores, quorum temporibus & vulgus linguam Latinam, & eruditiores callebant Græcam. Vnum est quod submoueam, ex *Origen.* Origene dicente, In hoc ipso quod sonuit, confiteor, pectora tutudistis. Tundere autem pectus, quid est aliud quàm arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum? Hoc vtinam animo reponeretis, tempore Origenis iam olim ante annos mille trecentos in vsu fuisse apud catholicos, vt non occulta tantùm & manifesta confessione, verùm etiã in sermonibus publicis quandocũque con-*Leu. 18.* fessionis audiretur vocabulum, tundebant pectora sua, sicut & de illo publicano euangelico Lucas commemorat. Sed & *Quid agẽdum in templo.* de gratiarũ actione satis dictum est, quanuis hîc quoque plerique vestrũ satis culpabiles cõperiantur, cùm dicitis, Quid est quod agam in templo? O vocem impiam, & Christiano homine indignam! quasi tempus esse possit, quo nihil agere *Psalm. 17.* in templo queas, si ideo volens & lubens seruires. Ecce te Dauid docet quid respondeas interroganti, quid agas in templo. Laudans, inquid ille, inuocabo dominum, & ab inimicis meis saluus ero. Aut quid obsecro agas in templo? Tam ne fœliciter tibi succedunt omnia & ex voto tuo, vt ne pro tentationibus quidem tuis (de aduersitatibus taceo) orandus tibi sit deus? adhuc tamen ingredere templum, neque pro illis tantùm donis tantis gratias ei age, verumetiam adhuc ora, vt quæ fortè tibi incumbunt & imminent mala, auertat: roga *1. Reg. 15.* in bono vt te cõseruet, neque à gratia sua sicut Saul regem sinas excidere: ora eum pro parentibus & maioribus tuis, pro benefactoribus, pro generali statu totius Christianismi. En tibi quod agas in templo. Ecce & ipsum hîc tibi Christum, *1. Pet. 2.* qui nec peccauit vnquam, nec aliquid mali fecit, neque dolus inuentus est in ore ipsius: & tamen confitetur, laudat atque glorificat deum patrẽ suum, qui in cœlis est. Quod si ille fecit, an nos facere idẽ recusabimus? quod etiã de bonis Dauid iam olim prædixerat, Quoniam magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua enarrabunt.

Psal. 144. 3 Nunc sequitur, & qua in re, & quibus de causis patri suo Christus tantopere hîc gratias agat dicens, Confiteor tibi pa-

ter,domine cœli & terræ.Non illum dominum vocat suum, ne occasionẽ Arrio daret & aliis, qua diuinitatem sibi suam subtraherent.Per cœlum & terram omnes in vniuersum in- *Arrius.* tellige creaturas,vel cœlestes & terrestres creaturas.Cur autem tibi,ô pater,cõfitetur Christus?ideo nimirum,Quoniam hæc abscondisti à sapientibus & prudentibus, & reualasti ea paruulis. Hæc inquam, mysteria,scilicet noui testamenti, & omnia quæ ad salutem faciunt animarum: hæc etiam quæ indies adhuc manifestat ex reclusis illis scientiæ suæ & sapientiæ diuitiis atque thesauris,ea omnia sapientes celasti. Quos *Coloss 2.* illos? inquit Chrysostomus, scribas puta, & pharisæos, qui *Chrysosto.* apud semetipsos prudentes sibi videbãtur. Paruulos autem apostolos intelligit, humiles illos. Et sic sapientes hîc non eos accipies, qui verè & cum laude atque ex gratia diuina sapientes existunt:sed istos, qui (vt inquit Hieronymus) sibi *Hierony.* sapientes videntur,& in conspectu suo prudentes. Atque hic per omnia nos docet,flatum superbiæ, testante idipsum quoque Chrysostomo,omnino esse fugiendum, ac simplicitatem *Chrysosto.* admirandam:quod Paulus amplioribus verbis scribit, dicẽs, *1.Cor.3.* Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat,vt sit sapiens.Scriptum est enim,Comprehendam sapien- *Iob 5.* tes in astutia eorum.Et iterum,Dominus nouit cogitationes *Psal. 93.* sapientum,quoniam vanæ sunt, Frustra laborat omnis mundana versutia, in iis quæ animæ sunt & salutis, quòd hæc se rectà in deum erigit:ideóque & paruulis manifestauit deus mysteria fidei, nõ magnis: hoc est,illis qui sibi magni videntur.isti enim quid aliud sunt,quàm vel Melitide aut Corœbo (quos nobilitarũt prouerbia)stultiores?Veruntamen,vt Pau- *Rom. 1.* lus ait,etiam qui se sapientes dicebant,stulti facti sunt. Quid ita?quia,sicut ibidem prius dixerat, obscuratum est insipiens cor eorum. En causam tibi,quare qui sapientissimi sibi videbantur,stulti facti sunt:eo quòd lumine carent, ideóque sunt in tenebris.Et sanè si præsentem statũ mundi huius iam consideres,videas plerósque iudicio mundi sapientissimos habitos,sibique etiã visos non imprudentes, velut marcida & putria poma decidere à cõmuni ordinatione ecclesię catholicę, nouos sibi ritus & ordinationes cõdere ꝓprio ingenio & capite cõfictos.Quæres,cur illud fiat?quoniam dũ sapientiores sibi videãtur tota illa ecclesia,stulti facti sunt, stupidi, cæci, caudices, & quouis pistillo retusiores. Et id omne ex illo,

Ioan. 1. quia lumine isto ludissimo carent, quod illuminat totum hunc mundum. Verùm hoc ipso, cur adeò isti ex multis destituuntur? bene quæris, & en tibi eius rei causam. Quia ipsi sibi lucere cupiunt, suo lumini innituntur, & coram semetipsis satis sibi videntur sapere, apud hos nihil, imo nec quicquam, valent Pōtifices, Imperatores, Cōcilia, Augustinus, Hieronymus, & quotquot sunt patrum, nullum isti ex iis lumen recipiunt, sed neque desiderant, ac oblatū quoque respuūt, & omnino nullū admittūt lumen, quod deus incendit ad illustrandas mentis nostræ tenebras: verum omnia pro ceruicoso suo capite volunt agere & efficere: ideóque venit super eos sententia illa iam olim a sancto Paulo pronunciata, ac meritò quidem, quoniam dū sibi videntur lux mera, Cimmeriæ sunt tenebræ: neque aliquam à deo petunt illuminationem, & ipsi a seò oculos claudunt ac obstruunt, ne videant ab aliquo lu-

Psal. 17. mine quod deus accendit, nec cum Dauide clamat ad deum, Tu illumina lucernā meam, domine deus meus, illumina tenebras meas. hinc fit vt non accedantur à lumine diuino. Io-

Ioan. 1. annes verò, quāuis lux essentialis non fuerit, lucerna tamen extitit ardens. Quis obsecro credat, lumē illud æternū Christum Iesum (à quo tamen in ipso adhuc matris vtero accensus est Ioannes, qui tamē nihil scripsit.) nō plures incendisse lucernas annis hactenus mille & quingentis, quā nunc demū Lutherum, Zuinglium, & huiusmodi impurissimam sordidorum hominum fecem? Profectò quisquis hoc credit, ꝙ omnes nunc neochristiani faciunt, & deum & diuinum illud lumen blasphemat, atque in summa, nouā sibi ipse fingit ecclesiam, noua quædam compingit sacramenta, missámque nouam. Et quid denique non? Deum nouū etiā, quē si ex nomine cognoscere vis, diabolus is est. Ac ne quid per deū immortalē istorum moueatis insania, neque audias illos, sed neque sapientes eos esse credito: quoniā pater abscondit illa à sapientibus, ab iis qui cū lucem se credāt, nil sunt nisi obscurissimę tenebræ. Id nónne luce meridiana clarius est, & patet ex ista neochristianorū tam instabili incōstantia? ecce enim in vno isto oppido Vuittembergæ, vnde hæc pestis orta, plus nonies missam variarūt. An hæc tibi lux videtur? quā si vtiq; habuissent veram, primū statim vidissent, quænā missæ rectissima esset forma & institutum: sed quia in tenebris ambulāt, modo hoc, modo illud palpitant, semper putantes quod optimum est se

tenere, tandémque vident id quod elegerunt nihil esse. Quid multa? Luterana ista instabilitas ita planè est, vt cum pueri, Andabatarum concertantium more, oculis clausis circũcursitantes ludũt, qui quicquid primũ obuenerit attrectant, quécunq; attigerint, tenét: nulla est ibi lux, nulla stella, isti nimirũ cæci, cæcorũ sunt duces, qui vno omnes casu in foueã labũtur precipites. Isti sunt qui se sapiétes putẽt, de quibus Paulus loquitur, Isti sunt magistri nouelli, prurientes auribus, magistri mendaces, pseudoprophetæ, qui introducunt sectas perditionis. Has, prohdolor, sectas nimium, & heu, nimium duriter experti sumus, dum hucusque videmus hîc Lutheranos, illic Zuinglios, istic Catabaptistas, & in singulis iis plures adhuc dissectiones, quibus ipsi se, multis modis ab ecclesia, ordinatione & vnitate catholica separant. Primò statim exordio cœpit deus ecclesiam suã instituere in paruulis, humilibus & simplicibus hominibus apostolis, quorum & posteri & filij atque nepotes omnes pij sunt Christiani. Et rursus diabolus Antichristo suo synagogam extruere parat, primos illius fundamenti lapides è cõtrario ponens elatos & coram mundo prudentissimos. Verùm boni subinde clamant ad dominum, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Ab ipso iam inde apostolorum tempore transierunt tenebræ, & illuxit lux vera Christus, non istam fuliginosam & obscuram expectauit lucernam Luther. Atque ideo omnes qui in vnitate sunt ecclesiæ catholicæ, cum Christo dicunt, Confiteor tibi pater, domine cœli & terræ, quod mysteria maiestatis tuæ, fideique nostræ arcana abscondisti à superbis istis & sapientibus mundi huius, atque nobis misellis pascuæ tuæ ouibus reuelasti. Huius immensæ gratiæ diuinitùs vobis collatæ gratias deo refundentes, humili corde orate, Pater noster, &c. 4 Sermonem suum Christus paternæ confirmat iudicio voluntatis, dicens, Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te. & sane sic visum est diuinæ voluntati, vt sanctæ legis nostræ mysteria non paterent istis stultè sapientibus, sicut testatur sanctus Paulus, cùm ait, Quia in dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam deum, placuit deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Et infrà, quia quod stultum est dei, sapientius est hominibus. Et iustum id quoque est, inquit Origenes, vt qui voluerint esse paruuli, stulti fierent in ipsorum sapientia. Atque hic

Matt. 15. *Rom. 1.* *2. Tim. 4.* *2. Pet. 2.* *Psal. 118.* *1. Ioan. 2.* *1. Cor. 1.* *Origenes.*

Chryſoſt. ſe explicandas nobis præbent quæſtiones tres. Quare pri-
Quæſtiones tres. ma eſt: cur tandem illa occultarit deus ſapientibus, qui inde ignorantiæ ſuæ fucum & excuſationem ſibi arripere potuerint? Secunda, an ideo gauiſus ſit Chriſtus, quoniam hæc ſapientes ignorauerunt, vt ſic gratias propterea egerit patri? Tertia, quare pro hac reuelatione gratias egerit patri cum tamen ipſe quoq; hæc omnia paratus ſit filis? Ad primã illã reſpondent doctores, deum per ſe illis euangelium non celaſſe, verùm eos ſibiipſis abſcondiſſe, dum illud apertè ſibi prædicatum recipere noluerunt. (Deus abſcondit, deus indurat, deus excæcat, negatiuè, id eſt, nolentibus nõ cõfert gratiam, lumen, &cęt.) Quomodo & ſol radios ſuos alicui non tranſmittit per occluſum cubiculum, eò quòd feneſtras ipſe non aperit, vnde radij penetrarent. Sic etiam deus lumen eis non abſcondit, niſi inquantum ipſi intromittere noluerunt. Rationem reddit Paulus cùm ait, Ignorantes iuſtitiam dei, &
Rom. 10. ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ dei non ſunt ſubiecti. Quãdo igitur hîc audis, quòd abſconderit deus illa ab eis, intelli-
Rom. 1. ge igitur Paulum, quia tradidit (hoc eſt reliquit & dimiſit) eos in reprobum ſenſum, & excæcauit intellectum eorum, Non ſic tamen quòd hæc operatus ſit deus, ſed quoniam iſti ineptos ſemet effecerunt, indigni facti ſunt qui reciperent
2. Cor. 3. gratiam dei. Altera cauſa fuit velamen Moyſis, quod ipſos habuit ſemper contectos ſuper veteri teſtamento, quod cum legebant, corticem ipſius tantùm intuebantur, nucleum ſpiritus nihil indagantes. Meritò itaque Chriſtus qui ſub litera latet Moſaïca, eis manſit incognitus. Velamen iſtud Iudaicum iam quidem etiam Chriſtianorum ſibi vſurpant, velantes oculos ſuos & obtegentes pannis, hoc eſt, denſitate literæ, vt videre porrò nequeant ſplendidiſsimam illam eccleſiæ magnificentiam. Adiuua, domine, infidelitatẽ eorum, vt ope & auxilio gratiæ tuæ velamen iſtud rurſus abiiciant. ¶ Ad
Chryſoſto. quæſtionem ſecundam reſpondent itidem doctores, Chriſtum nihil minus quàm gauiſum eſſe perditione illorum, ſed quoniã hæc eſt via ſalutis optima, vt qui reſpuunt quæ dicuntur & nolunt ſuſcipere, nullo modo cogentur. Non ergo quia ſapientes non cognouerunt, gaudet: ſed quia paruuli illuminati perceperunt, lætatur. Ad tertium quòd ſuprà quærebatur, dicit Hiero. quòd ſicut pro nobis deum orat ardenti cha-
Hieron. ritate ſecundum humanam naturam, ita ex magna dilectione

nostri, gratias agit deo patri; & vt ille cœpta confirmaret in apostolis beneficia, amorem suum in patrem cõmemorat, dices, Ita pater, quoniam sic placitũ fuit ante te. Magnũ hoc & forte verbũ est, quòd quibusdã mysteria aduẽtus sui reuelauit, aliis celauit, inquit Origenes: cuius non aliam causam refert, quàm quòd sic visum est deo patri. Quasi diceret, Iniustum esse non potest, quod iustißimo placuit deo. Aliâs licet hinc inde rationes colligere, vt cum Dauid ait, Intellectum deus dat paruulis. & Iacobus, Superbiis, inquit, resistit, humilibus autem dat gratiam. Ideóque & Beda clauem sciẽtiæ vocat humilitatem, & quæ stulta sunt mundi elegit deus, vt confundat sapientes. Nos verò laudemus deũ, illíque pro beneficiis suis omnibus gratias agamus, quæ partim exhibuit, partim adhuc, vt spes nobis est optima, exhibiturus est. Oremus eũdem humiliter per ipsam sanctißimum Christi Iesu sanguinem, vt sic nos in reuelatione fidei cõseruet, vt eos tamen, qui velamen ab oculis necdum abiecerũt, incognitam adhuc habentes lucem euangelicam, gratia quoque sua illuminet, ablato velo, rectè & firmiter credere faciat, nosque simul cum ipsis hac mortali vita transacta, deum contemplemur facie ad faciem, ita vt in diuina sua maiestate & substãtia est in æterna felicitate. Id ipse concedat salutis omnis author & dator, Amen.

Origen. *Psal. 118.* *Iacob. 4.* *Beda.* *1. Cor. 1.* *1. Cor. 13.* *1. Ioan. 3.*

HOMILIA II.

CHristus in hoc quod modo audistis euangelio gratias agit patri suo cœlesti pro pauculis illis hominibus, quos ex piscatoribus, telonariis & quibusdam cognatis suis collegerat, iis tanquam humilibus mysteria reuelauit euãgelij, cum interim mũdus, pharisæi cæteríque Iudæi illa omnino ignorarint, quoniã ex deo gratiã humilitatis nõ habebãt. Siquidem ĩter sapientes vt quisq; est humilimus, ita doctißimusquoque est & habetur, sicut ex cisternis aut lacudis confluentiũ aquarũ quę ĩfima est, ea aquis abũdat maximè. Meritò itaque pater ille luminis mysteria sua paruulis reuelat, in quib⁹ per rumoré & inanẽ mẽtis fastũ nullus veritati ponitur obex. Et sequitur, Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Ne putes, inquit Chrysostomus, hac reuelãdi potestate Christũ esse priuatũ, ac ideo gratias agere iã subdit, sibi quoque innuens omnem esse traditã potestatẽ, nanque per illã generationem æternã pater ei & substantiã suã & essentialé con- *Chrysost.*

municauit perfectioné,atque ideo dicit ad illũ, Mea omnia tua sunt,& tua mea sunt,& clarificatus sum in eis. Et iterũ,
Ioan. 16. Omnia quæ pater habet.mea sunt. Et tamen hoc non adeò
& 17. crassè & ruditer intelliges,patré sic omnia dedisse filio, vt ipse iã nihil habeat. Verè enim & essentialiter potestatem quam ipse habet,& filio dedit,& ipse sibi reseruauit. Cũ auté filio tradita sint omnia,& ipsa vtique reuelatio illi data erit, ideóque fideles reuelationem hanc patris habent per filium, cùm filius medium personarum in diuinis locum habet,& secũdum humanitatem mediator est dei & hominum. quod &
1. Tim. 2. Paulus testatur,dicens, Vnus deus,& vnus mediator dei & hominum,homo Christ' Iesus: qui dedit redẽptioné semetipsum pro omnibus. Et ideo collectas suas omnes concludit ecclesia hoc modo, Per dominũ nostrũ Iesum Christum filium tuum,&c. Atque in hoc etiam Christus ait, Nemo venit ad patrem nisi per me. Qui,quanuis verus est intellectus. sunt tamen ex doctoribus qui verbum hoc nolint intelligere de omni illa perfectione diuina,quam filius habeat à patre,sed tantùm(vt sit secũdũ materiã subiectã distributio)de
Hierony. fidelibus,de quibus ille hîc loquitur, sicut Origenes & Hie-
Ioan. 17. ronymus exponunt:& ipse etiã dominus ad patré dicit, Tui erant,& mihi eos dedisti, & sermonem meum seruauerunt.

2 Proposito iam illo,quòd paruulis mysteria sua reuelarit deus,& quòd sibi omnia tradita sint à patre, ipsa etiam reuelatio,porrò iam probat, fieri non posse vt quis cognoscat
Matt. 14. deum nisi per filium. Nemo enim,inquit,nouit filiũ,nisi pater:neque patrẽ quis nouit,nisi filius,& cui voluerit fili' reuelare. Vbi primùm statim obserua, non excludi hîc spiritũ sanctũ:quoniam hic quoque & patrẽ cognoscit & filiũ siquidem vna est trium personarum essentia, vna potestas, intellectus vnus & vna scientia. ille verò peculiariter etiam spi-
De trinit. ritus appellatur veritatis,sicut interpretatur beatus Augu-
lib. 7. stinus. Deinde, quia verbum illud,& cui voluerit filius reuelare,Christus postremæ parti sermonis huius, non priori
Ioan. 1. adiungit:non est quòd aliud inde colligas, nisi patrem simul & filium per filium reuelari, eò quòd filius verbum patris est æternũ verbũ autem & sui & eius à quo promanat, est declaratiuum,vt si quem audias loquentem,intelligis primùm verba,eáque Germanica ne sint an Italica diiudicas,& preter hoc deinceps loquentis animum & affectum super re quam

narrat,cognoſcis. Vide Aug. Sed & illud hoc loco Chryſoſto *Lib.1.de*
mus expendit, voluiſſe hîc Chriſtum declarare, vnã ſibi eſſe *quæſtio.*
cum deo patre eſſentiam,vnámque volũtatem,cum ait,&cui *Euang.*
voluerit filius reuelare. Quòd ſi quómodo verum ſic quæ- *cap.1.*
ris,quoniam nemo deum patrem niſi filius cognoſcat:reſpon
deo,quia deum,qui infinitus eſt, nulla creatura poteſt per-
fectè cognoſcere,niſi intellectum habeat infinitũ ſicut deus
ipſe: vt ſi linea aliqua ſit in infinitum longa,nos eam non poſ
ſemus oculis noſtris penitus totámque videre,ſiquidem ocu-
lus noſter finitus eſt. Et hoc modo nemo niſi ſolus deus , di-
uinam perfectè cognoſcere eſſentiam poteſt : quia ſic deus
incomprehenſibilis eſt, ſenſum omnem ſuperat & excellit,
cogitationes quoque ac intellectum hominis ſubterfugit.
Vnde & Dionyſius deum nec dici nec intelligi aſſerit, profe *Diony. de*
ctò enim cum iudicia dei incõprehenſibilia ſcrutari nemo *miſt.theſ.*
queat,ipſam illius eſſentiã cognoſcere quis poterit? Quis au- *Roma.11.*
tem cognouit ſenſum domini?aut quis cõſiliarius eius fuit?
Rectè igitur clamat Eſaias, Verè tu es deus abſconditus. Et *Eſa.45.*
prudenter hîc Hiero. hæreticum reiicit Eunomiũ, qui tantæ
erat temeritatis,vt auderet dicere ſe & deum patrem & fi-
lium ſic cognoſcere, vt ſi illi mutuò ſe inuicem noſſent.

¶ Quanuis autém deus in eſſentia ſua infinita non poſsit à
creatura cognoſci,attamen radius aliquis eſſentię diuinę cõ
municari poteſt creaturę,ſicut & qui ſolẽ intueri totum non
poteſt,poteſt tamen radios illius aſpicere:ita hîc quoque fie-
ri certum eſt. habemus enim cognitionem illam per filium,
ipſo id atteſtãte,cùm ait, Deũ nemo vidit vnquã : vnigenitus
filius qui eſt in ſinu patris ipſe enarrauit. Quomodo & Sa- *Ioan.1.*
piens dicebat, Fons ſapientiæ verbum dei in excelſis. Verum *Eccle.1.*
qui fiat,vt ſic deus. ab intellectu noſtro cognoſci nequeat,
aliás diceremus latiùs. nunc Sapientem audiamus pulchrè
enarrantem,quo pacto filius dei verbum æternum patrem
ſuum declaret. ille enim ſic ait, Sapientia æterna(filius nimiũ *Sapien. 7*
dei æternus)candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine ma-
cula dei maieſtatis,& imago bonitatis illius. Infrà , Per na-
tiones in animas ſanctas ſe transfert,amicos dei & prophe-
tas conſtituit. Quæ omnia huc tendunt , quomodo verbum
æternum patrem ſuum manifeſtet & declaret.

3 Ad hãc itaque reuelationem omnes iam homines cõuo-
cãs Chriſtus ait, Venite ad me omnes qui laboratis. O vo-

cationem gaudio & consolatione plenissimam quia nō dicit,
Chrysost. inquit Chrysostomus, hic aut ille, sed omnes qui curis, qui dolore, qui peccatis laboratis, venite ad me: non vt pœnas luatis, sed vt dolores peccatáque vestra resoluātur. Venite ad me, non quia glorificari me à vobis opus est mihi, sed quia salutem vestram maximè sitio: reficiam enim ego vos. Et hoc sanè crediderim ad amplissimam illam Christi magnificentiam pertinere, quòd in vniuersum omnes vocauit deficientes in quibuscunque. Quā-tis sanctus Hieronymus peculiariter ad peccatores refert: siquidē verè pondus graue peccatum est, vnde & Zacharias dixit, peccatū insidere talēto plū-bi, & Dauid iniquitates suas grauatas super se conqueritur. Omnes igitur hîc Christus vocauit, sine dubio peccatores. Deinde ille hoc etiam de Iudæis exponit, pondere legis Mosaicæ grauiter oppressis, sicut & Petrus attestatus est cùm diceret, Quid tentatis deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Hoc illud leuaturus iam erat Christus, veluti dicens, Vos omnes qui in Iudaismo viuitis, qui tam diu onere legis grauiter pressi estis, venite ad me: Ecce Messias ego sum, faciliore illa lege euangelica refocillabo vos. per Moysen data lex est, atqui per me Christum gratia & releuatio facta est, dum facilia adeò seruatu instituit sacramenta, loco tot sacrificiorū, purgatoriū, & ciborū vitationū, &c. Theophy. eodē ferè modo intelligēs, Omnes, inquit, vocat, non solum Iudæos & Gentiles. Per laborātes intellige Iudæos, vt facientes traditiones legis, & in operatione mādatorū legis fatigatos: per oneratos autem Gētiles onere peccatorū oppressos, idololatria cæterisque immanissimis sceleribus contaminatos: sicut eorum vitia hinc inde ipsis Paulus commemorat. Consimiliter æterna dei patris sapiētia Christus Iesus vocat per Sapientem, dicentem, Venite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.

Hierony. Zacha. 5. Psal. 37. Act. 15. Ioan. 1. Theophy. Rom. 1. Eccle. 24.

4 Postremò nunc modum recenset, quoad eum veniant omnes, tollentes nimirū iugum illius super se, & discentes ex illo, quoniam mitis sit & humilis corde. Vbi facilè quis cōtra Lutherum & neochristianos quoscūque sustinere poterit, liberā nos habere liberéque operantem voluntatem, eò quòd nos tollere iubet dominus iugum suum non iussurus vtique nec tollere iugum, nec discere istud ex ipso, nisi liberum ar-

bitrium nostrum ope & auxilio gratiæ diuinæ quamplurimum valeret. Quæ sanè euangelij nostri pars est locupletissima, & illud. licet breuia paucáque verba complectantur, succum tamen habet vberrimum,& medullæ plurimum in intellectu atque expositione. Tantum hîc lubet verba adducere Origenis,cæteris enarrationibus posthabitis. Ait autem sic,Mirum quibusdam videtur, fratres charissimi, cùm audiunt dominum dicentem,Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Ait enim aliquis, Quomodo iugum eius est suaue & sarcina leuis, cùm omnes qui subierunt iugum ipsum intrepida ceruice, tantis agitantur & exercentur difficultatibus huius seculi, vt à quiete ad laborem vocati videantur? sicut & Paulus dixit, Omnes qui piè volunt in Christo viuere,persecutionem patiuntur. Alibi quoque parabola docet euangelica,quoniam paterfamiliâs noster Christus à quiete & odio nos vocat ad laborem,dicens, Quid hîc statis tota die ociosi? Quin potius ite & vos in vineã meã, portare pondus diei & æstus. Diu multúmque sustulit iugũ hoc sanctus Paulus,expertus vtique satis,quã suaue sit & leue, vnde nos quoque in Corinthiis suis docuit,vt nos exhiberemus in omnibus sicut dei ministros,in multa patiẽtia,in tribulationibus, in necessitatibus,in angustiis,in plagis, in carceribus, in seditionibus,in laboribus,in vigiliis,in ieiuniis,&c. Et adhuc plura libet audire,quæ in hoc iugo ferendo sustinuit Paulus. Ecce ipse inquit, à Iudæis quinquies quadragenas, vna minus,accepi,ter virgis cæsus sum,semel lapidatus sum, ter naufragium feci,nocte & die in profundo maris fui in itineribus sæpe,periculis ex gentibus, periculis latronum, periculis ex genere,periculis ex gẽtibus,periculis in ciuitate, periculis in solitudine,periculis in mari, periculis in falsis fratribus. in labore & ærumna,in vigiliis multis,in fame & siti, in ieiuniis multis,in frigore,&c. Hæc omnia hîc Paulo commemorata grauia sunt sanè,tristia & acerba. Cur itaque Christus iugum suum suaue esse prædicat? Responderi ad hoc potest. quamuis ista iam enumerata durissima sint,tamẽ eum qui patitur illa,gratia spiritus sancti consolatur interiùs: fouet etiam de die in diem, vt sic dulcedinem maximã sentiat animo suo,spe fultus atque adiutus salutis æternæ,cuius iam gustũ sensit,ideóque aduersitates omnes, vtut in se molestæ fuerant,& penè intolerabiles,dulcescũt,fiúntque leuissimæ.

Origen. *2.Tim. 3.* *Matt. 20.* *2. Cor. 6.* *2. Cor. 11.*

S. Lauren. Quo exemplo sanctus Laurentius craticulæ impositus, & igni admotus, sibi videbatur inter rosas iacere & lilia. Qua verò fortitudine animíque constantia tanta, tot subiisset Paulus labores, nisi gratia adiutus ac subinde confirmatus diuina? Sic nos quoque oremus dominum vt nobis quoque gratiam suam largiatur, quatenus iugum suum nobis dulcescat, & ita hîc euangelicam legem teneamus, vt tandem vita potiamur æterna. Id adeò ipse præstare digneris, ô dulcissime domine Iesu Christe. Amen.

DOMINICA SEPTVAGESIMAE EVANGELIVM.

Matthæi. 20.

IN ILLO *tempore, dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, Simile est regnum cælorum homini patri familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro ociosos, & dixit illis. Ite & vos in vineam meam: & quod iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam, & fecit similiter. Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios stantes, & dicit illis, Quid hîc statis tota die ociosi? Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit. Dixit illis, Ite & vos in vineam meam. Cùm sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo, Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos. Cùm venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi, acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant aduersus patrem familiâs, dicentes, Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei*
Infrà. 22. *& æstus. At ille respondens vni eorum, dixit, Amice. non facio tibi*
& 26. *iniuriam: Nônne ex denario conuenisti mecum? tolle quod tuum est &*
Eccle. 31. *vade. Volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet*
Sap. 19. *mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*
Mar. 10. *Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt vocati,*
Luc. 13. *pauci verò electi.*

HOMILIA I.

IN HOC euangelio Christus postrema conclusione declarat, quomodo & primi nouissimi, & nouissimi fiant primi. Quæ sanè parabola quanuis apertè ad prælatos ecclesiæ pertinet: nos tamen in ea explicanda communem sequamur doctorum expositionem. Simile, inquit dominus, est regnum *Regnum*
cælorum, &c. Hoc quia sæpe in scripturis est reperire, visum *cælorum.*
est semel hoc loco referre, quid ista sibi velit locutio. Et quanuis variè in scripturis vsurpetur regnum cælorum, vt interdum pro ecclesia triumphante, quomodo apud Matthæum *Mat. 6.*
Christus ait, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. alibi quoque iam Christus ipse, iam euangelium eius regnum vocat cælorum: sicut apud Matthæum. *Matt. 12.*
Omnis scriba doctus in regno cælorum, hoc est, in euange- *& 13.*
lio: hîc tamen & in consimilibus allegoriis per regnum cælorũ præsens designatur ecclesia, hîc in terris cõgregata: aliâs enim in ea nõ boni simul essent & mali pisces, prudentes virgnies & fatuæ. Cũque dicit dominus, Qui soluerit vnum de *Mat. 5.*
mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. non sanè erit in cælo qui malè facit & peccat, aut minus rectè docet: sed hîc in terris, in hac ecclesia militante in qua bonos inuenire licet & malos doctores æquos & iniquos: ibi nimirum minimus vocabitur, quamuis nunc (quæ & quàm peruersa est mundi iniquitas) maximi quíque iudicantur & doctissimi, qui pessimè docent ac prædicant, cuiusmodi sunt Neochristianorum prædicatores & seductores. Ratio autem cur ecclesia hæc in miserrima vita, multis iactata fluctibus, regnum tamen dicatur cælorum, reddi potest huiusmodi: quoniam Christus in ea per fidem regnat, ídque adeò esse verum, testatur Paulus, de deo patre sic loquens. Qui nos eripuit de potestate tenebrarum, *Colos. 1.*
& transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum. hoc est quod ex Gentilitatis caligine tenebricosa nos transtulit in ecclesiam catholicam, quam hîc regnum suum appellat. Sic ad Corin- *1. Cor. 15.*
thios dicit, Cum tradiderit regnũ deo & patri. Regnũ, inquã, in quo nunc regnat per fidem, traditurus est deo patri in die nouissimo: vt qui eius regni fuerant, eos remuneret in æter- *Augu. 38.*
na beatitudine: sicut Augustinus pulcherrimè exponit, Om- *q. 69.*

Ecclesia regnum cælorum. nes ii loci eò tantùm faciunt, vt certum sit, ecclesiam regnum appellari. Regnum autem cælorum dicitur ratione originis, conuersationis & finis. Et ratione quidem originis, quòd hanc habet ecclesia de cælo, testante idipsum Ioanne, cùm ait. Ecce ego Ioannes vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam, descendentem de cælo, à deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo: & audiui vocem de throno dicentem mihi, Ecce tabernaculum dei cum hominibus. Etiam ob conuersationem, quia omnes qui in ecclesia viuere, sic vt deo placeant, volunt, vitam oportet viuant diuinam & angelicam: sicut & Paulus dicit, Nostra conuersatio in cælis est. Similiter & ratione finis: si quidem hæc militans in terris ecclesia ad illam tendit triumphantem: quoniam & iuxta Paulum, nullam habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.

Apoc. 21. *Philip. 3.* *Heb. 13.*

2 Vbi iam regnum cælorum, Christus confert homini cuidam patrifamiliâs: certum est illum, qui vniuersam regit & administrat ecclesiam Christum Iesum esse, qui domum sanè habet amplissimam: cælum enim & terram, inquit, ego adimplebo. Vinea illius, ait sanctus Gregorius in homilia habita ad tres fontes, vniuersa est ecclesia, quæ ab Abel iusto vsque ad vltimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Hîc ille paterfamiliâs primo statim mane exiit vocare operarios in vineam suam: qui exitus non intelligitur secundum humanitatem. id enim vltima demum ætate contigit, cum filius dei homo factus est. namque suo seculo Ioannes dixit. Scimus quod nouissima hora est. atque ideo egressus ille ad vocationem, qui per opera factus est, venit accipiendus iuxta regulam Augustini, quando passiones deo attribuuntur, intelligendæ sunt in operibus illius tantùm: vt cum dicimus gaudere deum, significamus eum facere opus quod gaudium & lætitiã declarat. Rursus etiam, pœnitet deum facti & creati hominis: tantundem est ac si dicas, operari eum quiddam, quod pœnitentiam designat. Et deus irascitur, hoc est, in operatione sua se velut iratum exhibet. Si hoc quoque loco exitus ille, intelligendus est in opere, non substantia diuina. Quanuis hoc etiam obseruandum venit, quod in hac parabola vniuersa mundi huius duratio vnius tantùm dieculæ nomine significatur. Tempus vtique longum ab ipso mundi exordio & magnum, quoad nos, inquit Origenes: modicum autem quantum ad

Hiere. 23. *I. Ioan. 2.* *Regula sancti Augustini.* *Gene. 6.* *Origenes.*

dei vitam. Et quòd egressiones tot hîc commemorantur, argumentum euidens & diuinæ misericordiæ, quæ paternæ adeò prospicit nostræ necessitati, & id quidem assiduò. Nanque ab initio mundi vsque ad finem non desinit deus prædicatores mittere ad eruditionẽ hominum. Quæ quidem inuicta ratio est aduersus Neochristianos, qui ecclesiam sanctam tam diuturni insimulant erroris donec iam Lutherus cum fece hominum insanorum in lucem prodierit. Non sic vtique, non sic, paterfamiliâs enim noster deus æternus tam semper fuit humano generi propitius, misericors, donorúmque adeò liberalissimus largitor, vt non dimiserit homines, quin eius operarios mitteret in vineam suam, ecclesiam illam catholicam. Atque ideo nemo pius animum inducat, vt credere velit deum optimum maximum & eundem munificentissimum, permisisse ecclesiã suã labi & errare in sanctissimo illo missæ sacrificio, circa missas & vigilias pro demortuis, circa indulgentias, confessionem. &c. Aut si operarii quoque in vineam domini missi diiudicandi forent, nónne potius credendum fuerit esse eos, sanctum Augustinum, sanctum Cyprianum, sanctum Chrysostomum, sanctum Hieronymum, sanctum Ambrosium, sanctum Leonem Papam, sanctum Gregorium Papam, sanctum Basilium, sanctum Hylarium, sanctum Bernardum, quàm Lutherum, Carolostadium, Bucerum, Zuinglium, & id genus alios apostatas, votifragos & seductores, sibi quoque in propriis dogmatibus non constantes? Firmiter itaque quisquis verè fidelis haberi cupis, crede nunquam commitere deum, vt veris careamus prædicatoribus, sicut & hactenus nunquam illis caruimus. Nos modò curemus, vt eos audiamus, & doctrinam eorundem suscipiamus.

3 Quia parabola ista egressum esse refert patremfamiliâs ad constituendos operarios hora prima; primùm omniũ scire hîc operæprecium est, horas illas non eo modo esse supputandas, & more, quem communiter per Germaniam obseruamus: sed quoniam vt in aliis iuxta prouerbium, Lex & regio, ita in horarum quoque diuisione suus cuiq; regioni mos fuit. Est enim vbi exordium horarum sumi videas à principio noctis, vt cùm iam obscura nox est, hora signetur prima: hoc modo procedendo, per vigintiquatuor horas, vsque in diẽ sequentem: qui mos in Italia obseruatur. Astrologi verò suas

horas ordiuntur à meridie. Nos iam & ferè vndique per ecclesiam numerare horas incipimus à noctis dieique medio, Alij supputant à solis ortu vsque ad occasum eiusdem, sicuti nunc fit Nurembergæ & Ratisponæ, quæ etiam horæ dicuntur Iudæorum. Itaque horam hîc primam intellige ab ortu solis. Sed age videamus quomodo exiuerit dominus conducere operarios hora prima, deinde tertia, mox sexta, rursus nona, & tandem vndecima. Verùm hæc omnia quia non eodem omnes modo exponunt doctores, & quælibet tamen expositio ad spiritualem ædificationem animæ multum facit, lubet eas breuiter omnes explicare.

¶ Principio Chrysost. parabolam hanc asserit, velut typum esse vocationis omnium hominum, qui vnquam conducti vocatique sunt operarij in vinea domini, hoc est, animã pro-
1. Tim. 2. priã in lege diuina ad bonorum fructuum operationem exercere. Et quanuis deus, qua est misericordia & in genus humanum benignitate, omnes homines à iuuentute etiam saluos fieri, sicque ab initio in vineã cõduxisse voluisset, tamen non omnes eodem tempore homines paruerunt. atque ita à volũtate vocatorũ hæc differẽtia resultauit. Hac enim parabola significare Christus voluit, quosdã in infantia, alios in pueritia, in iuuẽtute & virili rursus ætate alios, alios etiã in extrema demũ senectute incipere seruire deo, & piè religiosèque
Galat. 1. viuere: sicut de se quoq; Paulus scripsit, Cùm placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiã suã, vt reuelaret filiũ suũ in me. Quãdo igitur deo placuit Paulus? cũ iã ei nihil resisteret: tantisper autem dum ecclesiam persequebatur, nihil minus quãquod placuerit deo pro operario vi-
Act. 9. neæ suæ: sed quãdo dicebat, Domine, quid me vis facere? ibi statim eũ cõduxit, cõstituitq; operarium vineæ. Sic & latronẽ demũ vocauit ĩ cruce, quẽ si antea vocasset, nequaquã illi par
Luc. 23. uisset. Quo fit, vt omnino docere hîc velit Christus, quomodo quidam iuuenes, quidam etiam senes veniant ad colendum deum: ne sic qui à iuuentute seruiunt deo, vel superbiant inflati, vel alios præ se contẽnant, & ne quis desperet etiam in ætate senili constitutus, modo se cõuertat ad deũ: tunc enim perfectam salutis recepturus est mercedẽ. Et hæc sanè sentẽ-
Hierony. super Matthæum. tia Chrisostomi est & Theophylacti, in quã Hieronymus quoque concedit, dicens, Mihi videtur primæ horæ esse operarij Samuel & Hieremias, & Ioannes baptista. qui possunt cum
Psal-

Psalmista dicere, Ex vtero matris meæ deus meus es tu. Tertiæ horæ operarii sunt, qui à pubertate seruire deo cœperunt. Sextæ horæ, qui matura ætate susceperũt iugum Christi. Nonæ, qui declinant ad senium. Porrò vndecimæ, qui vltima senectute. Et tamen omnes pariter accipiunt præmium, licet diuersus labor sit. Et hîc apud se quisq; cogitet, quomodo dominus Iesus à patre suo egressus sit in hunc mundũ, descẽdẽs in vterum matris in Betleem, venerit in desertum, in Hierusalem, tandémque in crucem, vndique te tantùm quærens & conducturus operarium vineæ, à pueritiâ statim pulsat fores cordis animíque tui, pacturus tecum: sicut & dicit in Apocalypsi. Ecce ego sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Quid multa? Aliud ne cogites, si quando deus cogitationem bonam tibi immitit, vel faciendi boni, vel mali vitandi, nisi ipsum iam tum venire deum, conducturus te operarium vinæ suæ, vt in ea labores & incumbas operibus bonis, conseruans mandata illius, qui diu multúmque solicitè laboraueras in carduis & spinis diaboli. *Psal. 21.* *Apo. 3.*

¶ Diuus Gregorius in alium sensum exponit, conductionẽ hanc nõ ad vnum hominem referens secundũ diuersas illius ætates, sed ad totius mundi ætates: dicens exiisse patrem illum familiâs, deum optimum maximum, hora prima, tertia & sexta, &c. hoc est, ab ipso iam inde mundi exordio, ad hominum reformationem prædicatores constituisse. Manè enim mundi, fuit ab Adam vsque ad Noe: hora verò tertia, à Noe vsque ad Abraham: sexta quoque ad Abraham vsque ad Moysen: nona autẽ à Moyse vsq; ad aduentum domini: vndecima ab aduentu domini vsque ad finem mundi. In qua prædicatores sancti apostoli missi sunt, qui mercedem plenam etiam tardè venientes acceperunt. In horis omnibus illis semper misit deus, qui mores hominum doctrina sua sana corriperent & informarent, patres, patriarchas, legislatorem Moysen, prophetas & apostolos. Hoc modo prima, tertia, sexta, & nona horis, antiquus ille Iudæorum populus vocatus est: hora autẽ vndecima, Gentium populus, cui & dixit dominus. Quid hîc statis tota die ociosi? Profectò enim qui tam longo tempore boni nihil fecerant ad salutem animarum suarum, ociosi adhuc stabant. Verùm illi respondent. Quoniam nemo nos conduxit, quasi dicerent, Nemo ad nos, nec patriarcha venit. *Gregorius*

nec propheta, qui veram salutis viam nos edocuisset, ita igno-
Gregorius rantes in idololatria perstitimus. Scribit super hoc Grego-
rius: Fratres, quid nos à bono opere cessantes in excusatione
nostra dicturi sumus, qui pene à matris vtero ad fidem veni-
mus? quæ verba vitæ ab ipsis cunabulis audiuimus, qui ab vbe-
ribus sanctæ matris ecclesiæ potum sanctæ prædicationis
sumpsimus, cum lacte carnis, qui pignus æternæ vitæ accepi-
mus sacramenta? Obsecro vos fratres charissimi, quando in
die nouissima iudicio nos sistet dominus, dicétque nobis.
Quid ita totum diem ociosi stetistis: Quid tūc dicemus? quo-
modo nos excusabimus? Non poterimus vtique dicere cum
Ethnicis. Quia nemo nos conduxit, omnes enim nos constitu
ti sumus operarij in vinea domini, sub ipsum iā olim baptis-
mum, vbi & diabolo renunciauimus & iurauimus simul atq;
Psal. 118. statuimus adhærere Christo ibi tum conductio nostra primū
cœpit, super eam deinceps spiritum sanctum nobis contulit
Christus, suóque nos sanguine mundauit à labe peccati ori-
ginalis. De ignorantia nos excusare omnino non possumus,
cùm tantū habeamus scripturarum, totidem prædicatores, vt
nullum prætexere queamus excusationis fucum, sed in igna-
uis ingratísque nobis implebitur illa sententia Christi: Ser-
uus qui cognouit voluntatē domini sui, & non se præparauit
Luc. 12. & non fecit secundum voluntatē eius, vapulabit multis. Vtut
igitur intellexerimus hunc patrisfamiliâs exitum, iuxta tem
pora mundi, siue secundum diuersas cuiuslibet hominis æta-
tes, vtrinque sanè videbimus nos conductos esse, nos, inquam,
cognitionē dei recepisse, nos habere sacramenta, sanctámque
euangelij legem, nobis cōstare mysteria incarnationis, pas-
sionis & mortis domini nostri Iesu Christi: ac proinde si irā
effugere volumus diuinā, laboremus oportet in vinea domi-
Iacob. 4. ni. Qui enim, vt ait S. Iacobus, scit bonum facere & non fa-
cit, peccatum est illi. Et quò plures maioresque gratiæ diui-
næ donationes accepisti à domino, vnde quod bonum est ma-
gis meliúsque intelligas, vt si donum scientiæ ibi contulit
deus, vel prudentiam præ cæteris maiorem, & fortunam fœ-
licitatémque splendidiorem, eò magis teneris ad operandum
Baruc. 4. bonum. Quoniam sic dixit Baruch propheta. Animæquior
esto populus dei, quia quæ, &c. Siquidem illud ipsum quo-
Psal. 147. que reuelare magna dei gratia est, cōfitente id Dauide. Qui
annunciat verbum suum Iacob, & iudicia sua Israël. Non

fecit taliter omni nationi. & iudicia sua non manifestauit eis. Ex multis autem praecipué in vinea domini constituti operarii, predicatores sunt & animarum curatores, peculiares quidam serui in hoc à deo conducti, vt operentur in vinea, non priuatum quaerant tum commodum, tum honorem, homines falsis seducant doctrinis, ipsique interim in vinea nihil laborantes, alios quoque ab operando dehortantur & deterrent ij sunt, qui necessarium non esse docent, festos dies piè & sanctè transigere, orare, ieiunare, confiteri, sacramenta suscipere &c. ij, inquam, isti sunt, de quibus dicit Hieremias, Pastores multi demoliti sunt vineam meam, isti nimirum pseudoprophetae & praedicatores peruersi, de quibus hinc inde Paulus & ad Corinthios praecipue, Pseudoapostoli, inquit, operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi, cùm intrinsecus sint lupi rapaces. Vae vae, non istis tantum praedicatoribus, sed omnibus etiam eorum sequacibus, qui in fide Christi iam inde à lacte materno educati eadem confessi sunt, & docuerũt alios: iam verò paruo exorto ventulo tentationis, resiliunt & decidunt. Audite quid Petrus princeps apostolorum dicat, Melius erat illis non cognoscere viam iustitiae, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Cauete vobis & prospicite in Christo dilectissimi, neque istos audite seductores, qui tantum persuadere vobis conantur, vt in foro semper stetis ociosi, dehortantes vos ab omni bono. Quin eos potius sequimini, qui vos voce hac euangelica Christi ablegant & mittunt in vineam dominicam, vt ibidem operemini, non viuatis secundum concupiscentiam vestram malam: sed laboretis in ieiunio, orationibus, visitandis templis, confessione & poenitentia, caeterisque operibus bonis, iuxta obseruationem & morem Christianorum: vt ipsi quoque denarium diurni tandem laboris suscipiatis à domino deo, qui est in secula benedictus. Amen.

Hiere. 12.

1. Cor. 11.

Mat. 7.

2. Pet. 2.

HOMILIA II.

PAtet in hoc euangelio, patrem illum familias, deum esse omnipotentem: vineã verò, ecclesiã catholicã: operarios, predicatores, magistratúsque & spirituales & seculares: atque in summa Christianos omnes. ij laborare tenentur diẽ in quẽ conducti sunt, hoc est omni tempore vitae suae, operibus bonis studere dum licet, nanque cùm aduesperasset, actũ erit neque

enim nocte in hac vinea laborari solet. Atque hinc quidem colligere licet, quòd omnia merita nostra nobis sint in hac vita præsenti comparanda, nec aliquod eorum in futurum tempus differre, dum quod alicubi impiè & hæreticè docuit Lutherus, nunc quoque non paulò factus deterior, purgatorium penitus negat. Verùm tantũ hîc in hac vita fieri posse, vt aliquid mereamur, constat ex apertissimo textu euangelij, vbi
Ioan. 9. apud Ioannem dominus sic ait. Operamini dum tempus est, veniet nox, quando nemo potest operari. Ergo operari tantùm possumus in die, hoc est, vita præsenti. Et hunc esse intellectum verum, sequentia etiã verba manifestè satis arguũt. Quandiu sum in mũdo, lux sum munndi. ostenditur enim hoc modo quid antea per diẽ significatũ fuerit, presens nimirum
Chrys. hæc vita. Ita hoc etiam Chrysostomus exponit, cùm ait, Me oportet operari donec dies est, hoc est, dum licet hominibus in me credere, dum hæc durat vita, laborandum est. Venit nox, hoc est, futurum tempus, quando nemo poterit operari. Non dixit, quando non potero operari, sed nemo potest operari id est, quando non amplius est fides, neque labor, neq; pœnitentia. Id adeò hîc etiam liquet in euangelio, cum facto
Mat. 20. iam vespere vocantur operarij, datáque illis mercede, finis im
Psal. 103. ponitur labori. Vnde & Dauid dixit, Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam. Ecce inter diu tantum in hac præsenti vita operari & mereri licet, post mortem nullus meritis locus. Vos itaque charissimi, in vineã cum sitis vocati dominicã; hîc in vita operamini, dum dies est: nihil cum impio Luthero, in seu post mortẽ, differre: tunc etenim nemo laborare poterit, iuxta testimoniũ domini, ip-
Galat. 6. sámque adeò exhortationẽ Pauli, dicentis, Dum tempus est, operemur bonum ad omnes, hunc ita fideliter vos admonẽtẽ sequimini, & istud prudentissimũ Sapientis consiliũ. Quodcũq; man⁹ tua potest facere, instãter operare, profectò enim
Eccle 9. effectu ipso verum cõperietis esse illud Pauli. Quod quisque
Gala. 6. seminauerit, idẽ & metet. Tempus sementis, inquit S. Hiero. tempus est præsens, & vita quam currimus. In hac licet nobis,
Hyerony. quod volumus, seminare. Cùm ista vita transierit, operandi, tempus aufertur. Hoc idem ex Pauli verbis intelligitur, cùm
2. Cor. 5. ait. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonũ siue malũ. Vides recepturũ vnũquẽque secundum quod ope-

ratus est in vita præsenti, non post mortem, vt turpiter & vanè somniat Lutherus. Sed & diuus Augustinus hoc idem confirmat, dicens, Nemo se speret, quod hîc neglexit, cum obierit, apud deum promereri: nam hîc omne meritum comparatur, quo poßit post hanc vitam releuari quispiam vel grauari, Quò fit vt admonendi hîc mihi sitis, quatenus caueatis vobis ab isto pestilentißimo dogmate, quo diabolus decepturus vos inani futurorum spe lactat, persuadere conans, vt opera bona nunc intermittatis, confidentes multum apud deum vos in futura vita merituros Nihil minus profectò, nihil minus, nequaquam differte: nocebit ista vobis mora, nihil agetis. Patiuntur quidem in purgatorio animæ, sed nihil merentur: omnísque earũ paßio, quædã solũmodo satisfactio est pro peccatis: quæ quamuis contrito corde fuerant confeßi, plena tamen satisfactione non deleuerant. Quid itaq; multa hic operandum est in uinea domini, non post hanc vitam. *Augustin.*

2 Nunc porrò ex sanctis patribus inquiramus, quænam ista merces, & quis sit denarius diurnus, quem ille promisit operariis. & hunc inuenio vitam esse æternam, iuxta Gregorij & aliorum expositionem, quomodo facilè est intelligere, qui factum sit quód operarij, qui & prima hora diei & postrema venerant, æqualem mercedem receperunt: hoc est eandem beatitudinem, est enim eadem beatitudo obiectiua omnino beatorum, deus ipse benedictus, licet inæqualiter illa participetur, dif. liber. quatuor, si quidem vera illa beatitudo qua angeli & sancti omnes beati existunt, ipsa est essentia diuina, quæ sanè immensa est, tum angelorum, tum animarum nobilißimáque dignitas, quod beati nisi in essentia diuina non possunt, quapropter & Dauid dixit, Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Denarius igitur pro quo laboramus, deus ipse est: beatitudo essentialis, qua tamen pro suo quisque merito magis minúsque gaudebit. Videte & considerate hîc mihi, in Christo dilectißimi, quæ & quàm splendida nobis proposita sit laborum nostrorum merces, in hac vinea dominica. O denarium diurnum verè maximum, maximíque valoris: ô tamen nos torpentes & ignauos, qui parum commouemur, nihilque ferè incitamur illa mercedis magnitudine, quam & dilecto amico suo Abrahæ olim reuelauit dominus, dicens, Ego protector tuus sum & merces tua magna nimis! O domine Iesu Christe, mercedem hanc tan- *Gregorius* *Psal. 16.* *Gene. 15.*

tam, te ipsum scilicet, nobis quoque communicare digneris. ¶ Si autem quæras cur beatitudo denarius appelletur, respõdeo id & meritò hîc à Christo fieri:& quidẽ non absque causa exprimit numismatis genus, non in communi, sed specialiter denarium. Denarius enim à decem deducitur:& quodam

Origenes. salutis nomen esse denarium olim dixit Origenes. denario autem illo, decem præceptorum seruatorum merces designatur. Denarius impressam sibi habet Cæsaris imaginem sicut

Mat.22. apud Matthæum legis, quando denarium exhibebant Christo Iudæi, illéque rogaret, cuius ista esset inscriptio, ipsique responderent. Cæsaris. Neque aliud quicquam significat, quàm perfectam dei in sanctis suis imaginem, quando Christus, vera vtique dei patris sui imago, consignaturus est beatos proprio suo sigillo, quo remunerantur illi in perpetuũ: quod & Io

1.Ioan.2. annes agnouit, dicens, Scimus quoniam cùm apparuerit, simi les ei erimus. (ecce imaginem) videmus enim eum ita vt est.

Rom 8. de qua similitudine & Paulus loquitur, Quos prescíuit & præ

Genes.1. destinauit, conformes fieri imaginis filii sui. Sed & hîc in terris similitudinem quandam & imaginem habemus dei ad quã conditi sumus, sed eam imperfectam, tenebris & caligine obductam in quibusdam, in aliquot etiam ex peccato penitus

Psal.72. extinctam atque deletam: sicut ait Dauid, Imaginem eorum ad nihilum rediges. Expressa autem imago dei erit in beatis & electis, qui denarium æternæ recipient beatitudinis.

3 Deinceps vero sequitur in parabola. Conuentione facta cum operariis ex denario diurno. Vbi notanda sunt duo. Alterum, æquum & iustum esse, vt deus operariis suis hîc in terris denarium præbeat salutis æternæ, ex præscripto benignissimæ maximæque misericordiæ & propriæ iustitiæ suæ: quando promisit atque recepit se nobis vitam daturum immortalem, si custodierimus præcepta sua. Vbi licebit cernere, quomodo ille beatitudinem det nobis, & ex gratia & ope ribus, ex iustitia & misericordia sua quidem, non operibus

Rom.8. in se: cùm iuxta sententiam Pauli, non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Verùm gratia dei ea est, quæ opera nostra, cùm per se nihil sint, facit ita accepta deo, vt ea velit vita remunerare æterna: illáque gratia est ex qua saluamur, Hinc falsitas patet Lutheranæ hæresis, quæ impio dogmate opera nostra omnino reiicit, vbi Lutherus tanquam diaboli apo-

ſtolus homines ab operibus bonis auocare conatur, maliſque aſtringere, nam iſta interim fæx hominum à malis non abſtinet, vt ſic iuſtè tandem condemnetur. Aut vbi minus diuini cultus, minus ceremoniarũ, minus ieiuniorũ orationúmque inuenies, quàm ſi aliquam Lutheranorum aut aliorum neochriſtianorum ciuitatem ingreſſus fueris? Omnia hæc defecerunt apud eos: ſed luſus, voracitas, temulentia, perpetua conuiuia, blaſphemiæ, mendacia, aſtus, doli & fraudes, vſuræ, exactiones, miſerorum & pauperum oppreſsiones, impudicitia, adulteria, ſuperbia, & id genus mala innumera in ſummo precio habentur, nihil horum minuatur. Sed & Chriſtianus quicunque, qui rationem modo habet, nec cæcus omnino eſt & inſanus, quomodo tandem operibus bonis adverſari poteſt & repugnare, vel etiam reiicientem ea audire, cùm tamen ſi nullus nobis alius eſſet ſcripturæ locus, vel vnum hoc Euangelium, poſſet hæreſim hanc refellere validiſsimè? Ecce enim hîc paterfamiliâs operarios conducit in vineam ſuam, non ocioſos & torpentes, cuiuſmodi ſunt iſti neochriſtiani, qui nihil laborant. Mittit in vineam, non vt ibi ſtent ocioſi, nihílque agentes: eos enim reprehendit, ad omnes neochriſtianos dicens, Quid hîc ſtatis tota die ocioſi? Non poſſunt autem iſti dicere, quod nemo ipſos conduxerit, quia Papa, Imperator, & tot catholici principes, epiſcopi Germanicæ nationis, omnes eos conduxerunt, vt laborarent in vinea, iuxta ordinationem & conſuetudinem Chriſtianam viuerent, vt iam nullo pacto queant ſe excuſare. Et eſſe quidem hanc doctrinam falſiſsimam, deóque & ſpiritui ſancto aduerſam, quanuis ad probandum (vt diximus) ſufficiens hoc eſſet euangelium, libet tamen plures in eam rem afferre ſcripturæ ſanctæ locos. Quo pertinet illi quos ſuprà ex Sapiente & Paulo locos citauimus, quonam ipſi quoque ad opera bona ſectanda nos exhortantur; ad Petrum venio, qui ſic ait, Fratres, ſatagite vt per bona opera veſtra certam vocationem veſtram & electionem faciatis. Audi mihi hîc Petrum, qui quantum operibus bonis tribuit, tantum eiſdem Lutherus adimit tum reiicit illa, eóſque qui opera bona faciunt, phariſæos cognominat. Et ea nobis cęcitas eſt, tam cæca caligo, vt plus cupiamus credere octenni hæretico, quàm Chriſto & Petro? Paulus quoque nos ante tribunal Chriſti accepturos commemorat, put geſsimus, ſiue bona, ſiue mala.

Eccle. 9.
Galat. 6.
2. Pet. 1.
1. Cor. 5.

Nihil igitur recipient ibi omnes Lutherani, quia nihil operantur. Ad Hebræos etiam idē dicit, Non iniustus est deus,
Heb. 6. vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Gaudete quotquot estis catholici & Christiani homines, nō vult obliuisci dominus operum bonorum vestrorum. en eius rei sponsorem & vadem vobis Paulum. ne itaque deterreamini, neq; auocemini ab operibus vestris bonis: quāuis vos rideant omnes neochristiani, operum in quam vestrorum non obliuiscitur deus, cùm interim operum bonorum ipsorum neochristianorum non meminerit, eò quòd nulla faciunt. Alibi adhuc Paulus, Deus, inquit, vnicuiq; red-
Rom. 2. det secundū opera eius. Neque auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Nō sunt itaque opera bona reiicienda aut contemnenda, quia iuxta illa omnis erit à deo remuneratio: operemur modò nos opera bona quāplurima, & abundanter recipiemus à deo mercedem, siquidē gloria & pax omni operanti bonum. Quid quod Ioannes di-
Apoc. 14. cit, Opera eorum (scilicet mortuorum) sequuntur illos? que sanè Christianorum omnium & summa & fortissima consolatio est, qm̄ tūc cùm amici nulli, opes & diuitiæ nullæ, nulli honores, nihilque etiam maximarum potestatum, morientem iam sequuntur hominem, sola illum comitantur opera, neque eum destituunt, sed cū ipso vsque ad iustissimū progrediuntur iudicem, coram eo, hominem cuius sunt, defensura.

¶ Hoc ipso solatio tanto neochristiani isti priuare conantur
Iacob. 2. omnes pios, dū eos ab operibus ad solam fidem reuocare student, contra expressam scripturam, vbi Iacobus dicit, Quid proderit, fratres mei, si fidē quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides saluare eum? Quasi diceret, non. fides enim sine operibus per se iam mortua est. Sed adhuc fortiùs probari tibi cupis, quoniam fides sine operibus
Matth. 7. vana est: en tibi Christum dicentem, Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Hæc ad longū inducere nunc visum est, quanuis prolixiùs omnia & iis plura referri poterant, ne animum ab operibus bonis vestrum auertatis: sed in iis vosmet exerceatis diligenter, vt & hîc gratiam à deo, & illic denarium diurni operis recipiatis.

¶ Vt autem finis sermonis nostri superioribus verbis cōsentiat, dico ex iis verbis, quando paterfamiliâs conuenisse le-

gitur cum operariis, notanda duo me proposuisse: alterum quod deus ex promissione illa sua benignissima, operibus hominum vitam debet æternam, iuxta misericordiam suam summam: alteram verò, quoniam opera nostra meritoria sunt non ex seipsis, aut eorum essentia genuina, neque ex nobis: sed ex propitia & optima illa voluntate dei, qui opera nostra & operatus est ipse, & tam misericorditer suscipere dignatur, vt etiam haustum aquæ frigidæ irremuneratum nolit abire. Et quanuis ex mera gratia & misericordia fælicitas illa nobis tribuatur, tamen Paulus quoque iustitiam vocat, sibi repositam, inquiens, esse coronam iustitiæ, quam ipsi redditurus sit dominus in illum diem iustus iudex. Ecce hic & iustitiæ coronam, & qui eandem dat, iustitiam iudicem, & in hoc euãgelio eundem quod iustum fuerit dare se promittẽtem: quomodo Dauid quoque dicit, Retribuet mihi secundum iustitiam meam. Sunt tamen omnia hæc, non de ista rigida iustitia æqualitatis intelligenda, quam deprecatus est & ipse Dauid cùm oraret, Non intres in iudicium cũ seruo tuo, quia nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Accipienda itaque veniunt omnia ista de benigna illa misericordi iustitia, de qua magnus ille misericordiæ diuinæ admirator Dauid ait, Misericordia & pax osculatæ sunt. Vos igitur, in domino charissimi, cùm à deo constituti sitis atque vocati operarij vineæ suæ, cùm pactus ille sit vobiscum de mercede denarij, quem daturus est vobis pro laboribus & operibus vestris bonis, agite accingimini fortiter, maturatè gnauiter, neque hæsitatè quicquam, vt cùm vesper aduenerit, occasuro iam sub mortis vestræ tempus sole, mercedem illam immensam vitæ recipiatis æternæ, quam vobis vnà mecum largiatur dominus noster Iesus Christus, Amen.

Matt. 10. *1.Tim.4.* *Matt. 20.* *Psal. 17.* *Psal. 142.* *Psal. 84.*

HOMILIA III.

EVangelium illud hodiernum solicitè obseruare nos admonet, quomodo in vineam domini omnes nos operarij conducti simus, proposita nobis pro laboribus nostris diurni denarij mercede. Vbi obiicere quispiam nobis posset, Si in vinea dominica laboro, charitate carens frustrà laboro: quia & Paulus dicit, Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Cùm igitur operarius iste charitatem dei habet, nihil quærit de mercede, *1.Cor. 13.*

nec denarium desiderat, nec pactione indiget, vltró enim & voluntarié quisquis charitatem habet, facit quod suarum est virium sine omni mercede. siquidem & Paulus dixit, Charitatem non quærere quæ sua sunt. & Bernard, Seruiamus inquit, deo in charitate, quæ foras mittit timorem, quæ laborem alleuiat, præmium non quærit: quippe quæ non quærit quæ sua sunt: & quia grauita est, meritum non respicit. Hæc inuoluta sanè videntur, & quá tandem nobis elabi dabitur? Proposuimus autem illa vobis eò maximé, vt discatis nō mala tantùm fugere, sed & bona quæ agitis, cum magna cautela timere quod nimirum illud est vulgare,

1. Cor. 13. *Bernar. lib. de dil. deum.*

Quicquid agunt homines, intentio iudicat omnes.

¶ Et hic quidem respondeo primùm, quando merces multiplex est, posse homines quod bonum est facere propter mercedem illam infinitam deum ipsum, qui vtique merces vera est omnibus timentibus eum, merces magna nimis, merces quædam increata. Ille enim est qui ad Abraham dixit, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. & apud Ioannem, Merces mea mecum est. Quomodo boni omnes operarij dei sunt, laborantes pro denario, qui deus ipse est vita æterna & salus atque felicitas beatorum, & sic omnis vita nostra, vita est öperariorum! & vt Iob inquit, militia quoquedam, sed & sicut dies mercenarij, dies hominis sunt atque sicut ceruus desiderat vmbram, & mercenarius præstolatur finem operis sui, &c.

Gene. 15. *Apoc. 2.* *Iob 7.* *Iob 14.*

2 Potest enim mercenarius præcipué respicere præmium temporalem & retributionem magis quam eum, cui seruis, dominum. Cuiusmodi sané mercenarij, qui non ex charitate, sed sola mercedis spe ducti laborant, mali sunt & deo contemptibiles: siquidem præmia diurna talia, quia contra charitatem sunt, ipsum deum, qui quidem charitas est, offendunt. In hac charitate quisquis manet, in deo se sciat manare: ideóque & Christus mercenarios apud Ioannem vituperat, dicens eos vel lupo vel quacunque tribulatione irruente, mox aufugere: quoniam mercenarij tantùm erant. Huiusmodi quoque sunt omnes isti, qui aliquid boni faciunt propter temporale quiddam hîc in terris, qui sanctos dei ob res caducas & carnales venerantur, quæ æterna sunt, nec videntes, nec meditantes. Audi igitur de pharisæis quid dixerit Christus, Receperunt mercedem suam.

1. Ioan 4. *Ioan. 10.* *Matth. 6.*

Quid sic mercenarij erant.

3 Sunt qui bonum faciunt præcipuè propter deum, qui summum bonum est,& tamen sinistro oculo nonnulli attendunt ad remunerationem concurrentem: quanuis enim aliquis deo seruit tantùm propter bonitatem suam, adeò tamen & mitis & liberalis est deus, vt ex promisso etiam nolit opus istud bonum irremuneratum. Ideóque & diligit aliquis deum amore amicitiæ, & tamen cupit eũ intueri, habere, ipsóque perfrui amore cõcupiscentiæ, dicens cũ Paulo, Cupio dissolui,& esse cũ Christo. Quod cũ petierit Paulus, quilibet etiam potest sanctus à deo petere: & qui hoc modo etiam ob mercedem seruit deo, non præcipuè, nec peccat, nec malè in hoc facit. De huiusmodi enim mercenario locutus fuerat filius prodigus, Quanti mercenarij abundant in domo patris mei panibus? Ecce ij mercenarij cum sint, in domo tamẽ sunt patris, & ibi quidem abundant panibus hoc est, remuneratione, delectatione, & gaudiis. Hoc idem testatur sanctus Ambrosius, Multi, inquiens, sunt qui in spe æternorum bonorum deo seruiunt, qui abundant panibus fidei, spei, & charitatis. Eodem modo & Dauid ait, Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem. Intellige tamen minus principaliter, consecutiuè, &c. sic quoque in omnibus scripturæ locis intelligendum est, quicquid de mercede & remuneratione ibi habetur, vt cùm Sapiens dicit, Seminanti iustitiam merces fidelis.& cùm de iustis loquitur, dicit, Apud dominum est merces eorum. Item, Reddet dominus mercedem laborum sanctorum suorum. & alibi, Quoniam merces domini manet in æternum. In hoc etiam Christus apostolos suos gaudere & exultare iussit, quod merces eorum copiosa esset in cœlis.& apud Lucam, Omnis mercenarius dignus est mercede sua, Rursus quoque, Qui metit, mercedẽ accipit,& congregat fructum in vitam æternam. Similiter & Paulus dicit, Si volens hoc ago, mercedem habeo, & Ioannes nos omnes admonet, cum ait, Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis, sed vt mercedem plenam accipiatis. Sed& Sapiens inquit, Qui timetis dominũ, credite illi, & non euacuabitur merces vestra. Et iterum, Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundũ meritum operũ suorum. Hos ita locos libuit adducere copiosiùs, vt huic quilibet videat quam variis multísque modis certò sibi promissa

Philip. 1.
Luc. 15.
Ambro.
Psal. 118.
Prou. 11.
Sapien. 5. & 10.
Eccle. 18.
Matt. 5.
Luc. 10.
Ioan. 4.
1.Cor.9.
Ioan. 2.
Eccle. 2.

sit per spiritū sanctū in literis sacris merces illa & remuneratio æterna: cognoscat insuper iniustū nō esse, seruire deo, principaliter quidem, propter suam bonitatem, deinceps verò & ob beneficia & retributionem: vnde sequitur argumēto fortissimo, opera nostra meritoria esse vitæ æternæ, contra neochristianos, qui illa omnino respuunt & reiiciūt. cōtra manifestas & apertissimas scripturas, qui ideo merita quoque nostra negant. Qui sanè error superioribus illis scripturarum locis infringitur validissimè: hoc tamen adiuncto, quoniam qui seruire intenderet deo propter hoc tātùm, vt ab eo saluaretur, & à malis omnibus liberaretur maioris sic faciens salutem suam voluptatem quàm deū ipsum, is vtique & peccaret: & pessimè in hoc faceret, mercenariū semet exhibens contemptum & abiectissimum, dum abuteretur deo: quæ summa peruersitas est, vt scilicet, fruendis, & frui vtendis, ait Augustinus.

August.

Matt. 20. ¶ Porrò iam post hæc sequitur in cōtextu euāgelico, cùm sero factum esset, dixit dominus vineæ procuratori suo. Hîc iā explicandum est, quis sit ille vesper, & quis iste sit dominicæ vineæ procurator. Prius illud geminum habet intellectum, siquidem & suus cuíque homini est vesper, mors ipsa,

Hebr. 9. in qua omnes iudicabimur: quandoquidem iuxta Pauli sententiam constitutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem iudicium. Si ergo fertur iudicium, sequetur illud etiam merces & præmium, quando proprium hoc est iudicj, expendere quid quisque meruerit, & an fideliter laborauerit Deinde etiam de totius mundi vespero intelligi idem hoc potest, mundi enim cùm iam imminebit consummatio, omnes homines ad iudiciū conuocabūtur hac voce.

Grego. Surgite mortui, venite ad iudicium. Qua de re multa à no-

Hierony. bis dicta sunt in homilia de extremo iudicio. Diuiso hæc ad duplicem istum iam supra datum intellectum refertur, ita vt si per horas vocationis in vineam accipiamus variā mundi ætatem, & hîc vespere de mūdi consummatione veniet intelligēdus: sin verò horæ istæ referantur ad alias aliásque vnius hominis ætates, vespere hîc quoque pro morte cuiuslibet hominis erit accipiēdus. Simile planè & de procuratore iudiciū est, quem tamen nonnulli angelos ipsos interpretantur, qui animas aut ipsos etiam, quorum custodiæ traditi fuerant homines, deo iudicandos offerent iuxta illud Chri-

ſi verbum, Mittet angelos ſuos cum tuba & voce magna, *Matt. 24*
qui congregabunt electos à quatuor ventis,à ſummis cœlo-
rum vſque ad terminos eorum. Quod ipſum Marcus quo- *Marc. 13.*
que teſtatur. Verùm quia nõ angeli mercedem dabũt homi-
nibus,qui fieri poſſet,vt hic per procuratorem qui denarios
mercenariis diſtribuit,deſignarentur? Ideóque,vt propoſui- *Origen.*
mus,procuratorem quoque duplici ſenſu,quis ſit, intellige-
re poſſumus:vel enim horarium conductionem computa-
mus ſecũdum hominis ætatem, veſperum ſi quoque intelli-
gentes hominis mortem,&ſic procurator iſte S. Michael erit *Sanctus*
archãgelus,cui data poteſtas eſt à deo,ſuſcipere animas ho- *Michael.*
minũ ſub mortis horã,& ſingulorũ ponderare ad iuſtũ lan-
cis examen merita,ad declarandum quinam denario diuino
ſint digni. Vt neque malè neque immeritò pingatur ille ob
oculos vulgi cum bilance ſeu trutina, quando & eccleſia de *Eccleſia.*
eodem canit,Archãgele Michael, cõſtitui te principem ſu-
per omnes animas ſuſcipiendas. Idẽ quoque animas electo-
rũ iudici Chriſto & æterno lumini repræſentat, ſicut iterum
de eo canit eccleſia,Signifer S. Michael repræſentet eas in
lucem ſanctam. Sũt deinceps qui procuratorẽ vineæ Chri-
ſtum ipſum accipiant,qui licet paterfamiliâs eſt ſecundum
diuinitatem,procurator tamen non malè intelligitur ſecũ-
dum humanitatem,& ſicut ianua ſimul eſt, & ianuæ cuſtos,
ita & paterfamiliâs & procurator. Dicit ergo paterfamiliâs *Ioan. 10.*
procuratori,Voca operarios,& redde illis mercedem. Ita &
deus pater Chriſto ſuo cõmittit,qui homines omnes cõuo-
caturus eſt in diẽ nouiſsimũ, vt ſinguli eorũ recipiant iuxta
merita ſua. Omne enim iudicium pater dedit filio. Qui iã *Ioan. 5.*
ſecũdum traditum ſibi prouinciam iudicabit in ea tum for-
ma,tum natura,in qua iudicatus eſt ipſe. 3 Sed nunc tan-
dem ad huius homiliæ cõcluſionem de hac dominica ſubiũ-
gamus paucula,quam cõmuni Chriſtianorũ more Septuage *Septuage*
ſimam dicimus,qua & Alleluia intermittitur ſiue abiicitur. *ſima.*
Vnde autem ſeptuageſimæ appellatio huic data ſit diei,me-
mini quoſdam eius eſſe ſententiæ, vt dicant id ideo factum,
quòd ſeptuaginta ſunt dies ab hinc vſque ad ſabbatũ illud,
quod quondam in albis dicebatur,quoniã in eo baptizati,al
bis induebantur. Iſti iam 70. dies ſignificarent vtique exiliũ
noſtrũ,quo iã in hoc mũdo peregrinamur a domino,ſicut Iu
dæi ſeptuaginta annis fuerũt in Babylonica captiuitate. Ita

Hiere. 25. enim hîc recolit ecclesia, quomodo pulso ex paradiso Adã in
Gene. 3. hoc exiliũ miserrimũ, ipsa in eodem adhuc luctetur & laboret tantisper, dum Christi expectet redẽptionẽ: in quem sensum plerique illi omnes missæ hodiernæ cantus tendũt. Atque ideo sicut Iudæi veniam redeũdi septuaginta demũ exactis annis impetrarunt, qui eis reditus vix tandem vltimo ex omnibus illis anno contigit, ita nos quoque die sexagesimatertia, quæ vigilia est Paschæ rursus incipimus cum gaudio exultantes canere Alleluia, annũciatã nobis iam tum Christi gloriosissima resurrectionémq; dũ tamẽ pleno & perfecto gaudio, nisi & albis vestiamur à deo in æterna felicitate, quod proximo post Pascha sabbato designatur. Et hoc nimirũ est quod tũc Alleluia in omnibus missis vsque post Pentecosten geminatur. Neque hinc abludit quod in matutinis, tunc liber Genesis legitur, vbi parentum nostrorum lapsus vita & mors describuntur. Atque hæc communis sanctorum patrum sententia est, cui licebit acquiescere.

¶ Non desunt tamen qui altiùs rem hãc cõtemplantur, volentes dominicam illam septuagesimam dici, nõ ob captiuitatẽ Babylonicã, neque propter septuaginta dies vsque post Pascha numeratos, sed secũdum hebdomadas: quòd hæ iam ex ordine sequentes maximis sint in officio suo mysteriis insignes, significantes adeò septem ætates mũdi: primã ab Adã,
August. secundam à Noe, tertiam ab Abraham, quartam à Dauide, quintam à Babylonica captiuitate, sextam & vltimam ex Christo vsque ad mundi consummationem, septimam verò requiem illam in quam quotidiæ sanctæ cómigrant animæ. Rectè igitur hodie in persona hominis sancta inclamat mater ecclesia, hominis inquam, qui iam expulsus erat ex fœli-
Gene. 3. citate paradisi, & à facie domini reiectus, Circundederũt me gemitus mortis, dolores inferni circũdederũt me. Et rursus vltima huius ordinis & numeri dominica, quæ quadragesimæ media est, in qua & designatur mysticè quomodo læti ex hac tum peregrinatione, tum valle miseriæ & lachrymarũ ad vitam reuertamur æternam: tunc nimirum gaudiis plena, illud propheticum audit & canit ecclesia, Lætare Hierusalem, & festum facite omnes qui diligitis eam.
Esa. 66.

¶ Ratio autem istarũ septimanarum, cur tandem ab hac do-
Grego. minica incipiant, reddi potest huiusmodi quia S. Gregorius & diligens & fidelis in officiis diuinis digerẽdis, ex illo, quẽ à

ſpiritu ſancto habebat, ſenſu, intellexit venerandam Chriſti paſsionem ab omnibus ſanctis exigere teſtimonium, quotquot etiam fuiſſent ab origine mũdi. Cùm itaque videret ille iam ab anni initio ſacra officia Incarnationi, Circũciſioni & Epiphaniæ eſſe deputata dominicæ, tũ ſacris regibus tũ iis qui Hieroſolymis erant doctis Iudæis, & omnibus denique populis, tam doctrina ſua quàm miraculis, & poſt hæc commemoratio ſequi deberet paſsionis & mortis domini: facto regreſſu ad ipſum mundi exordium per omnes ætates, ſingulas ſanctorum voces ſingulis accommodauit diebus dominicis, eò quòd ſanctorum omnium à condito vſque ad eundem conſummatum mundum, & ſalus, & expectatio vna fuerit, paſsio ſimul ac mors amariſsima Chriſti. Et hæc iam cauſa ſubeſt, quamobrem dominicæ illæ ſeptem in hũc venerunt ordinem, ab hinc vſque ad dominicam paſsionis: quæ dies à die ſancto paſchæ decimuſquartus eſt. Ex iis hodierna hæc prima eſt, qua primæ ætatis ſancti Adam, Abel, Seth & Enoch inducuntur.

¶His itaque præmiſsis, quis vel cæcus nõ videat illam quæ vltrò ex iis ſequitur cauſam, cur Alleluia, quod gaudij & lætitiæ cãticum eſt, in hac dominica intermittitur, cùm enim illi ſeptuaginta dies vitam vniuerſam hanc noſtram quæ per captiuitatem Babylonicam ſeptuaginta annorũ ſignificatur, deſinent: rectè nunc deſinimus illud glorioſum Alleluia canere. Hoc iã olim in ſpiritu præuidit Dauid, inquiẽs, *Pſal. 136.* Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. & infrà, Interrogauerũt nos qui captiuos nos duxerunt, verba cantionum. Et qui abduxerunt nos, hymnũ cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cãtabimus canticum domini in terra aliena? Sed nũc de illo quoque cantico Alleluia, paucula ſubdamus: quia & vox in eccleſia planè vſitatiſsima & Hebræa eſt: vt etiam teſtatur Ori- *Origenes.* genes quaſdam voculas non temerè affirmans permanſiſſe in vſu eccleſiaſtico nihilo immutatas, puta Sabbaoth, Oſanna: quæ in aliam linguam verſæ gratiam ſimul cũ natiuo vigore amiſſuræ videbantur. Sũt autem hîc vocabula ſeu verba duo, Alleluia, laudate: & ia, deum, eſt enim hoc vnũ ex ſeptuaginta nominibus dei: tantundémque eſt omniuo Alleluia, ac ſi dicas, laudate deum. Dices autem, Qui fit, quòd iã *Pſal. 148.* à laude dei ceſſat eccleſia, cum & laudare maximè, & gratias

agere deberet eo tempore,quo omnes deū laudant & benedi cūt creaturæ? Hic ego respondeo,illud Alleluia, nec quā-uis, nec vulgarem significare dei laudem,sed illā,quam nos deo patri per Christum,vnicum filium suum offerimus. si-quidem vera dei cithara humanitas est Christi, de qua deus
Psal.56. pater ait,Exurge gloria mea, exurge Psalterium & cithara. Aut quæ alia gloria dei patris,quā vnicus filius suus, Chri-stus Iesus,vera illa vtique tum laus,tum musica dei? Is enim citharā nostræ suscepit naturæ,quam pueri & stulti confre-
Lucæ 7. gerunt,cùm ad eam saltare debebant,verùm ipse illam per resurrectionem suam deinceps reparauit. Hęc itaque citha-ra,hoc illud psalteriū,nostrum est Alleluia. & quicquid do-minus noster Iesus Christus de cœlestibus gaudiis dixit disci pulis suis,id omne canticum quoddam fuit nouum, & laus dei,Alleluia nostrū,id iam intermittitur, non sic vt ab omni laude dei cessetur, sed quando patres sancti citharæ huius nō audierunt modulationem suauissimam, testante id quoque
Matt.13. Christo, Multi reges & prophetæ cupierunt videre quæ vi-
Lucæ 10. detis,& non viderunt,& audire quæ auditis, & non audie-runt. Quando igitur in ecclesia iam recolimus antiquæ il-lius ecclesiæ antequā redimeretur lapsum,ad animū reuoca-mus miserandam hanc nostram peregrinationem in terris, meritò os nostrum aliquandiu cessat ab illo cātico. siquidem ad illos nondum venerat,à nobis verò iam ablatus est, sicut ipse ad discipulos Ioānis dixit, Venient dies, cùm auferetur
Matth.9. ab eis sponsus,& tunc ieiunabunt. Hæc nimirum subest cau-sa,quamobrem Alleluia ab hinc vsque ad dominicam Læta re intermittitur. Et quia deinceps vsque ad resurrectionis diē ecclesia passionē Christi cōtemplatur, cithara hæc male quidē tractata, & chordæ eius fortiter sunt extensæ in ara crucis vbi septē illa verba salutaria resonauit, verùm con-tusa interim est & attrita flagellis,virgis, spinis, alapis, cla-uis,lancea,vsque in diem Paschæ, quo redintegrata est & re-parata,ideóque etiā in vigilia Paschę Alleluia canitur. non ratione eius diei,sed insequentis noctis sicut & totū illud can ticum. Exultet iam angelica testatur,& præfatio noctem ex-primens,declarat. Ad hūc modū dum Alleluia deponit eccle sia,recolit infœlicem parentum nostrorum lapsum, per quē omnes nos homines in tot miserias, calamitates, ærumnas, labores angustias & dolores peruenimus in peccata igno-

rantiam

tantiam, concupiscentias, infirmitates, ipsámque adeò inevitabilem mortis incidimus necessitatem. quæ mala tanta cùm vnum istud secuta sint peccatum, quid futurum de tot milibus peccatorum? Id adeò tu quoque tecum recogita, quantum recesseris à deo, quantum à vitæ æternæ via deuiaris, & cum Abel clama ad deum illud quod in officio missæ hodie legitur, Circundederunt me gemitus mortis. &, In tribulatione mea inuocaui dominum, & exaudiet vocem meã de templo sancto suo. Id adeò tu facere dignare domine Iesu Christe, & omnibus miserere, Amen. *Psal. 17.*

HOMILIA IIII.

EVangelium hodiernum quanuis primo videatur aspectu facile & apertum, si tamen secundum omnes suas contempleris circunstantias, occurrent multa pulcherrima & difficilima. Inuenies enim sic, & videbis, quomodo æterna dei sapientia intellectum nostrum ligauit captiuum, facile est, quod in vineam suam Christus operarios conduxit, vbi omnes nos ab eo cõstituti sum⁹ mercenarij, adeóque iurati in sacramento baptismi, recepto in hoc denario, & gratia spiritus sancti nobis communicata. quo modò omni tempore exit Christus conducens operarios in vineam. Neque verò aliquis hîc est in Christo defectus. nos modo curemus, ne nobis quid desit in labore. facile est videre quo modo conuenerit ille nobiscum, & vitam promiserit æternam, diurni laboris mercedem. Neque etiã difficile est, quòd qui vltimi venerunt apostoli, æqualem omnibus acceperint beatitudinem, etiam prioribus se patriarchis & prophetis. Hæc omnia in promptu sunt ac obuia, cuius aperta intellectui, atqui illud intellectum & cogitationem alicuius remorari & exercere posset, quòd, cùm omnes æqualem susceperint beatitudinem, quotquot in vinea domini laborarunt, qui eorum venerant primi, murmurarũt aduersus postremos: & tamen constat neque odium, neque inuidiam, nec murmurationem aliquam esse inter beatos: certum est quoque, singulos eorũ de salute etiã gaudere proximi, siquidem iuxta dictum Sapiẽtis, Vir prudens & disciplinatus nõ murmurabit, multo minus beatus. Verùm isti de quibus hîc in euangelio, non murmurarũt tantùm, sed grauiter ob id à patrefamiliás sunt obiurgati. dixit enim ille, An oculus tuus nequam est? hoc sane nonnihil difficultatis addit euangelio. *Eccle. 10.*

& secũdo adhuc loco quæritur: Cùm tãta sit tum rerum tum personarum omnium hîc in mundo æqualitas, qui fit quòd æqualis omnibus merces datur in æterna beatitudine?

¶Ad priorem illam quæstionem sunt qui respondeant, fucum facientes huic murmurationi, dubitationem eam intelligẽtes verùm id textus nõ patitur, eò quòd ob admiratione solam reprehensi non fuissent à domino de oculi nequitia. relinquamus igitur istud, quicquid est, siue prætextus, siue diuerticuli, & sanctorum patrum à spiritu sancto illuminatorum sententiam tantùm proponamus. Vbi primùm statim se mihi Chrysosto. offert, qui dicit Christum hîc parabolam dixisse, & in parabolis nõ oportere nimia in singulis verbis cura perangi: sed cùm quid per parabolam intendat didicerimus, inde vtilitate collecta, nihil vlterius anxiore conatu inuestigandum. Quæ sanè in explicandis intelligendisque allegoriis regula notatu dignissima est, parabolas etiam à Christo traditas non per omnia & singula verba nobis cõferre, sed in finem tantùm, in quem adducũtur. Id iam libet exemplis duob⁹ commõstrare: altero villici istius, quem domin⁹ ex iniquitate commendat, cùm prudẽter fecisset. vbi sententia Origenis & Augustini est, ne quis hinc discat inique agere, sicut hic villicus fecit: ex eo quod parabolis non vti debeamus ex omni parte, sed iis tantùm articulis, propter quos finaliter illas induxit Christus: hoc est, vt disceremus inde faciẽdos nobis esse amicos de mammona iniquitatis. Ecce quomodo parabola ista non in omnibus hæret in hoc villico imitandis. Alterius parabolæ exemplum in scripturis frequentissimum est de fœneratoribus, quorum ille duos habuit debitores, apud Lucã & Matthæum, rursus apud Lucam: vbi dominus seruum suum duriter corripuit de neglecta talenti vsura, quod poterat vsurario tradere, vt cum lucro ille ab eo recepisset. Vbi sanè omnes boni norunt, vsuram ideo admissam non esse, quoniam omnibus fœneratoribus dicit deus illud, Mutuum date, nihil inde sperantes, quantò minus licet recipere quicquam cũ fœnore? Non ergo hinc vsuram discemus, sed potiùs dona à deo in nos collata bene collocare: non ociari cum illis, sed crebrò exercere & vti. dum enim augentur dona, rationes etiam crescũt donorũ, inquit S. Gregorius. Super hanc regulam Chrysostomus expositionem suam ædificat, dicens, cur hæc parabola

Chrysost. *Regula super parabolis.* *Lucæ 16.* *Origenes.* *Augusti.* *Lucæ 7.* *Matt. 25.* *Lucæ 19.* *Lucæ 6.* *Grego.* *Chrysost.*

compoſita eſt? & quid intendens iis verbis vſus eſt? Auidiores enim eos facere voluit, qui decrepita ætate primùm deo ſeruire incipiũt. nam non patitur eos putare ob id minus ſe habituros. Eius rei aliud adhuc nobis apud Lucam eſt exemplum, vbi maius conuiuiũ inſtruxit pater filio prodigo ad ſe reuerſo, quàm alteri ſeniori: qui tamen & apud patrem ſemper mãſerat, & mandata eius prætergreſſus nunquam fuerat. *Lucæ 15.*

2 Porrò hîc dicit Chryſoſtomus, Alios introduxit Chriſtus moleſtè felicitatem eorum ferentes, non inuidiæ tabo morderi oſtenderet, ſed vt tanto illos honore frui oſtenderet, quantus ad inuidiam alios cõpellere poſſet. vult ideo nõ hãc eſſe parabolæ cõcluſionem, quoniam nouiſsimi primi, & primi nouiſsimi: ſed ipſam parabolam ſic induci: quomodo admiratione dignum erat illud, quod nemo credidiſſet, inæquales operarios æqualem eſſe recepturos mercedẽ: ita hoc non minus admirandum, quod nouiſsimi facti ſunt primi, &c. ſanctus Gregorius hîc in homiliá ſua murmurationem iſtam ad patres antiquos refert. Ait enim, Illi vſque ad aduẽtum domini, quãtũlibet iuſtè vixerint, ducti ad regnum non ſunt, niſi ille deſcenderet, qui paradiſi clauſtra hominibus interpoſitione ſuæ mortis aperiret. Eorũ ergo hoc ipſum murmuraſſe eſt, quod & rectè pro percipiendo regno vixerunt, & ducti ad regnum non ſunt. quos enim poſt peractam iuſtitiam inferni loca, quanuis tranquilla ſuſceperunt: eis profectò & laboraſſe fuit in vinea & murmuraſſe. quaſi ergo poſt murmurationem denarium accipiunt, qui poſt longa inferni tempora ad gaudia regni peruenerunt. Verum qui poſt Chriſti natiuitatem in vinea domini laborant, non murmurant: quoniam ſtatim à morte percipiunt, quod illi patres antiqui vix poſt longam expectationem receperunt. *Chryſoſt.* *Gregó.*

¶ Tertiò, aliã adhuc inuenio expoſitionem, eámque literæ ferè propiorem huiuſmodi eſt autem, Conſtat ex innumeris ſacræ ſcripturæ locis, Iudæos primum vocatos eſſe in vineam, & poſtremò gentes: & mane quidem ſummo incepe- runt laborare Iudæi. ſiquidem tunc & in ſola notus erat Iudæa deus: & nõ erat alius in vniuerſa terra pópulus, qui tam propitiũ haberet deum, quàm Iſraël. Quando igitur placuit deo etiam gentes cõuocare ad ſuum cultum, quæ totũ diem ocioſæ ſteterant, nihil boni operatæ, murmurare cœperunt Iudæi: rati Gentiles, qui poſtremum iam ad cognitionem *Pſal. 75.* *Deut. 4.*

Christi veniebant, non debere integram accipere diurni laboris mercedem: hoc est, gratiam & dona spiritus sancti, quibus eos indignos plane repugnabant, adeò vt sanctus Petrus quoque eos & immũdos & indignissimos, qui gratiã euangelicam susciperent, iudicaret: oblata sibi propterea visione diuinitùs, qua ille linteum vidit animalibus immũdis plenum: quo viso, vocem audiuit dicẽtem sibi, Occide & manduca. Id cùm recusaret, rursus audiuit, Quod deus purificauit, tu commune ne dixeris. Quod nimirũ illud etiã est Cornelio dictum à Petro: vos scitis, quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam. Hæc ista sunt Iudæorum murmura aduersus gentes in principio iam olim nascentis ecclesiæ, vsqueadeo vt canes quoque eos appellarint: quæ sanè murmuratio causa magna aut etiam sola fuit, scriptæ à Paulo ad Romanos epistolæ. vnde & commoti sunt aduersus Petrum Iudæi, quoniam Cornelium baptizasset, dicentes, Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis? Defendit autem & purgauit se Petrus, sicut hîc procurator rationem reddit eius quod fecerit. Eadẽ hæc quoque extitit causa, cur murmurarint Græci, eò quòd viduæ suæ contemnerentur. Neque si desijt ista Iudæorum simultas, erupit etiã amplius, voluerúntque gẽtes, si baptismũ appeterẽt, cogere ad circũcisionẽ & vniuersam legẽ Mosaicam: idque tãto feruore, vt apostoli impulsi sint cõcilium generale vocare, & ibidẽ cõcludere, non esse necessarium illis, legem totã seruare. Quo sensu denarius hic nõ tantùm illam æternã gloriam, sed hãc gratiã quoque significat, per quam ad gloriam venitur, sicut Zacharias dixit: Exæquabit gratiam gratiæ. & sic Iudæi probi qui primũ gẽtibus, fortiter restiterant, cognita voluntate diuina, murmurare desierunt, cuiusmodi fuerunt, quibus Petrus enarrauit, quæ sibi cum Cornelio contigerant: tunc enim & tacuerunt, & deum magnificarũt, qui etiam gẽtibus pœnitentiam dedisset ad vitã.

Actu. 10. *Actu. 11.* *Actu. 15.* *Zacha. 4*

¶ Porrò patres & doctores nostri nihil omnino intentatum reliquerunt, quod etiam non penitus eruerint, nihil minus quàm Lutherum expectantes, aut Zuinglium, aut quemlibet alium ex neochristianis. Alium quoque hîc sensum adducũt, quãdo de Iudæis eorúmq; murmuratione intelligi hæc debeant, & dicũt. ¶ Scripturæ mos est, vt sæpe aliquid generi tribuat propter speciem (vide Augustinũ libro tertio de do-

Regula Terentij.

ctrina Christiana capite tricesimo quarto) vt cũ ait Dauid, Eduxit eos cum argẽto & auro, eduxit populũ suum in exultatione, & electos suos in lætitia, & dedit illi regiones gentium, & labores populorum possederunt. Certum est autem, ex tam immẽsa hominũ multitudine (plura enim quam sexcenta erant hominum milia) duos tantùm in terram venisse promissionis, Caleph & Iosue: iuxta illud quod dominus dixerat ad Moysen. Similiter & in alio loco dicit Dauid, Induxit eos in montem sanctificationis suæ, montem quem acquisiuit dextera eius. Atqui ex omnibus qui AEgyptũ exierant duos tantùm introduxit. Sed idem clariùs adhuc videre desideras? en tibi in eodem Psalmo Dauidem sic dicentẽ. Cum occideret eos, quærebant eum vbi quis dubitet, alios fuisse quos occidit, ab iis qui eum quæsierunt: sed quia vnius fuerunt multitudinis & nationis, velut de iisdem fit sermo. Ad eundem planè sensum dicunt hîc quoque nõ eosdẽ fuisse qui denarium receperint, quíque murmurarint, sed qui denariũ susceperũt, eos & bonos fuisse, & eos saluatos iudicant, eò quòd nemo beatus remurmurat, inquit Grego. istos verò qui murmurarunt aduersus Gentiles, nec denarium recepisse, neque bonos fuisse contendunt, de quibus tamẽ hîc Christus loquitur, sicut de prioribus illis bonis, quoniam & ipsi eius populi fuerunt, qui per Moysen & legem vocatus erat, qui præsumptione sibi vana proposita, se plus gentibus habere putauit. Et hunc ego intellectum non euangelico isti tantùm contextui, sed & modo loquendi scripturæ sacrę conformem esse crediderim atque consentaneum.

Psal. 104.

Nume. 1. 14. & 26

Psal. 77.

¶ Ad quæstionem alteram autem, qua propositum fuit, quomodo salua fieri possit iustitia, vt æqualis merces inæqualiter laborantibus detur: respondent doctores, istam denariorum æqualitatem non significare æqualem vitæ æternæ beatitudinẽ, cuius discretas esse & quidem multas mansiones certos nimirũ illius gradus, testimonio Christi certissimum est, adeóque voce & scripto Pauli, Alia claritas solis est, alia lunæ, & sicut stella à stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum. Aut nónne sanctior beatiórque fit Maria quauis alia virgine? alius igitur sensus hîc in ęqualitate denariorũ inquirẽdus est. ¶ Et principio quidem omniũ sanctorum æqualis est beatitudo, quoniã ęque omnes sunt contenti nullusque eorum plus appetit felicitatis quàm habet:

Ioan. 14.

1. Cor. 15.

sicut & si habeas vasa aliquot inæqualis capacitatis seu magni tudinis, æquè tamen omnia plena, nullū vtique eorū plenius est altero, & tamen aliud alio plus capit, ita quilibet beatus gloria plenus est & beatitudine, pro modo suæ comprehensi-
Psal. 16. bilitatis, sicut in persona cuiusdam beati dixit Dauid, Satiabor, cum apparuerit gloria tua. ¶ Secundò, In hoc quoque non æquales sunt sancti dei, quoniam vnam omnes obiectiuam habēt beatitudinem, essentiā dei. Deus enim ille denarius est, quem iuxta intuebūtur omnes minimi & maximi. siquidem præsenter deum intueri, ipsa vita est æterna, sicut
Ioan. 17. Christus apud Ioannem ait. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum deum, & quem misisti Iesum Christum ¶ Tertiò ęquales etiam sunt beati ratione durationis, quoniam nullius sancti beatitudo minus diuturna est quàm alterius: siquidē omnibus ęquè infinita est & perpetua. nāque minimus ex infantulis innocentib⁹ non minus in perpetuum essentiam videbit diuinam, quàm vel sanctus Stephanus vel
Sapien. 5. Ioānes, quoniam de omnibus verum est illud Sapientis dictum, Iusti in perpetuum viuent, & apud deum est merces eorum Ex iis omnibus palam est, qua ratione beatitudines omnium ęquales sint & inęquales. nam de accidentali dubiū non est quin sit inęqualis. Verum hęc aliâs. ¶ Et ne cui-
Super Ioan. 14. quam super iis aliquod in animo resideat dubiū, verba Augustini consultum hîc visum est apponere. quibus sententia illa fortissimè confirmatur. Et si alius alio est iustior, alius verò sanctior, in domo patris mei mansiones multę sunt, nullus eorum alienabitur ab illa domo, vbi mansionem pro
Mat. 20. suo quisque accepturus est merito, Denarius quidē ille ęqualis est omnibus, quem paterfamiliâs eis qui operati sunt in vinea, iubet dari omnibus, non in eo discernens, qui minus & qui amplius laborarunt. quo vtique denario vita significatur ęterna, vbi amplius alio nemo viuit, quoniam viuendi non est diuersa in ęternitate mensura, sed multę mansiones
1 Co. [illegible]. diuersas meritorum in vna vita ęterna significant dignitates. Alia est enim gloria solis, alia gloria lunę, alia gloria stellarum. stella enim à stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum. tanquam stellę sancti diuersas mansiones, diuersas charitates tāquam in cœlo sortiuntur in regno sed propter vnū denariū nullus separatur à regno, atque ita deus erit omnia in omnibus, vt quoniā deus charitas est, per

charitatem fiat: vt quod habent singuli, commune sit omnibus. sic enim quisque etiam ipse habet, cùm amat in altero quod ipse non habet. Non erit itaque aliqua inuidia imparis charitatis, quoniam regnabit in omnibus vnitas charitatis. Hæc hactenus Augustinus.

☞ Ad extremum, per se iam patet vltimum illud Christi verbum, quomodo nouissimi j. primíque fiāt nouissimi. Iudæi e- Deut. 19.
nim & primi fuerunt, & omnino populus electus: gentes autem, quæ contemptæ tunc habebantur, vix postremò venerūt, & tamen factę sunt sancta, electa & regalis gens, vt inquit Pe- 1. Pet. 2.
trus: sed & Paulus gentes inquit, quæ non sectabantur iusti- Rom. 9.
tiam, apprehenderunt iustitiam: Israël verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. aut nónne Petrus Ioan. 1.
vocatus est citò? & tamen latro ante eum in cælum peruenit. Aut quod sunt, qui à iuuentute & primis statim annis incipiunt seruire deo, atque deinde resiliunt subitò sicut Saul? Et 1. Re. 15.
vicissim plurimi, qui cùm sint in cultu diuino amplectendo postremi, vix tandem incipiunt vltima ætate ad deum redire & seipsos, fiuntque sic primi in timore & obseruatione dei. Sæpe enim multæ & magnę contingunt rerum humanarum vicissitudines, inquit Chrysostomi. Ad nos iam inuocemus Chrysosto.
deum & oremus, vt nos quoque non vocati tantùm simus, sed etiam electi adoptemur in vitam æternam. id tu nobis præsta ô domine Iesu Christe. Amen

☞ DOMINICA SEXAGESIMÆ
EVANGELIVM, LVCAE. 8.

IN illo tempore. Cùm turba plurima conueniret, & de Ciuitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinem. Exiit qui seminat, seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit supra Petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud ceci- Mat. 13.
dit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerūt illud. Et aliud ceci Mar 4.
dit in terrā bonam, & ortum fecit fructum centuplum Hæc dicens, clamabat, . Qui habet aures audiendi, audiat, Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit. Vobis datum Mat. 33.
est nosse mysterium regni dei, cæteris autem in parabolis: vt videntes Mar. 4.
non videant, & audientes non intelligant. Est autem hæc parabola. Se- Esaiæ 6.
men est verbum dei. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt, dein- Act. 18.

Ioan.12. *de venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui*
Mat.13. *fiant. Nam qui supra petram, ij sunt qui cùm audierunt, cum gau-*
Mar.14. *dio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, quia ad tempus cre-*
dunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit hi sunt qui audieruut & à solicitudinibus & diuitiis & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

HOMILIA I.

DOcemur hoc euangelio, charissimi à Christo, quàm bonum, quàm vtile, quamque omnino necessarium sit audire verbum dei: quo nos erudiamur, quibus modis debeamus in vinea domini laborare, vt tandem denarium mereamur æternæ beatitudinis. Illo enim verbo diuino instruimur, quid facere nos deceat, quid referat vitare, quid amare, quid fugere oporteat: & quid denique non. penitus enim in verbo dei discimus, quid sit beneplacitum deo, quid nobis nostræque saluti commodum: quanuis idipsum per se quoque opus est meritorium, libenter audire verbum dei, quod sanè argumento esse potest, hominem aliquem esse à deo electum ad vitam æternam, sicut infrà dominica 5 quadragesimæ latiùs dicetur Si quidem in concionibus sacris deus nobiscum loquitur,
Psal. 31. nos erudit & docet: iuxta illud Dauidicum. Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te
Psal. 118. oculos meos. Atque ideo ad eum clamat Dauid, Doce me iustificationes tuas, viam iustificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Plurimum verò hinc nobis accedit commodi, quod ipse qui proposuit parabolam, explicare etiam dignatus est dominus, neque iam alia re vlla nisi admonitione indiget, vt secundum eam viuamus. Quia si,
Origenes. inquit sanctus Gregorius, vobis semen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, spinas diuitias significare diceremus ad credendum nobis mens forsitam vestra dubitaret. vnde & idem dominus per semetipsum dignatus est exponere quod dicebat, vt sciatis significationes quærere in iis etiam quæ per semetipsum noluit explanare. Quis enim mihi vnquam crederet, si spinas diuitias interpretari voluissem, maximè cùm illæ pungant, istæ delectent? & tamen spinæ sunt.

quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant & eum vsque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. Ideo dominus fallaces appellauit diuitias: fallaces enim sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt. si quidem illæ demun veræ sunt diuitiæ, quæ nos virtutibus ditant.

1 Euangelista sic ait, Cùm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad Iesum, sicut Matthęus testatur, dixit per similitudinem, è naui prædicans ad populum in littore stantem. vbi Hieronymus dicit, Non poterat populus domum Iesu intrare, nec esse ibi vbi apostoli audiebant mysteria, Ideo miserator & misericors dominus egreditur de domó sua, & sedet iuxta seculi huius mare. Vbi populi etiam videre licet pietatem & deuotionem, qui turmatim subinde ad dominum confluxit, quanuis non eadem causa. Alij enim accurrebant vt sanarentur, alij ex præsumptione & temeritate, alii ex inuidia, vt eum caperent in sermone, alii, vt magis saturi fierent panibus & piscibus, alii affectu quodam pietatis. Atque non temerè turbam vocat euangelista, eo quòd & multitudo erat è variis hominibus coacta & congregata, ita alius aliis affectus, sensus alius, aliáque erat voluntas, neque vno omnes erant animo mentéque præditi, vt ait Beda: ideóque cùm eis locutus est per varias parabolas, vt si qui non vna statim, alia tamen similitudine mouerentur. Apud Matthæum eadem hæc concio non paulò longior est: vbi & ostendit Euangelista quomodo & qua de re Christus per parabolas loquutus sit, vt nimirum impleretur scriptura illa Dauidis. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Hoc autem fecit dominus, cùm iam turba plurima cōuenisset, profectò enim verissimum est quod dicit Chrysostomus, Quilibet bonus doctor incitatur ad docendum, cùm plures habuerit auditores: intelligendo hoc de doctoribus huiusmodi, qui salutem ardent & sitiunt audientium. Nam vbi eo quis animo est, vt concursum amplectatur & optet hominum, in hoc vt honorem & famam sibi arroget ex concionibus suis, ibi certum est diabolum magistrum & doctorem esse: qui statim ludos fucúmque facit, hæreses attentat, & quàm primum prædicatorem hac capitis parte captauit, vt ipse sibi placeat, audax fit & temerarius, sicut nunc prohdolor, fieri videmus in prędicatoribus neochristianorū: qui quanuis sint parū docti, videri tamen volunt apud suos, irruunt quo-

Luc. 8. *Matt. 13.* *Hyerony.* *Beda.* *Psal. 77.* *2. Pet. 2.*

uis modo,& placentia dicunt audientibus: non ignari etiam plerunque se procul à vero deuiare. Hic ille fastus, hæc ista
Esa.30. turgida & inflata est superbia, sicut inquit Esaias, Clamaui super hoc, superbia tantùm est. Sed quæris, quæ sit huius superbiæ causa, quis author? isti scilicet, qui prædicatorem ad hoc ortantur & dicunt, Age domine prædicator, hoc placet,
Esa.30. sic visum est omnino. sicut Esaias ait, Qui dicunt videntibus, nolite videre:& aspicientibus, nolite aspicere, nobis ea quæ recta sunt:loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israël. Hæc sunt etiam in propria forma verba quæ Lutherani senatores & cæteri quoque homines ex vulgo ad suos prædicatores loquuntur. Væ autem, & iterum væ sacerdotibus istis, qui tam miserè seduci se patiuntur, fallíque tantùm ob temporalia ista bona & caducos honores, sed hæc aliâs. Nunc ad propositum redeamus. Quid mirum, si quis multitudine audientium ad dicendum magis commouetur, modó ille ob hoc tantum gaudeat, vt ibi laudetur & magni-
Ioan.12. ficetur deus? sicut apud Ioannem fecisse Christum legimus, cùm iam plurimi ad eū concurrerent, & Gentiles quoque appropinquarent, dixit ille, Venit hora, vt clarificetur filius hominis: pater, clarifica nomen tuum. Id itaque si in gloriam & honorem dei redundat, bene est; neque peccat in hoc, qui multitudine audientium gaudet, modò apud se cogitet quisquis magnam hominum turbam circum circa astare apud se videt & apud se expendat illud quod Christus dixit ad discipulos
Ioan.4. suos. Videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem. fit hoc, quum corda & pectora auditorum parata sunt obsequi & credere iis quæ prædicantur.

2 Properante iam populo ad dominum, loquutus ille est
Chrysost. per parabolas, idque eò, vt inquit Chrysostomus, maximè, exorsus etiam ab huiusmodi parabola, qua auditores redderet attentos, neque id adeò tantùm, sed etiam vt sermonibus huiusmodi abstrusioribus fortiùs pectora eorum & animos commoueret: deinde vt dicta illa tenaciùs eorum mentibus inhærerent. Præterea voluit sermonem suum eiusmodi parabolis & apertiorem & captui audientium magis esse obuium. Vnde iam patet, quantopere neochristiani errent in hoc, quod nullam picturam seu imaginem volunt sustinere, sed intellectum quoque vulgi immediatè omnino in deum

dirigere, reiectis & posthabitis omnibus externis imaginibus atque figuris, Neque hîc rationem aliquam habent viuentiũ sanctorum, neque fragilitatem considerant humanam, neque egestatem vident, in quã miserè deiecti sumus omnes per peccatum Adæ, neque dicunt illud cum Iob, Memento quæso domine quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Neque etiam cogitant, quantum nobis thesaurum perdiderit Adam scientiæ & cognitionis in omnibus, adeò vt omnis nostra cognitio ex infimis iam consurgat, nihílque sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu, cogatúrque nobilissimus hic animus noster ex sensibus & ancilla sensationis exterioris omnia emendicare, neque enim proximum intelligere tuum potes neque animam aut corpus eius, sed per externa tantum accidentia, coloris, formæ, vestitus. &c. Similiter si iusto succederetur ordine, substantias separatas, deum & angelos, ipsúmque a deò cælum absolutè & in se ex nostro cognosceremus intellectu. Iam verò ex visibilibus nos mendicare omnia oportet, vt etiam Paulus testatur, inquiens, Inuisibilia dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Et cur isti quicquam externarum imaginum habere nolunt, sed eas quoque ab intellectu nostro arcere, quem Paulus ad visibilia astringit, quem Christus imaginibus aliquot & rerum similitudinibus ad veram cgnitionem subinde reuocare studuit: adeò vt Marcus dicat, Multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterãt audire, & sine parabola non loquebatur eis.

Iob. 10. *Rom. 1.* *Mar. 4.*

3 Nunc parabolam nobis proponit Christus, Exiit qui seminat, seminare semen suum. Seminator hic dominus Iesus est, qui ex sinu patris, quo creatura nulla peruenerat, exiit in hunc mundum, sicut ipse apud Ioannem dicit, Exij à patre, & veni in hunc mundum. ideo autem exiit ille, vt hominibus seminaret sermonem patris sui. Vbi si dicis filium Dei, quia & ipse sit deus, & vbique esse, & exire non potuisse: scias ipsum non exiuisse secundum locum, multò minus secundum essentiam suam: sed tantùm ratione assumptæ humanitatis, quomodo exiit ille seminare: non perdere, neque iudicare, sicut exiturus est in die iudicij. Exiit, inquam, seminare semen, non alienum, sed suum: suum illud semen bonum exempla bona in operibus bonis, semen piæ orationis & salutaris pædicationis. Cuius exẽplo exire ad seminandũ

Hyerony. *Beda.* *Ioan. 16.* *Chrys.*

debent omnes prædicatores, semen inquam bonorũ operum: iuxta illud Sapiẽtis, Seminanti iustitiam merces fidelis. Imo & vniuersi homines semen hoc seminare debent bonorum operũ, vnde tandem habeãt quod metant: sicut dicit Iacobus, Fructus iustitiæ in pace seminatur. Deinde seminare quoque debent semen piæ & deuotæ orationis: iuxta istud Dauidis, Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Præterea seminare eos oportet semen salutaris prædicationis, sicut in hac parabola commemoratur. Prospiciat tamen sibi huiusmodi prædicator, vt illud præceptum Leuitici obseruet, Agrũ tuum non seres diuerso semine. quod tamen faciant prædicatores hæretici: qui semini Christi verbo illi sancto Dei commiscent semen diabobi, erroribus scilicet, & hæresibus multis inspersis. Quod quis non videat facere neochristianorum prædicatores, qui Euangelium quidem & cum eo nõnihil boni prædicant, verùm subinde ex sacco etiam diaboli aliquid extrahunt seminis, quod intellectum falsum & tantum lolium zizaniam & filices pariat? Ab eiusmodi sedulò tibi caue seminatore, ne mali seminis (quod ferè fit) plus capias quàm boni. ¶ Cum Domino sciat quilibet prædicator seminãdum sibi esse semen bonum, semen inquam Christi: quod etiamsi non statim excrescat & exurgat, vt nunc prohdolor videmus passim fieri, cum hoc sedulò prædicare operosum sit, & sanè difficilimum, non curet id prædicator bonus, cùm audiat hîc in euangelio, tres eius etiã quod Christus seminauerat, seminis partes perire. Et tu itaque cùm vides sermonem tuum non vbique iuxta ædificare, id deo committito: tantũ cura ne hoc tua culpa fiat & vitio, si huiusmodi quid tibi contingat, quale prædixit Esaias, Triginta modij sementis faciunt modios tres. fuit autem & Paulus seminator, vnde seminiuerbium eum vocabant Athenienses. Atqui sæpius tamen seminauit in vanum, quapropter & ipse ad Iudæos dixit, Vobis oportebat primùm loqui verbum dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Ad hunc modum quamplurimi etiam alij seminauerũt, qui ex semente nihil fructus retulerint. quamobrẽ dixit Sapiẽs, Manè semina semẽ tuum, & vesperè ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud: & si vtrunque simul, melius erit. Sic omnis bonus prædicator non debet intermittere, quin pro virili

Margin notes: Proue. 11. — Iacob. 3. — Leuit. 19. — Esaiæ 5. — Act. 17. — Act. 13. — Eccle. 11.

ſua ſemper ſeminet. Quis enim ſcit, vbi gratiā ſuam effundat & largiatur deus? quod etiam ſemen pereat in audientibus, in ſeminante tamen ſuo fructu non carebit, quando tunc dicere poterit cum Dauide, Oratio mea in ſinum meum conuertetur, ita etiam labor & omnis opera eorum apud deum non perierit, quoniam non obliuiſcetur noſtri deus. Age age verò, quanuis zizaniæ & corrupti ſeminis multum iam eſt in terra, deus tamē gratiam nobis tribuere ſuam dignetur, cordáquē veſtra velut agros fertiles & fœcundos à perditiſsimo ſemine cuſtodiat, vt tandem poſt hanc vitam, vitam conſequamur æternam: quam nobis concedat dominus noſter Ieſus Chriſtus in ſecula benedictus, Amen. *Pſal. 34.* *Eſa. 49.* *Matt. 13.*

HOMILIA II.

PRouocamur, inquit ſanctus Hieronymus, ad dictorū intelligentiā, quoties iis ſermonibus cōmonemur, ideóque & nos huic expoſitioni, quam Chriſtus dedit, firmiter ſtare intendimus, adductis tantùm aliis quoque in eundem ſenſum ſcripturis. Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemē ſuum: & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & cōculcatum eſt, & volucres cœli comederunt illlud. Non dixit, & proiecit aliud ſecus viā, ſed, aliud cecidit ſecus viam, & aliud cecidit ſuper petram, aliud inter ſpinas, aliud verò in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hęc omnia vno ſic contextu induximus, quoniam expoſitionem ſuper iis à domino audire volumus, iuxta diui Hieronymi ſententiam ſuperius iam inductam. Quis enim vel melius vel fœlicius parabolam iſtam vniuerſam explicaret, quam æterna illa ſapientia Chriſtus, in quo ſapientiæ diuinæ theſauri ſunt reconditi? Hæc dicens, inquit euangeliſta, clamabat, Qui habet aures audiendi, audiat. Clamauit hic Chriſtus, vt corda & animos audientium ad ſpiritualem & ſublimiorem quandam intelligentiam citaret. quoties enim, teſte Beda, hæc admonitiuncula vel in euangelio, vel in Apocalypſi Ioannis interponitur, myſticum eſſe quod dicitur, quærendúmque à nobis intentiùs oſtenditur. Ah quotidie adhuc clamat dominus, modo nos auſcultaremus & audiremus illum, & ſequeremur. ſemper enim clamat, verbis, factis & omnibus operibus, cùm omnis Chriſti actio noſtra ſit inſtructio. Ad peccatores clamat vt pœnitentiam agant, ad errabundos vt reuertantur, ad ignauos vt *Hierony.* *Coloſſ. 2.* *Beda.* *Gregor.*

excitentur. ait enim, Surge qui dormis. Clamat ad nos seruus
Ephe. 5. Christi Paulus, Audite igitur omnes, & obseruate quid fructus sit in audiendo verbo dei: omnes quotquot aures habetis audiendi, audite. Vbi si quæris, an non & illi audierunt, aut non aures habuerunt? respondeo, omnes illos aures quidem habuisse extrinsecus, audiendi verùm aures intellectus eorum apertæ non erant, multò minus aures obedientiæ,
Treplices aures. quibus obsequi parati fuissent. Triplices nanque nos aures oportet habere, extrinsecus audiendo, intrinsecus intelli-
Psalm. 44 gendo, & opere tandem perficiendo. Quomodo ad fidelem animam dicit dominus per prophetam, Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, per obedientiam, scilicet. Verũ sicuti tunc, ita nunc quoq; multi non audiũnt, quanuis aures externas habeãt: quãdo cor eorum malitiæ repagulis & nequi-
Esa. 6. tiæ claustris est obseratum: sicut per Esaiam dicit dominus, Audite audiẽtes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere. excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat & conuertatur, & sanem eum. Cur obsecro hæc tanta? Prohdolor, diabolus aures eis præcidit per istam peccatricem voluptatem, sicut
Ezec. 23. Ezechiel dicit. Et quot tandem vestrum hîc astant, nunquid omnes corporis aures apertas habetis? verum animi & mentis aures vt se habeant, quis norit? fortè ita vt Esaias ait, qui
Esa. 42. apertas habes aures, nõne audies? Plerique etiã cum aures ha-
Psal. 57. beant, eas ipsi sibi obstruunt instar serpentis, ij nimirum omnes, qui verbum dei nolunt audire, neque ad conciones venire, subueriti semper, ne quod nolint audiãt, sicut iam faciunt Neochristiani, nolentes audire catholicos prædicatores. Sunt
Psal. 113. alij qui & ipsi aures quidem habent, sed idolorum aures, de quibus Dauid, Aures, inquit, habent & non audient. Neque
Eccl. 3. desunt tamen qui internas etiam animi aures habeant saluas & incorruptas, de quibus Sapiens, Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. neque id immeritò, nam audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Qui itaque habet aures audiendi, audiat. Audierunt hæc apostoli, & ideo dominum interrogauerũt, qualisnam hæc esset parabola: quoniam auditorum est, vt inquit
Chrysosto. Chrysosto. qui magna discendi cupiditate ardent, multum & sæpe quærere. Et hoc tamen fecerunt apostoli, quando

ſoli cum Chriſto erant.ita enim Marcus ait,Cum eſſet ſingularis,interrogauerunt eū.(Interrogatio eſt clauis ſcientiæ.) *Mar. 4.*

3 Interrogantibus ergo diſcipulis reſpondit Dominus, Vobis datum eſt noſſe myſterium regni dei:cæteris autem in parabolis. Matthæus reſponſionem hanc & pluribus & magis conſolatoriis verbis expreſsit,nos tamē à Luca non diſcedemus. Intellectum parabolæ à Chriſto petierunt apoſtoli. dixerat autem ille, & iam ante eis promiſerat, Qui petit,accipit.petentes ergo acceperunt verum intellectum:quos imitari debent,quotquot diſcere cupiunt & euoluere ſcripturas ſacras, atque voluntatem cognoſcere diuinam, vt orent ſedulò diligenter, ſicut de S. Thoma Aquinate legimus,quem oratione magis pia,quàm lectione aſsidua edoctum teſtantur hiſtoriæ.Nūc planè Chriſti ſequitur reſponſio, Vobis datum eſt:vobis inquam,qui ardenter pro intellectu oraſtis, datum eſt diuinitùs cognoſcere regnū cœlorum. Quærendi rogandique modū iſtum intellige in obſcuris,occultis,& antea nō explicatis:vbi enim res per ſe ſatis tum manifeſta eſt,tum ab aliis declarata,nō tantum non gratia dei impetratur quærēdo, ſed ipſe etiam deus commouetur ad iram. Hoc ideo hîc commemoro,quoniam ſunt iam ex Neochriſtianis nonnulli, qui verbis gloriari ſolent magnificis, quomodo orent ſedulò deū,vt eis intellectum & oculos cordis aperiat ad videndum an errent,& à via veritatis declinarint. Vbi licet ego tanti faciam orationem verè piam, vt ſi ex animo bono promanat & voluntate perfecta, nihil minus facturus ſit deus, quàm vt eadē reiiciat:verùm hîc nihil neque radicis eſt bonæ, neque fundamenti firmi: vbi per amicos ſuos deus, per patres ſanctos, & per eccleſiā catholicā articulos illos iam olim robuſtiſsimè explanauit, ſuper quibus modo contenditur, ideo nihil impetrant eorum orationes. Audiunt potiùs & ſubinde reportant iſtud, quod diuiti damnato datum eſt reſponſum, Habent Moyſen & prophetas, audiant illos. Vel,habent eccleſiam catholicam,habent concilia,habent patres & doctores,omnes hos audiāt. Interrogauit Chriſtum etiam Philippus,petiitque oſtēdi ſibi patrem:ſed quid audiuit? Tanto tempore vobiſcum ſum,& non me cognouiſtis? Philippe, qui videt me,videt & patrem meum. & quomodo tu dicis, oſtende nobis patrem? Ecce hîc dominus increpauit Philippum minus rectè rogantem : obiecit eidem pro magno tempore an

Thoma de Aquino.

Luc. 16.

Ioan. 14.

nos tres cum dimidio, quibus cum eo fuerat. Et non putatis charissimi fratres grauiùs multò cómoueri illum atque irasci super istis Neochristianis,qui qua sunt tũ peruicacia,tum cęcitate cognoscere adhuc nolunt, quæ Christus reuelauit per
Mat. 23. ecclesiam,cum qua annis iam post mille quingétis continuè fuit,sicut promiserat ascensurus in cœlum,mansurum se nobiscum vsque ad seculi consummationem, pro cuius fide rogauit ne quando deficeręt? Nunc itaq; Christi verba audite,
Luc.22. Vobis datũ est cognoscere regnũ cœlorum,vobis inquam,fidelibus,vobis humilibus datum est nosse mysteria regni cœlorũ:hoc est,ecclesiæ, in qua deus per fidẽ sua regnat & gratiã. vos enim regnum illud ædificare & extruere me adiuuabitis: cæteris autem in parabolis tantùm, neque id domini, sed audientium vitio.siquidem ille pro suo captu cuique prædicauit; & sic quicunque per fidem parati sunt, bonáque vo-
1.Reg.3. luntate firmati, clamãt cum Samuele,Loquere domine, quia audit seruus tuus. Illisque mysteria simul cum intellectu re-
Pro.22. uelat deus. vnde & Sapiens dixit, Inclina aures tuas, & audi verba sapientiæ. Quotquot auté infidedes sunt falsi, beluini & impij,ex sola parabola pédent. Corticẽ tantum arrodunt & mordent, de nucleo nihil gustãt, quoniã in maleuolã ani-
Sap.1. mam nõ introibit spiritus sapientiæ,neque habitabit in corpore subdito peccatis. Et esse quidé hanc nõ dei,sed ipsorum culpam,rationẽ porrò ostendit,dicens, eos qui signa videant externa, non videre oculis cordis per fidem: quæ sanè apud
Mat.13. Matthæũ adhuc latiùs explicatur causa:adducto in hoc Esaiæ loco.verum nos vt antea diximus.à Luca breuitatis gratia nõ recedemus. Videntes igitur,hoc est,qui sibi vel maximè videre videntur,nihil vident:sicut apud Ioannem etiam domi-
Ioan.9. nus dixit,In iudicium in hunc mundum veni,vt qui nõ vidẽt (Gentiles) videant: & qui vident, cæci fiant, Iudæi scilicet. idque ita esse,ex sequentibus patet. sequitur enim. Audierũt quidã ex pharisæis,qui cũ ipso erãt, & dixerũt ei,Nunquid & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus,Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nũc verò dicitis,quia videmus,peccatum vestrum manet. ¶ Ad eundem quoq; modũ fiet temporibus Antichristi,& præcursorum suorum,quando impij iuxta prophetiam
Dan. 12. Danielis oẽs nihil intelligẽt,verũ docti intelligent. Quòd si igitur docti quibus datum est desuper,intelligũt mysteria regni dei, vtique malitia & peruersitas hominum in causa est,

quo minus mysteria dei intelligant: sicut nunc Neochristiani proprios suos errores. quos tamen etiã cæcus quilibet videat, nõ intelligunt. Et audi tu hîc mihi quid Sapiens dicat, Non recipit fatuus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde eius. quanuis autem expressè Christus hîc cõtra malos loquitur & infideles, tamen ita res vtique habet, sicque vsu quotidiano experimur ipsi, quòd simpliciores & facilimè docentur, & efficacissimè mouentur exemplis. iisdem quoque mysteria magna Dei, ne contemnãtur ab eis, celantur. vnde etiam in ecclesia canonis lectio & quorundam aliorum in missa cœpit haberi tacita, verbáque consecrationis non nisi sub silentio efferri. Cuius sanè rei euidens illud erat in veteri testamento exemplum, vbi præcepit dominus, vt Aaron filiique sui vasa cõsecrata omnia inuoluerent, arcam quoque, altare, mensas panibus propositionis dicatas, thuribula, phialas item & lapides, atque id genus alia omnia: quibus sic conuolutis, si quando exercitus esset accinctus itineri, ingrederétur filij Caath, sanctúmque illum ornatum hoc modo velamine opertum efferrent, & non tangerent vasa sanctuarii, ne moriantur. En hîc fortissimum vobis exemplum, quo videtis quoniam filij Aaron sacerdotes nudis manibus vasa tangebant sanctuarij, quod tamen filij Caath non licebat. Væ væ igitur Neochristianis omnibus, qui non tantùm temerè vasa deo diuinóque cultui dicata contractãt, sed etiam laïci venerabile sacramentum (proch pudor & scelus!) profanè tractant. & ij sanè, quanuis non subitò moriantur sicut filij Caath, sicut Oza, qui arcam domini, iamiam tamen collapsuram fulciri volens, tetigit: amen nihilo minus sua ipsis manét supplicia. Verũ nos iam vnde digressi sumus, paulatim, ad illud redeamus. ¶ Qui præ cæteris sunt intellectu illuminati, sicut filij Aaron, mysteria dei nuda & aperta suscipiunt: simplices autem filij Caath, per inuolucra, per parabolas, per ænigmata: quanuis si propriè & verè de hac re loqui velimus, omnis nostra de deo cognitio, obscura est & inuoluta, non aperta, testante id etiam Paulo cùm ait, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciẽ. Quid multa? omnis illa nostra quæ in hoc mundo haberi potest notitia, scientia & qualiscũque cognitio, non tantùm rebus comparata diuinis, sed naturalibus quoque, mera vanitas est, vsqueadeo, vt infantulus iam primum baptizatus & à

Prou. 18.
Num. 4.
2. Reg. 16
1. Cor. 13.

baptiſmo ſtatim mortuus plus intelligat & ſciat, quā omnes quotquot in mundo ſunt philoſophi. Melius autē res quondam ſeſe ante Adæ lapſum habebant. De qua re aliàs plura. ¶ Nemo tamen ideo cogitet, in hoc Chriſtum locutum eſſe obſcuriùs, vt à nemine intelligeretur, quod ſanè non parum foret iniquum, ita docere quépiam, vt ſe nolit ab aliquo intelligi: ſicut inuidi quidam doctores & magiſtri in ſcholis faciunt, ſibi magiſtralis induſtriæ myſterium reſeruantes, docent infideliter. Non hoc etiam de Chriſto ſuſpicandum eſt, qui myſteria hæc illis noluit, niſi iuxta captus & intellectus ipſorum diſpoſitioné velata proponere: quoniam hoc eis non paulò & vtiliùs, & ad intelligendū futurum erat conducibiliùs. Atque omnino fecit hoc Chriſtus etiam (ex Theophylacti ſententia) in illorū bonum: ne enim magis condemnentur, quod cognita myſteria ſpreuerint, ideo ab illis ea Chriſtus abſcōdit. Sed neque altè volandū eſt illi, qui vulgum ſibi docendum aſſumit. neque hoc proderit quicquam, ſiquis altiùs quam intelligat ipſe & capiat, ingenij ſui volatus docendo velit aſcendere. Itaq; qui proponendæ doctrinæ modum ſcire cupit, Paulum audiat, ad Hebræos, de ſacerdotio Chriſti ſic dicentem, De quo nobis grandis ſermo & interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum. Etenim cùm deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſum indigetis vt vos doceamini quæ ſint elementa exordij ſermonum dei: & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo, omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ: paruulus enim eſt. perfectorū autem eſt ſolidus cibus, eorum qui pro cōſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali. ¶ An nō luculenter ſatis hîc Paulus docuit, quomodo diuerſos exhibere oporteat cibos incipientibus, paruulis adhuc & ſimplicibus, rurſus quoque, iam grandibus & exercitatis? Paruuli autē & nondum ſatis exercitati erant Corinthij, quibus datū adhuc non erat noſſe myſteria regni dei. eis enim Paulus ait, Fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis. Quòd ſi conquereris difficile eſſe in magna hominū multitudine diſcrimen noſſe, quando quibúſque cibus ſit dandus ſolidus, aut lac, id nos quoque tecum fatemur eſſe difficile. verùm hîc

Theophy.

Hebr. 5.

1. Cor. 3.

tu cum ipsis omnibus deum & fideliter & sedulò inuoca, qui mos in concionibus à catholicis meritò obseruatur, vt deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, & ille linguam tuam pro tuo tuorúmque auditorum commodo diriget, vt hîc gratiam, & in futurum æternam consequamini gloriam, Amen. *Coloss. 4.*

HOMILIA III.

Dominus noster Iesus Christus in hoc euangelio ostendit, quomodo verbum dei prædicatum, fructum aliquãdo copiosum afferat, aliâs nullum, per modum parabolæ quatuor genera seminis proponens. eadem posthâc explica, id nunc audire lubet. Primum semen est, quod cadens secus viã, conculcaturquo significantur, qui cum audiant verbum dei, tamen irruente diaboli illud sibi eripi facilè sinunt, suggestionésque diaboli suscipiunt: vnde fit vt nec credant, neque ex fide saluentur. Nanque verbum dei tunc secus viam cadere dicitur, quando est homo qui audiens quidem verbum diuinum, cogitationes tamen multas habet vanas & leuissimas, cor etiam affectibus inutilibus velut via quadam assidua tritum. hæc ista nimirum via mala est, via (vt inquit Dauid) polluta, quando cor aliquod plenum est cogitationibus immundis & vanitatibus mundi, quod vbi primùm induruerit obducto callo, non recipit semen, sed hoc vix in summa dispersum superficie iacet. vnde crediderim Christum hîc per via pigros intelligere & ignauos, iuxta ipsam quoque Chrysostomi sententiã, qm̃ sicut semen in via sparsum, nullũ fert fructum, ita isti cum torpeant toti, nullam afferunt boni operis frugem. Sed & siquando bonæ cogitationis piique affectus seminarium aliquod in eorum animis exurgit, id totum suggestionibus diaboli & cogitationibus leuissimis suffocatur, iuxta illud verbum Moysis, deuorabunt eos aues morsu amarissimo. ¶ Est & illud hoc loco obseruatu dignissimum, quòd sicut hîc semen conculcatum, auibus deinde vorandum relinquitur: ita homo locum præbet primum immundis cogitationibus, sicque liberum offert diabolo ingrediendi auditum, quod diligenter illa Tobiæ Sara præcauit, vnde & dixit, Nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum iis qui in leuitate ambulant, participem me præbui. Vbi videant qui stultè nimis sibi persuadent innocentes se esse, cùm nec auari sint neque luxuriosi, & subinde tum

Luc. 8. *1. Reg. 12.* *Chrysost.* *Deut. 32.* *Tob. 8.*

gestibus sunt impudentibus, verbis & animo nimium licenter lasciuiunt: dum nihil in ipsis agit verbum dei, sed solo ore Christiani sunt, opere bono nihil minus quam Christianismum profitentes: quoniam in auribus tantùm eorum verbum dei persistit, ad animum non peruenit, neque cor commouet. Quisquis autē ad opus perducit, quod auditu percipit, verbum sanctum dei is & obicem ponit diabolo, & eum totum expellit, facitque vt quod concepit, sibi nō auferatur semen.

2 Est & semen aliquod, quod in petram incidit, natúmque statim aruit, quia non habebat humorem. Id exponit Christus ipse, significare eos, qui cum gaudio quidem audiunt verbum dei, verùm hoc radices in eis nullas agit, vnde ad tempus tantùm credunt: atque vbi primùm persecutio ingruat, recedunt: ij nimirum qui tum instabilitate, tum animi sui tarditate non perseuerant in bono proposito, quod ex prædicatione hauserant, quoniam radicem perseuerantiæ non habent: cùm multi sint vtique, qui cùm audiunt verbum dei, multa bona sibi proponunt, é quibus tamen primo statim aduersitatis tempore excidunt, & inchoata etiam derelinquunt. Vt si qui sunt, qui audiunt vehementer à prædicatore disseri, contra fœditatem luxuriæ, proponunt sibi eam vitare perpetuò, pudore ducti eius, quam commmiserunt, impudicitiæ: verum quamprimum oculi eorum aliquid viderint quod concupiscant, animus quoque statim nescio qua carnali voluptate subitò velut rapitur, idem planè exercens quod paulò antè iniquissimum iudicauerat. fitque sic eis idē quod Balaamo, qui inspectis tentoriis populi Israël, dixit, Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. Sed deum immortalem, quàm subito hic ei periit affectus, cum ex rege Balach de muneribus & donis nonnihil audiret: statim enim tunc de cæde populi Israël cōsultarē cœpit, iam oblitus quāta illi paulò antè precatus fuerat bona. ¶ Hoc illud alterum est semen, quod cadit in petram, per quod tamen sunt qui superbos velint intelligere, qui sæpe magna vitia odio prosequuntur, sed ex superbia tātùm, sine humore omni tum deuotionis, tum humilitatis: & quid igitur aliud esse credas, nisi illud planè frumentum? de quo dixit Oseas, Culmus stans non est in eis, germen non faciet farinam: quod & si fecerit, alieni comedent eam. Hoc modo hypocritæ omnes instructi sunt, eóque animo prædit

Chrysosto. Gregor. Nume. 23 Nume. 24 Oseæ 8.

ad verbum dei, de quibus Paulus, Speciem, inquit, pietatis habentes, virtutem eius abnegant. Id năque genus hominū bona quidem multa facit, sed id totum exarescit, quoniam humore caret dilectionis dei, in imo iamdudum obduruit: nihil nisi petra est suopte vitio indurata, vnde quicquid etiam excrescit fructuum, nec maturescit, nec meritum habet: sed sicut fœnum tecti, priusquam euellatur exarescit. Hoc itaque auiditatis vitium est. non sic autem fructus iustorum, quem perhibet Hieremias esse velut lignum quod transplantatur super aquas, & ad humorem mittit radices suas. Vel iuxta cāticum Dauidis de viro beato, Tanquā lignū quod plantatum est secus decursus aquarum, & fructum suum dat in tempore suo. Et breuiter secundum Bedam, hoc est humor ad radicem seminis, quod iuxta aliam parabolam oleū ad lampadas virginum nutriendas, id est amor & perseuerantia virtutis. *2.Tim.3.* *Psal. 128.* *Hiere. 17.* *Psal. 1.* *Beda.*

¶ Tertium semen cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Hoc exponens dominus, ait, eos esse qui audierunt, & à solicitudinibus & diuitiis & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. En hîc triplices, domino testante, spinas, solicitudines, diuitias & voluptates: quæ singulæ semen verbi diuini suffocant, eò cum primis, vt inquit Gregorius, quia importunis suis cogitationibus guttur mentis strangulāt: & dum bonū desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum vitalis flatus vetāt. Sed & similitudinem seu cōparationem hanc ita insimulat Chrysostomus, vt quoniam vbicunque spinæ crescunt, ibi terra vt plurimum frigida, caliginosa seu obscura est & amara, ideóque in locis eiusmodi spinosis non est habitatio nisi serpentum. Ita & vbi spinæ solicitudinum sunt, seu diuitiarum aut voluptatis, ibi refrigescit animus in amore dei & proximi, cùm nemini vtique sit amicus, quisquis auarus est, quem non pudet exigui lucelli spe vtrūque in se cômouere parentem, fratres simul & sorores. Quid quòd deum ipsūm quoque posthabet pecuniæ, & omnino vbi auaritia est ibi nec amor nec fides est? Præterea, in spinis quod semp opaca caligo est, quodq; omnibus auaris nunquā sol splendet, neq; luna lucet, nec quicquā nisi aurū amatur & argentū, id vtrunque mauult quàm omnes totius mūdi creaturas. Tacere non possunt quàm amaræ & acerbæ sint diuitiæ, earúmque cupiditas auaritia, adeò vt diuitiis vti non audeant, quando insa- *Matt. 25.* *Grego.* *Contra auaritiam.*

tiabilis & habendi voluptas, & in rebus posſidendis libido, auari hominis præcordia obſederunt, adeò vt non ſit cõmodior habitandi locus diabolo, quàm ſub eiuſmodi frigido, amarulento & auaro pectore. ſiquidem verum eſt illud Pau-
1.Tim 4. li, quod malorum omnium radix ſit auaritia. & quanuis vana omnium vitiorum concupiſcentia, animum hominis pungit, cò quòd non eſt aliquod peccatum tantopere voluptatis plenum, quin annexam ſibi penam iunctámque habeat ſpinam quæ pungit. Super qua re pulcherrimum eſt illud Au-
Augu.lib. guſt. verbum, Iuſſiſti domine & ita eſt. vt ſit ſibi pœna om-
1, de cõfeſ. nis inordinatus animus. Magis tamen Chriſtus ſpinas auaritiæ comparat, quàm cuiquam aliorum peccatorum. fit enim neſcio quomodo, vt præ omnibus aliis vitiis magis animum hominis auaritia deſtineat, torqueat, excruciet. Sed iam dudum obmurmurantem aliquem audio dicentẽ, cur voluptatem & ſolicitudinem cũ diuitiis iunxerit hîc dominus? Huic ſanè pulchrè reſpondet S. Greg. dicens, Quoniam diuitiæ & per curam mentem opprimunt, & per affluentiã reſoluunt. profectò enim diuitiæ vix tandem maximis laboribus & mi-
Auguſti. ſeriis acquiſitæ, auaritiam tandem pariunt: quia opum, vt inquit Auguſt. infirmitas eſt ſuperbia, & verè magnum ac generoſum oportet eſſe animum, qui ab infirmitate in diuitiis non afficitur, cùm difficilimum ſit diuitem non efferri & ſuperbire. Quòd ſi autem verum eſt illud poëtæ, non omnino temére eſſe quicquid vulgo dicunt mortales, prouerbium illud vulgare mihi videtur eſſe veriſsimũ. Diuitiæ neminem faciunt humilẽ, & diuitiæ delicias quærunt: ſicut videmur iam in aſsiduis conuiuiis diuitũ. Quò facit illud Ber-
Berna. nardi in meditationibus miſeriæ vitæ humanæ. O homo, cõtẽne omnia, & habebis omnia. periclitatur caſtitas in delitiis, humilitas in diuitiis, pietas in negociis, veritas in multiloquiis, charitas in hoc nequam ſeculo. Vt rectè omnino di-
Gregor. xerit etiã beatus Greg. Quia voluptas conuenire non poteſt cum afflictione, alio quidẽ tempore per cuſtodiæ ſuæ ſolicitudinem affligunt, atque alio per abundantiam ad voluptates
Eccle. 11. emolliunt. quamobrẽ & Sapiens ait, Diues es? nõ eris abſque
Hieron. peccato. Et Beatus Hieronymus, Diues, aut iniquus, aut iniqui hæres. quãuis non rarò vtrunque verum ſit in eodẽ, ita vt quicquid vetulus iniquè & contra deum aſsiduo quæſtu lucratus eſt, id omne temerè & perinde impiè iuuenes prodi-

gi exponãt,ſicque maxima ſæpe bona inſtar niuis dilabantur. Micheas inquit, Diuites eorum impleti ſunt iniquitate. quãdo enim quis,cùm ſit diues,malam inſuper habet voluptatẽ,poteſt intẽdere ſuperbiæ, vnóque peccato multos homines inuoluere. Tollit enim animos opulẽtia: ad quam ſi cũ imperitia accedat poteſtas,iam res ad inſaniam vſque procedit,¶Iámne videtis ſpinas eſſe diuitias? malas ſaltem: quibus ſemper adiũctæ ſunt ſpinæ, vel curarum vel voluptatũ,quæ verbũ dei ſuffocãt: ídque ea de cauſa, quoniã ſpinæ naturaliter è terra ſuccreſcũt, ſed tamen illud à terra alienũ eſt.ideóque ſpina inde fœliciùs vegetiúſque enaſcitur,quam bonũ ſemẽ,ſicut ipſi in lolio,filice & zizania videtis. Accedit huc quòd & in nobis ſpina eſt prauæ concupiſcentiæ ad diuitias & voluptatem,creſcens ex iſta innata nobis maledicta terra,quando omnis ſenſus & cogitatio noſtra etiam, adoleſcentia nititur in malũ. Et interim quicquid illud eſt ſeminis ex verbo dei,alienũ eſt nobis & aduerſum: neque ita feliciter radices agit in pectore noſtro. verùm filices vltrò creſcũt,quòd de ſe quoque cõqueſtus eſt ſanctus Paulus. Video aliam legem in membris meis repugnãtem legi mentis meæ,& captiuãtem me in lege peccati.& ſuprà,Scio quia nõ habitat in me,hoc eſt,in carne mea,bonũ nam velle quidem adiacet mihi,perficere autẽ bonũ nõ inuenio. Ita præualẽs in nobis cõcupiſcẽtia,ſuffocat ſemẽ dei, cuius ſi apertũ exẽplũ requiris, en ibi in euãgelio Chriſtũ ſemen ſuũ in agrum principis inſerentem,cùm diceret, Adhuc vnum tibi deeſt, omnia quæcũque habes, vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo:& veni, & ſequere me. Verùm quid ſequitur? His ille auditis contriſtatus eſt,quia diues erat valde. Et adhuc dubitatis diuitias eſſe ſpinas, quæ verbum dei ſupprimũt? vnde & deinceps dixit dominus, Quàm difficile qui pecunias habent,in regnum dei intrabunt.

Mich. 6.

Gene. 8.

Rom. 7.

Luce 18.

¶Quartum ſemen cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum. Ablato iam illo,quod in viam ceciderat ſemine à diabolis,& quod in petram, ariditate corrupto,quod amoris diuini humore careret, aliud a pungentibus diuitiarum ſpinis ſuffocatũ eſt,verè quidẽ ſpinis. ſiquidem illæ ſunt quæ maximis laboribus acquiſitæ, paríque timore poſſeſſæ, miſerrimè tandem amittuntur & pereunt. Nũc demum ſe offert ſemen, quod cum cecidiſſet in terram

bonam, ortum fecit fructum centuplum, eóque designantur illi, qui in corde bono & optimo audiẽtes, verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. Hoc nimirum illud est se-

Gene, 26. men Isaac, quod ille proiecit in terram, & inuenit eo anno centuplũ. Sed tu hîc mihi solerter obserua, quòd dominus (iuxta diligẽtem Theophy. annotationẽ) semen hoc bonum

Theophy. trib⁹ descripsit proprietatibus, quibus superiora semina tria caruerãt. Quarũ prima est, quod dixit dominus, quoniam semen bonum ij sunt, qui in corde bono & optimo audiũt ver-

Bed4. bum dei & retinẽt, quod sanè nõ fecerãt primi. vbi semẽ cecidit secus viam, & nõ multò pòst, ab auibus est ereptum, ij vtique nõ retinẽt verbum dei, sed simul ac egrediũtur tem-

Iacob.1. plum, verbi obliuiscũtur diuini. fitque eis illud quod Iacobus dixit, Si quis auditor est verbi & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerat.

2 Subiũgit, quod semẽ illud bonæ terræ ortum facit fructũ cẽtuplũ. hoc sanè semẽ tertiũ nõ fecerat, quòd licet mãserit, suffocatum tamẽ est sub spinis, & sic sine fructu deperiit.

3 Ait dominus, quòd fructũ illi afferãt in patiẽtia, id nõ facit semẽ quod in petras incidit, quoniam isti sustinere nihil possunt, sed vbi primum irruerit tempestas persecutionis seu aduersitatis non sufferunt nec patiuntur quicquam, verum à proposito bono statim resiliunt.

¶ Quòd si dicas, videre tu iam & tecũ posse colligere, quoniam hîc discipuli docebantur, ne dolerent, videntes se nõ semper ex prædicationibus suis debitos fruct⁹ referre, quãdo hoc idẽ Christo acciderit, verum hoc adhuc mirari, qui fiat, vt prudẽs agricola semen suum, vel in terram non bonam, vel in petram, vel etiam in spinas iniiciat, non ignarus vtique nihil se inde fructus reportaturum, vt iam nequeat ille subterfugere, quin malitiæ saltem insimuletur hoc modo

Chrysost. seminare volens. Idem etiam Chrysostomus sentit, perhibens verum hoc esse in corporali semẽte, vbi absq; crimine futurus nõ erit agricola, qui hoc faceret. in animis autẽ hominũ non item. ibi enim rectè & laudabiliter fit hoc, quando possibile est, vt petra spiritualis, cor & pectus durum, conuertatur in terram fertilem, conseruet semen, fructum ferat quàm plurimum, vbi semen nec conculcetur, nec exarescat, nec suffocatũ quoque pereat. nãque nisi hoc possibile

esset, semē ibi iniectum nō esset. Et quāuis cor durum dum induratum manet, fructum nullum fert, sicut de malis dixit Hieremias, Indurauerūt facies suas supra petram, & nuluerūt reuerti. Et Iob, Cor eius indurabitur tāquam lapis, & stringetur quasi maleatoris incus. Tamē quisquis vtique gratiæ diuinæ nec resistit, nec aliquē ponit obicem, ei sanè cor suum non poterit non emolliri, iuxta illam Ezechielis prophetiam, Auferā cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Ita emolliuit deus ipsum Iob, vt diceret etiā, Deus molliuit cor meum, Ita molliuit durissimū istud cor Pauli, vt nō dubitaret clamare, Domine, quid me vis facere? Hoc scilicet illud est tamen, quod & ideo seritur, vt corda dura, immūdos animos & infirma pectora emolliat, purget & cōfirmet, eò quòd viuus ille est dei sermo, quolibet gladio ancipiti magis penetrās. Verum vbicūque verbū dei nihil operatur, nulla planè neque seminis nec seminātis est culpa, sed terrę malę, quę deū respuit, eiúsque verbum sanctū nō admittit, sicut per prophetam dicitur. Perditio tua ex te Israël, tantummodo in me auxilium tuum. Ita fiet, vt omnibus semet hominibus vltrò gratię volūtatique diuinę committētibus, nulla futura sit in cordibus nostris petra, spina nulla, nulláque vię durities, sed omnia in nobis verbum dei operabitur & purgabit. Beat⁹ homo qui nō sine fruge audit verbum dei, tūc autem audiet cum fructu, quando etiam opere seruabit quod audit, sicut Christus testatur, inquiens, Beati qui audiūt verbum dei, & custodiūt illud De huiusmodi siue purgatione, siue sanatione Dauid loquitur, Misit verbum suum & sanauit eos. & eripuit eos de interitionib⁹ eorum. Postremò simpliciter admodum ostendit Lucas, quomodo semen, quod in terram bonam cecidit, fructum fecit centuplum. Matthæus hæc omnia planiùs, & inter reliqua etiam refert, quomodo aliud semen fructum retulerit centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum, quod ferè solent exponere de triplici statu, coniugum, viduarum & virginū. Ego id omne hîc missum facio, tātum hoc ex eo infero, quod sicut inæquales sunt mali, qui tamen omnes audiunt verbum dei, ita etiā boni in quibus nō æqualiter illud operatur: sed tamen multitudo fructuū in patientia inuenitur, vt ait Gre. Terra bona fructū reddit per patiētiam, quia nulla sunt bona quę agim⁹, si non ęquanimiter etiā proximorū

Hiere. 5. | Iob 41. | Eze. 36. | Iob 23. | Act. 9. | Heb. 4. | Osee 13. | Lucæ 11. | Psal. 106. | Matt. 13. | Grego.

mala toleramus: quātò enim quisquis altius profecerit, tātò in hoc modo inuenit quod durius portet: quia cū à præsenti seculo mentis nostræ delectatio deficit, eiusdem seculi aduersitas crescit. Ideóque & dominus ad apostolos dixit, In
Lucæ 21. patiētia vestra possidebitis animas vestras. siquidē patientia
Iacob.1. iuxta verbum Iacobi, opus perfectum habet. Quomodo omnis scriptura patientiā nos docet, ita Dauid quoque, dicens.
Psal 61. Patientia pauperū nō peribit in finem. Et Paulus quoq; te-
1.Cor.6. statur, tribulationem parere in nobis patientiā, & hāc rursus probationem, &c. Et iterū, in omnibus exhibeamus nos sicut dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus
1. Tim. 2. in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, &c. Alibi quoque. Labora sicut bonus miles Christi Iesu. nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit. Laborātem agricolā oportet primum de fructibus percipere. Sed quo prouehimur, cum tota vndique scriptura patientiæ laudibus abūdet?
Grego. ¶ Sanctus Grego. tres hic affert similitudines, inquiens, Sic vua calcibus tūditur, & in vini saporem liquatur: sic oliua contusionibus expressa amurcam suam deserit, & in olei liquore pinguescit: sic & per trituram areæ à paleis grana separātur, & ad horreum purgata perueniunt. Quisquis ergo appetit plenè vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tollere, vt tantò pòst ad inuicem mundior veniat, quantò nūc eius rubiginem ignis tribulationis purgat. Affert deinde historiam de quodam seruulo, qui cū per omnem vitam suam decubuisset paralyticus, omnia tamen mala tāta sustinuit patientia, vt eam mirabiliter tādem in morte eius hominibus declararit, hominibúsque commendarit deus. Moriente enim illo, tantus circa eum vndique diffusus est odor, vt eius suauitatem admirati sint omnes homines idque factum est viuo adhuc Gregorio Neque verò aliud est hoc quàm quod dominus hic ait, semen tunc in terram bonam cadere, quando sunt qui audiunt verbum dei, & illud seruantes, fructum afferunt in patientia. Quid restat igitur, nisi nobis quoque expectandum esse, non minus quam agricola, vbi iam terram proscinderit, & eam seminibus compleuerit, fructum tamen suum expectat, sustinet firmiter, pluuiā matutinā simul & serotinā in tempore suo subinde recipiens? Et vos itaque in Christo dilectissimi, patientiā habe-

te,quæ nobis summopere necessaria est: vt sic volūtatem dei *Iacob.5.*
adimplentes,mercedem etiam promissam recipiamus: sicut *Hebr.10.*
Paulus inquit,Semper vos ad operū bonorū sedulitatem excitate,agrúmque cordis vestri probè curātes,facite vt sit ille pinguis in deuotione,bene irrigatus lachrymis, neque minus complutus doctrinis sanctorū,irroratus etiā rore gratiæ proscissus ligone disciplinæ,euulsis tamen ex eo spinis & zizaniis omnibus per pœnitentiā & confessionem, stercoratus deinde stercoribus dolentissimæ contemplationis præteritorum peccatorum,totus planè fertilis factus meditatione amarissimæ passionis domini nostri Iesu Christi, vt sic ager vester fructus bonos,& vos laboris vestri condigna præmia suscipiatis in æterna felicitate, Amen.

HOMILIA III.

PARABOLA hæc euāgelica de cuiusmodi semine narret,ipsum nobis explicat euangelium, vt iam facile sit illam intelligere,quam optimus maximus magister dignatus est interpretari: nec est quod aliam inquiramus expositionem. Verum hoc inde discimus, quoniam varia in scripturis semina inueniūtur,sicut in ipsa Christi schola, quum iam legeretur euangelium,audiuimus de semine verbi dei, cætera quoque seminum genera in sacris literis similiter explicare:cui rei homiliam hāc dicare lubet, symbolicā planè,vnde quisque semet & intellectū suū probans,videat quomodo se in similibus exerceat symbolicis. ¶ Et principio quidem inuenio semen nobile, quod deus pater seminauit dominum nostrum Iesum Christum,verū illū filiū dei. Id ita esse docemur in Genesi,vbi dictum est Abrahæ, In semine tuo *Gene. 22.*
benedicentur omnes gentes terræ. Et ex Paulo, Abrahæ di- *Galat.3.*
ctæ sunt promissiones,& semini eius. Non dicit, & seminibus,quasi in multis,sed quasi in vno,Semen illud purgatissimum fuit,& ab omni palea mūdissimū,cū adhuc in sinu esset seminatoris,proiectum autem in terram, cutem suscepit, & nonnihil de palea humanitatis:quā admirati sunt etiam angeli, dicentes,Quis est hic qui venit de Edom, tinctus vesti- *Esa.63.*
bus de Bosra?Hoc ipsum semen ter seminatū est, primū statim in optimam simul & purgatissimā terram virginis Mariæ,terram illam de qua cecinit Dauid,Dominus dabit beni- *Psal. 44.*
gnitatem,& terra nostra dabit fructum suum. Castissimus virginis matris vterus fructū nobis protulit Christū Iesum.

Ioan.12. 2 In agrum sepulchri, nanque oportebat granũ illud frumenti & in terram cadere & emori, ne solum maneret, sed vt fructum multũ afferret. Tunc enim plurima corpora sanctorum, qui dormierant, resurrexerunt, & deinde cum domino in cælum ascenderunt: vt impleretur prophetia quæ habebat, Et fructus terræ sublimis. Sublimatus est vtique ille fru-
Mat.27. ctus terræ ex maria virgine sumptus, quando super oẽs cho-
Esaiæ 4. ros angelorum exaltatus, ad dexteram patris sui est constitutus. 3 Seminatum est idem hoc semen per vniuersum orbem à sanctis apostolis in ipsis hominum intimis præcordiis,
Isa.27. quando impletum est illud Esaiæ, ingredientur impetu à Iacob, efflorebit & germinabit Israël, & implebunt faciem orbis semine. 2 Aliud adhuc quoddam est semen dei, nostræ animæ innatum seu increatum, id verò triplex est, posse, cognoscere, & velle. Posse seminat in agrum nostrum deus pater, cognoscere filius, velle spiritus sanctus. Semen illud potestatis in prælatis est, quibus magna facultas est, quam plurima & bona facere & mala præcauere: suffocatur autem per curas seculares. Quando enim prælato alicui dicitur, hoc aut aliud mandandi agendique ius penes ipsum esse, cõcedit quidem, verùm dictu: citius obiicit tantis se curis distineri & distringi rerum secularium suæ ecclesiæ, vt nequeat illud efficere. En tibi hîc curarum & solicitudinum spinas, quibus bonum semen suffocatur. Semen verò cognitionis siue scientiæ seminatur in animos & pectora doctorum, magistrorum & cæterorum presbyterorum: semen & illud quidem bonum, sed citò exarescens dum crescit, quando humore gratiæ pietatisque non irrigatur, eo nimirum, quoniam in terram petrosam cadit superbiæ & insolentiæ eorum, qui videri in hoc tantùm volunt, quorúmque radix non bono animo inhæret
1.Cor.8. domino Iesu. Agnouit hoc Paulus, dicens, Scientia inflat, charitas verò ædificat. Semen quoque tertium voluntatis inserit spiritus sanctus pectoribus omnium hominum, vt vndique coalescens exurgat, enascatur per multa opera bona quę subinde sibi homines etiam non omnino optimi proponunt. Atqui illud volucres deuorant & abripiunt, cùm diabolus funditùs exanimis hominum euellit. Ita videtis, quomodo nobilissimum hoc semen, potestatis quidem in prælatis suffocatum est: scientiæ verò, exaruit in doctis & voluntatis bonæ, in omnibus pene hominibus deuoratum est à dæmonibus &

ſpiritibus immundis. Vſque adeo ex multo ſemine, quod in agros cordium hominum ſparſit & iniecit deus, tam exiguam meſſem refert, dum fit illud quod dixerat Haggeus. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum, Tantum virtutum donorúmque ſuorum nobis inſerit deus (ſicut ipſe apud Matthæum dicit, Regnum cælorum ſimile eſt homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo) quantum gratiarum homini cuipiã confert deus, tantum ſeminis ſeminat. Vbi ſi bona ſit terra, fructum refert centuplum. & is ſanè habet quod gratias agat deo, qui firmum ſolidum & habet cordis animíque ſui fundum: ſicut habetur in Deuteronomio, Benedicas domino deo tuo pro terra optima quam dedit tibi. Hoc modo bonum etiam temporale alicui à deo collatum, ſemen dici poteſt, quod diſſeminare quiſque debet inter pauperes: vt ex illo immenſus ei fructus creſcat in vitam æternam. Et ſic Paulus ait, Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandũ præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ. Eodem enim capite multa ille de eleemoſina loquitur, vt ibi, Qui parce ſeminat, parce & metet. Et, Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. O fœlicem, ô beatum hominem, qui ſemen gratiæ diuinę in ſe creſcere facit, vnde rurſus cum fructibus quã plurimis à deo in vitam ſuſcipiatur ęternã! ſicut dicit Oſeas, Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ. *Hag. 1. Deut. 8. 2. Cor. 9. Oſee, 10.*

3 Eſt & videre in ſcripturis quoſdam, qui ſemẽ malũ ſeminãt ſemen innutile & nociuũ id ſanè facit diabolus, inferens pectoribus noſtris ſemen peſsimum, quomodo ſerui illi dixerunt ad dominum, Dñe, nónne bonũ ſemẽ ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis, Inimicus homo hoc fecit, Hoc nimirum iſtud eſt quod diabolus ſeminat vitia. ſuggerit mala. nec vnquam à tentationibus quieſcit. ſemen hoc peſsimum eſt quod diabolus per vniuerſum hunc mundum diſpergit, quando per ſe facilimè a deo & vltrò pœnitus lolium iſtud enaſcitur: quoniam, vt inquit Sapiens. Qui ſeminat iniquitatem metet mala. Vnde & ſator malorum diabolus appellatur. Plures adhuc mali & inutiles ſeminatores in literis ſacris hinc inde commemorantur: è quibus ſunt qui in ventum ſeminant, prædicantes vel aliud quid boni operis agentes captãdi nominis & arrogandæ gloriolę gratia, vt videantur ab hominibus: quod plerunque in ſuis. *Mat. 13. Eſa. 5. Prou. 22.*

Osea.8. concionibus faciunt hæretici, quorum omnium semen ventus & aura vehit, de quibus propheta, Ventum, inquit, seminabunt, & turbinem metent. Sic faciebat & Ephrain: vt ibidem
Osea. 12. habetur, Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum. Tota die mendacium & vastitatem multiplicat. Hoc vtique faciunt prædicatores hæretici, aliud ex alio commiscentes mendacium in fide nostra catholica. Et hic animus istius seminatoris pessimus est, totum simul opus perdens, quandó gloriam solùm temporalem respicit: vnde super eum vergit maledictio
Mich. 6. ista prophetica. Tu seminabis, & non metes: tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo: & mustum, & non bibes vinum, Qui sic inquies, quoniam semen illud per se quidem bonum erat sed pharisęi isti inuentum tantum modo vanæ gloriæ semi-
Hiere. 12. nant, vnde etiam fit eis secundum illud verbum Hieremiæ, Seminauerunt triticum, & spinas messuerunt. Triticum opera bona significat, sed persuasa illa humanæ laudis opinio, instar venti auehit semen, pro quo spinæ peccatorum enascuntur.

¶ Sunt etiam qui in carne seminant, adeò vt quicquid vel faciunt vel omittunt, totum ex voluptate carnis pendeat, vbi semen illud in mala terra perinde perit. De iis dicit Paulus,
Gala. 6. Quæ seminauerit homo, hæc metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem.

¶ Hoc quicquid est, aliud certè non est, nisi lolium & filices, herbásque nociuas seminare in æternam damnationem: siue id verbis fiat, siue operibus malis, siue peruersis dogmatibus, siue offendiculo proximi, siue seditionibus, aduersitatibus, odio & inuidia: quibus malis omnibus tota iam, prohdolor, vndique abundat Germania, in qua quotquot huiusmodi semen malum seminant, mala itidem metent: tandémque deus & seminatorem & messam totam abiici faciet in gehennam ignis vbi erit fletus & stridor dentium.

¶ Seminatores autem boni in spiritu seminant & veritate, ideóque in benedictione metent, de quibus iam suprà dictum
Psal. 125. est ex Dauide, Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos in æternam fœlicitatem.

¶ Ad exremum iam velut auctarij loco dominicæ huius rationem aperiamus, cur nã sexagesima dicitur. Vbi principio nobis ordo ipse occurrit, quoniam enim proxima dominica

ſeptuageſima dicebatur, cur non hæc meritò ſexageſima appelletur? Iam verò ſecundam mundi ætatem contemplatur eccleſia, quæ cœpit in Noe. vnde matutinæ quoque lectiones hoc idem inſinuant. Eſt & dominica ſexta antè Iudica. Cuiuſmodi rationes de hac quoque dominica ſicut de ſuperiori poſſent afferri, quibus omnibus breuitatis ſtudio ſuperſedendum puto. Nos iam deum oremus pro vera & conſtanti pace, vt ille à nobis omnia bella auertat, omnes hæreſes & errores è fide catholica radicitus euellat, peccatoribus omnibus pœnitentiam ſuorum criminum concedat & contritionem veram, afflictos conſolari dignetur, iis quoque omnibus miſereatur & propitius ſit pro quibus orare tenemur. Oremus & pro parentibus amicis, benefactoribus & fautoribus noſtris: pro iis etiam, quibus nos non parua fuimus peccandi cauſa, & pro omnibus fidelibus defunctis. Hæc vt impetretis omnia, pia mente dicatis orationem dominicam. Sed ego quoque vna ſalutatione angelica interceſſores vos mihi cupio eſſe pro omnibus illis, pro quibus orare debeo. &c.

Generalis formula concludendi homilias.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ EVANGELIVM, LVCÆ 18.

IN ILLO tempore, Aſſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos, Matt. 20.
& ait illis, Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur om Mar. 10.
nia quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquam flagellauerint, occident eum, & die tertia reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt: & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Factum eſt autem cùm appropinquaret Hie- Mat. 20.
rico, cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans. Et cùm audiret tur- Mar. 10.
bam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quod Ieſus Nazarenus tranſiret. Et clamauit dicens, Ieſu fili Dauid, miſerere mei. Et qui præibant, increpabant eum vt taceret; ipſe verò multò magis clamabat, Fili Dauid, miſerere mei. Stans autem Ieſus, iuſſit illum adduci ad ſe. Et cùm appropinquaſſet, interrogauit illum dicens, Quid tibi vis faciam? At ille dixit, Domine, vt videam. Et Ie- Mat. 9.
ſus dixit ei, Reſpice, fides tua ſaluum te fecit. Et confeſtim vidit, & Mat. 5.
ſequebatur illum, magnificans deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

HOMILIA I.

PRINCIPIO euangelium hoc narrat, quomodo Christus discipulis suis & amaram passionem & gloriosam prædixerit resurrectionem. Deinde miraculum habet, quò cæco visum restituit. Quod ad primum attinet, Christus passionem suam & mortem hîc discipulis in via, idque multis de causis aperuit. Antea enim turbis quoque manifestarat, sed obscuræ, ita vt intelligere non possent: sicut apud Ioannem, Soluite templum hoc, & ego in triduo reędificabo illud. loquebatur enim de hoc templo corporis sui. & in Mattheo, Signum petit generatio nequam & adultera, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionę prophetę. Rursus quoque apud Ioannem Adhuc modicum temporis vobiscum sum, & vado ad eum qui me misit, & quęretis me, sed non inuenietis. Omnia hęc de passione sua & morte dixit, sed latenter tantum, neque intelligebat ea vulgus. Verùm discipulis suis tanquam electis iam palam & apertè passionem suam manifestat, non tacens etiã flagellandum se & crucifigendum. &c.

Christus passionem suam prædixit. *Ioan. 2.* *Mat. 12.* *Ioan. 7.*

¶ Quòd si dicis. quid tandem profuerit populo nec intelligenti neque intellecturo, tam occultè insinuatam prędicere passionem, an non retulerat tacuisse? Chryso. respondet. Hęc Christum ideo dixisse, quòd isti ex imperio vulgo homines, quanuis ante mortem eius quę dicta essent ab ipso, non cognouerunt, tamen post mortem, eorũ quę aliquando audierant. tandem recordabantur, qua recordatione faciliùs persuaderentur, secúmque cogitarẽt ipsi. Christum & passionẽ & mortẽ vltrò subiisse. Quod quid nec Christiani etiamnum hodie in fide nostra non paulò fortiùs confirmamur. audientes Christum adeò multis modis mortem suã prædixisse? Vbi notatu quoque non indignũ est, prophetias in genere priusquam intelligantur, non impleri: quanuis tunc temporis aliquot milia Iudæorum erãt, qui prophetias de Christi supplicio & morte legebant quotidie, tamen pauci adeò erant qui intelligerent, tantisper dum omnibus iam consummatis, tandem multi Petro prædicanti crederent & baptizarentur. Et quid mirum, si eodẽ planè modo nunc nobiscum Antichristo quoque fiat, de quo cuiusque præcursoribus, vtut apertissimæ sint scripturæ & prophetiæ omnes, quotusquisque tamen est ex vulgo, qui vel intelligere vel corde velit concipere? Verum id si fieret non ita Lutheranis, Zuinglianis (& quibus

Chrysosto. super Matth. *Act. 4.*

bus denique non hæreticis?) pertinax istud vulgus blandiretur, faueret & aquiesceret. Aut quid apertius, quàm ex illa lucidissima, & vel hoc sole clariore Danielis prophetia, Lutherum omnésque alios quotquot cultum dei in canticis & sacro sancto missæ sacrificio abrogare nituntur, Antichristi esse præambulones agnoscere? Hęc aliàs. Discipulis autem inquit Chrysostomus homilia sexagesimasexta, clarius prædixit ignominiam mortis suæ, vt expectatione exercitati faciliùs passionem doloris perferrent. Nam si præmeditati non fuissent, vehementi turbatione quassati iacuissent. Hac de causa de morte solùm primum faciebat mentionem: cùm autem corroborati fuerant, cætera quoque adiecit: scilicet, quòd tradent eum gentibus, &c. Sed & ideo hoc eis declarauit, vt cùm hæc à Christo prædicta tristitia viderent sopita, certam tunc sibi spem conciperent fore, vt lætissima illa resurrectionis suæ mysteria adimplerentur: & vt magis pati se voluntario ostenderet, vltrò ad locum supplicij pergebat. Ecce, inquiens, ascendimus Hierosolymam. Prædicit ergo discipulis suis passionem propter duo. Vnum, vt ostendat quod non inuitus, neque vt purus homo mortem ignorans, crucifigatur, sed & prę uideat & voluntariò patiatur. Secundum, vt doceat eos leuiter ferre, quæ euentura erant.

Dan, 12. *Chrysost.* *Matt. 16.* *Theophyl.*

2 Assumpsit, inquit euangelista, Iesus duodecim apostolos, nimirum amicos illos suos, sicut ipse ait, Vos ego dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo, nota feci vobis: quæ scilicet toti populo manifestare nō licuisset sine scādalo quando fieri non potuit, quin iisdem auditis offenderentur. Petrus dicens, Absit à te domine, non erit tibi hoc. Quanuis ideo etiam hoc fecisse creditur, vt suo nos quoque exemplo disceremus, sermones nostros non omnibus manifestare, videntes illum perfectis tantùm conditione saltem & statu aperuisse. (secundum personam enim Iudas iam diabolus erat.) Assumpsit ergo Iesus duodecim, & duxit eos in locū passionis suæ, vt eiusdem idoneus sic illos testes efficeret, quomodo Abrahæ quoque manifestauit deus exciduum & interitū Sodomæ & Gomorrhæ, &c. eò quòd sciret ipse, illum generi suo totíque posteritati mandaturum, vt timerent nomen dn̄i. Eo dē nanque penit⁹ exemplo hic quoque apostolos suos Christ⁹ ducit in locū passionis mortísque suæ, vt sic possent vniuersæ plebi Christianæ per totū mundum testimonium dare illius,

Ioan. 15. *Matt. 16.* *Ioann. 6.*

¶ Et ait illis, Ecce ascendimus Hierosolymam. Vides in mortem suam properare dominum, suámque passionem ascensum quendam dicere: quo quid aliud, te quæso, voluit quàm quòd res ipsa exigit? Verè enim passione sua exaltatus est ille per virtutem redemptionis, per gloriosum illum victoriæ suæ triumphum, contra diabolum, infernum & mortem. Qui
Iob. 7. bus omnibus tota vndique scriptura abundat. Siquidem Iob
Ioan 3. dicit, Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.
Nume. 21. Eam tamen mortem exaltationem tantùm vocat Christus, etiam cum Nicodemo sic loquens, Sicut Moyses exaltauit serpêtem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Et rur-
Ioan. 12, sus. Quum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum & sic implebuntur omnia quæ scripta sunt de filio hominis. Quid quod & scopus quidam Christus est principalis omni-
2 Pet. 1. um prophetarum? ita enim Petrus, Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti dei homines. oportuit igitur prophetias illas omnes in Christo deum consummari. Ideo ad discipulos suos
Luc. 24. post resurrectionem dixit, Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me. Sed & Petrus ait, Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, suscipere remissionem peccatorum per
Actu. 7. nomen illius. Hinc tu quoque disce, non ignauus esse & tardus ad confitendum, pœnitentiámque agendam, &c. quando tãtopere dominus festinauit ad amarissimę passionis & mortis suæ locum. planè enim hinc discere debemus, non esse negligentes circa animarum nostrarum salutem, iuxta dictum
Eccle. 5. Sapientis, Non tardes conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem. (hoc tu, si voles, extende.) Cùm igitur nunc salutare adueniat tempus confessionis, admonitos vos volo, ne illam differatis vsque in vltimam septimanã, quando non erit aliquod vlterius proragandi tempus. Quin potius tẽpestiuiter quod facto opus est facite, cogitate Christum nõ distulisse passioné suam etiam amarissimam aggredi, vt sic sanguine te suo redimeret, tibíque à deo patre remissionem peccatorum impetraret. Et tu temet negligis, tuæque animæ salutem non curabis. Sed quid ago? Iam oblitus eram Bacchanalia adhuc esse, vnde fit vt putetis hæc ad vos nihil adhuc pertinere.

☞ Disces huic quoque vitam tuam ad sacræ scripturæ regu

Iam accomodare, ſicut hîc dominus fecit. Aſcendimus, inquiens, Hyeroſolymam. cauſam mox aperit, vt impleatur ſcriptura. Et nos igitur iuxta ſcripturarum dictamẽ decet viuere, admonente hoc etiam Paulo, Quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & cõſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Præterea quoque hinc ſequitur vetus teſtamentum & bonum eſſe, & ab ipſo deo cõtra Manichæos, qui illud reiecerunt, dicentes diabolum illud de diſſe: quos cùm in multis locis refutauit Auguſtinus, tum verò præcipuè cõtra Fauſtum & cõtra aduerſariũ legis & prophetarum. facit idem hoc cõtra quoſdam neochriſtianos, qui quorundã prophetarũ ſcripta nolũt eſſe biblica & canonica. *Roma. 15.* *Auguſtin.*

3 Quinque iam porrò paſsionis ſuæ articulos Chriſtus oſtendit, dicens, Tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquam flagellauerint, occident eum, Primùm, inquit, tradetur gentibus. Idadeò ex euãgeliſtis ſatis conſtat: dum enim Iudæi poteſtatẽ non haberent occidere quenquam, Chriſtum obtulerunt Romano præſidi Pilato, qui & ideo dixit ad Ieſum, Nunquid Iudæus ego ſum? quaſi diceret, Nihil minus: quoniam gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi. Verum hîc variã Chriſti traditionem ſancti patres cõtemplãtur, nanque & à deo patre traditus eſt, ſed diſpenſatiuè tantùm pro ſalute noſtra, ſicut Paulus teſtatur, proprio filio ſuo non pepercit deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Deinde ipſe quoque ſemet tradididit Chriſt⁹, ſicut & eo prædixit Eſaias propheta, eò quòd ille animam ſuam tradidit in mortem, deputatus cũ impiis, abſtulit peccata multorum, orauit etiam pro perſecutoribus ſuis, ne perirent. Præterea eũ tradiderunt & Iudæi in falſo iſto concilio, quod congregauerant aduerſus dominũ: tradiderunt eundẽ & pecunia, quã proditori Iudæ dederunt: de accuſationibus item, quas innocentiſsimo domino impiè intenderũt. Poſtremò ipſum prodidit infeliciſsimus Iudas ex animo quodam deſpearabundo & auaritię dedito, ſicuti magnus & ſatis nobis teſtis eſt Ioannes, dicens, Cœna facta, cùm diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotis. Quibus ille verbis etiam ad Iudæos venit clamitans. Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Hoc modo ſuis etiã Chriſtus prædixit deridendũ ſe & flagellandũ, ſicut deinceps ea omnia contigerunt: quæ quorſum opus eſt latiùs explicare, cùm *Ioan. 18.* *Mat. 27.* *Ioan. 18.* *Roma. 8.* *Eſa. 53.* *Ioan. 13.*

ea & res ipſa indicet, & à nobis ad longum ſint in paſsione pertractanda? ¶ Vnum eſt quod hîc obſerues, Patrum ſententia eſt, Chriſtum bis flagellatum à Pilato, ſemel pœnæ loco, alterum ex conſuetudine Romanorum priuſquam crucifigeretur. Quod & ipſa verba Chriſti hîc inſinuare videntur, quibus ille flagellationis bis meminit. Verùm triſtiſsima hęc letum ſequitur euangelium, quando dicit ſe die tertia reſurrecturum, qua re tum admonitos tum confirmatos voluit illos, ne paſsione mortéque ſua offenderentur, ne fidem in illũm amitterent, ſubinde memores diei tertiæ ſuæ reſurrectionis. Sicut enim in omnibus rebus finis lætus, leuia facit etiam grauiſsima media, ita hîc quoque. Moleſtum erat apoſtolis audire paſsionẽ Chriſti, & ſupplicia tãta neque minus graue fuit audire occidendũ eſſe illum: verùm in iis omnibus recreabãtur cogitantes, eum die tertia reſurrecturum. Hoc eis deinceps grauiter prædixit Chriſtus adhuc in cœna, Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. & infrà, Vos nunc quidem triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.

Ioan. 16.

4 Sequitur, & ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Vbi ſi miraris, quomodo apoſtoli tam apertiſsima Chriſti verba, illudere, flagellare, occidere, non intellexerint, cùm tamen Iudæi quę occultè eis Chriſtus dixerat, acceperint, Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum? Hęc nanque dicenti verba reſpondit turba. Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum: & quomodo tu dicis. Oportet exaltari filium hominis? Reſpondet ad hæc Beda, Quia, inquiẽs, diſcipuli vitã eius maximè videre deſiderabant, ideo eius mortẽ audire nõ potuerunt: quẽ non ſolũ hominẽ innocentẽ, ſed & deũ verum ſciebant hunc nullatenus mori vel poſſe putabant. Quod & Petr⁹ ſuo exẽplo ſatis docet dicens ad dominũ, Abſit à te domine, nõ erit tibi hoc. Et ij quidẽ iſta ex amore faciebãt omnia. Iudæi autẽ illi inuidebant cogitãtes quotidie cũ interficere, ac proinde facilè verba eius de morte intelligebant. Carnales quoque adhuc erãt diſcipuli, neque ſacramenta dei cognoſcebant & myſteria eorundem, quamobrẽ illos Chriſtus increpauit. O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus iis quæ

Ioan. 12. *Beda.* *Matt. 16.* *Luc. 24.*

locuti sunt prophetæ! Solent hîc quidam ex doctoribus allegoricè explicare, quinam sint qui Christum tradunt, derident flagellant, conspuunt, occidunt: quæ cùm ad passionem propriè pertineant, nunc intermitto. Rogemus dominum. &c.

HOMILIA POSTERIOR.

EVangelium hodiernum, priore sui parte manifestum est, & satis expressè aperit passionem & mortem Christi. Vbi tamen non immeritò fortassisque rat aliquis, qui fiat quòd ecclesia triste hoc & luctuosum mœroribúsque plenum iam hodie vsurpet euangelium, cùm tamen hodie per vniuersum pene orbem homines incipiant, non dico gaudere & lætari, sed furere & insanire: neque aliquem facere modum crapulæ ebrietati, choreis, lusibus, superbiæ, luxuriæ, & omnibus denique vanitatibus, ita vt vix vnquam toto anno largius diabolo census pendatur, atque hoc vno triduo. Vnde quis colligere non ineptè posset, ecclesiam euangelium hoc de passione, in dominicam Lætare vsque differre, & nunc aliud euangelium uel de quinque panibus, vel de verso ex aqua vino proponere debuisse. Ad hæc respondeo, Ideo omnino, quia nunc in omne genus flagitiorum & scelerum prouoluuntur homines, ecclesia euangelium hoc ordinauit in istam dominicam, vt sic illa filios suos admoneat sibi ab huiusmodi tum vitiis tum leuitatibus temperare. Quanuis enim honesta & amica gaudia prohibita nemini sunt hoc maximè tempore, excessus tamen iste vertitur in vitium. Et sunt tamen isti longè peiores, qui hoc triduo non contenti, die demum cinerum nescio quas non furias mouent, in contumeliam dei nostri & fidei sanctę, principium quadragesimalis obseruantiæ omnis generis sceleribus & flagitiis palam in magna, imo tota hominum congregatione, quò magis deum contemnant, auspicantes. Diem illum in hoc ecclesia instituit, vt homines cineres capitibus suis inspersos suscipiant, solemnibus istis verbis adiũctis, Memento homo quòd cinis es, & in cinerem reuerteris. Id cum more sancto & consuetudine laudata faciendum esset noua tandem incipiuntur conuiuia: & quasi pridiana non sufficiat crapula, lusus, potationes, & nescio quę vitiorum genera denuò iam redeunt. Quod quid obsecro est aliud, quam dei, spiritus sancti & ecclesiæ contemptus? Et quot sunt tandem, qui verò & constanter sibi proponunt tanta flagitia in alterum annum non repetere, ac proinde nec de præteritis

Bacchanalia festa quondam etiam gentilibus inuisa & prohibita.

Gene. 3.

veram contritionem, neque de futuro efficax in bono, propositum habent: quare si quò parent isti iter, quæris? Ad infernum. A tanta animarum iactura suos filios dehortatura ecclesia, euangeliũ iam hodie nobis ꝓponit de passione & morte Christi, quod toto aliâs anno in nulla facit dominica, excepta ea quæ est in Palmis, quasi diceret. filioli, videte, propter peccata vestra filius dei flagellis cæsus, conspurus, & in cruce mortuus est. Cauete vobis per hos dies a peccatis, neque rem maximam nihili adeò facite. quod si enim non damnum immensum & maximè perniciosum esset peccatum, cur ideo filius dei moreretur? Dum itaque cogitat homo se flagelli, clauorũ, spinæ, coronæ, lanceæ, ipsiúsque adeò crucis dominicæ auctorem esse & causam peccatis suis, meritò continebit se, vt ne temerarius adeò & leuis sit hoc cum primis tempore. Aut nonne per tota Bacchanalia abũdè satis téporis est, quò inter se conuiuia agant quilibet cerdones & manuarij opifices, vt die prohibito abstineant, quando certũ est, circunstantias téporum peccatum sępe facere, quod aliâs tanti non haberetur, sicut hîc videtis fieri. hodie enim & deinceps die cinerum omnes preces suas ecclesia dirigit in remissioné peccatorum. & qua tandé vesania nos peccare nunc demũ incipiemus? Christus inqnit, Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa. Sapiens quoque dicit, Propter crapulam múlti obierunt, qui autem astinens est, adiiciet vitã. Paulus quoque, Iam ambulemus, non in comessationib⁹ & ebrietatibus. Et iterum, Regnum cælorum non est esca & potus, sed iustitia, pax & gaudium in spiritu sancto. Ad Corinthios etiam, Cibus non commendat nos deo. Rursus, Esca ventri & venter escis, deus autem & hunc & has destruet. Etecce diues iste qui epulabatur quotidie splendidè, iam torquetur, & lasciuiæ suæ pœnas luit in flamma ignis, & tot annis emendicatam toties aquæ guttulam non impetrauit, Profectò verò verius est illud Senecæ oraculum magis quam apophthegma. Plures crapula pereunt, quam gladio. Et adhuc scire desideratis, quidnam proueniat ex huiusmodi crapula mali? En tibi, Noe inebriatum, denudatum, detectum, derisumque à proprio filio, quam ille deinceps maledicere coactus est ipse. Ecce & Loth ebrium, cum vtraque filia sua congressum. Ecce populum Israël in deserto quoque Bacchanalia peragen-

Bernard. *Luc. 21.* *Eccle. 37.* *Ro. 13. 14.* *1. Cor. 8. & 6.* *Luc. 19.* *O infelicẽ ebrietatẽ* *Genes. 9.* *Gene. 19.* *Exod. 32.*

tem, lasciuientem, potantem, laudentem, aurcúmque vitulum adorantem. quo euentu, dicere iam prohibet dolor, vetat miserandus exitus. Ecce Hela quoq; inebriatus occidit Zambri. 3. Reg. 16.
Amō filius Dauid in temulentia interfectus est à fratre. Holoferni ebrio Iudith caput amputauit. Simō Machabæus cum duobus filiis suis in ebrietate occisi sunt. Et pene iam præterieram sanctum Ioannem, qui capite suo pœnas rependit Bacchanalium Herodis. 2. Re. 13. Iudith. 13 3. Ma. 16
Dies mihi totus non sufficeret explicandis tantùm ebrietatis incommodis hinc enim blasphemiæ, cædes, iurgia, & vt ille inquit, reditura per iugulum verba. Quæ omnia sic breuiter in admonitionem vestram volui allata, vt vos meditatione passionis & mortis domini Iesu Christi non nimium crapula vos grauetis & ebietate: sed conuiuia agatis & honesta & modesta: id adeò vobis corpore, anima, & oculis vestris plus proderit. ❧ Ad hæc cæcum nobis hodie proponit ecclesia, cui Christus visum restituit, qui sanè iuxta historiam, quisnam fuerit, inquit Greg. ignoramus: sed tamen quid per mysterium significet, nouimus. Gregor. Beda.
Cæcus quippe est genus humanum, quod in parente primo à paradisi gaudiis expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans, dānationis suæ tenebras patitur: sed tamen per redemptoris sui præsentiam illuminatur. Hæc nobis contemplanda ob oculos ponit ecclesia, quomodo saluator noster oculorum cæcitatem nobis abstulit, ne diebus istis licentiosis, quibus mundana gaudia peraguntur, in peccata recidamus, secundū concupiscentiā malā: sicut gentes faciūt, quę deum nō nouerunt. Hæc iam pro eruditione vestra & salubri admonitione obedientiū, & excusatione mea sufficiant. ¶ Ad euangelium propero, vbi videmus non intelligentibus apostolis ea quæ de passione sua illis prędixerat Christus, ad miraculū ille cōuertitur, & ante oculos illorū cęcus lumen recipit: vt qui cœlestis mysterij verba nō caperent, eos ad fidem cœlestia facta solidarent. 1. Thes. 4.
Porrò quando hîc dicitur, Christū appropinquasse Hiericho, quærat aliquis, quî id fieri potuerit, quādo præcepit Iosue, ne vnquam ciuitas hæc rursus ædificaretur? Ad hoc sanè respondet Hieron. & dicit, Iosue vrbē illam diruisse, cōcremasse, maledixisse quoq;, & dixisse, Maledictus vir coram domino, quî suscitauerit & ędificauerit ciuitatē in Hiericho. In primogenito suo fundamēta illius iaceat, & in nouissimo liberorū ponat portas eius. Deinde verò tpib⁹ regis Iosue. 6. Hieron. 3. Reg. 16.

Acha, Achiel ex Bethel & Ephaim, ciuitatem Hiericho iterum extruxit, structuráque illa & primogenito suo Abirom, & vltimo filio priuatus est Segub: iuxta verba Iosue, Semper quoq; ciuitas ista infamis fuit latrocinio, quādo isthic in syl-
Luc. 17. ua ascendentes in Hierusalem despoliabantur, quamobrem Christus parabolam quoque de eo qui incidit in latrones, eò retulit. Ciuitatem ergo latrocinio insigniter notatam miserator & misericors dominus clementer visitare dignatus est,
1. Tim. 2. qui vult omnes homines saluos fieri: ibidem ouē illā Zacheū
Luc. 10. publicanum lucrifecit. Tanta autē exercitata ibi sunt latrocinia, vt Romani ciuitatem eam funditùs euerterint: quæ tamē iterum est ædificata, teste Hiero. Quomodo etiam Hierico lunam interpretentur nonnulli, vltrò hîc supersedeo.

2 Sedit cæcus hic secus viam mendicans. Cæcus peccatorem significat, qui iuxta viam iustitiæ in barathrum cecidit tenebrarum: & quisquis talis est, mendicare vtique debet: hoc est, sanctos dei inuocare, vt illi orent pro ipso, gloriosa enim virgo Maria, sanctíque apostoli diuites admodū sunt. Sancta Barbara quoque, Anna & omnes sancti. Verùm hunc cæcum neochristiani in vrbibus suis non paterentur, quando nemo audet inter eos mendicare. Atqui euangelicus etiam fuit cæcus, cum eum dominus sanarit. audiuit enim ille prætereūtis strepitum turbæ, & interrogauit quis esset, dixerūntque ei quòd Iesus esset Nazarenus. Sanè hæc turba erat, quia confusa, ex bonis malísque mixta, quando alius huc accurrebat ex præsumptione, ex inuidia alius, alius ex egestate, quidam etiam amore & animo bono adducti. Audiēs huius vulgi strepitū cæcus, quæsiuit, cōmodè quidem & opportunè, quæsiuit illæ, quoniā saluatorem suum inquisiuit, quærendo inuenit.
Matt. 20. Apud Matthæū duo cæci, quibus visum restituerit Christus, commemorantur: vbi quidam volunt idē à Matthæo illic, & hîc à Luca narrari: verum quod vnius tantū meminit Lucas, dicūt notiorē hunc altero fuisse, quod & in multis aliis euan-
Aug. in q. geliorum locis fieri constat. Augustinus autem vult non idem
Euan. li. 2. hoc fuisse miraculum, eò quòd à Luca descriptum, factum
c. 28. sit Christo Hiericho eunte, & iam ciuitati appropinquante. Verùm istud à Matthæo, tum demum sit factum, cum Christus egressus Hiericho, rediret Hierosolymā. Piè tamen credendum est, sanato hoc cæco à domino tantam in ea regione esse famam subortam, vt illi duo, de quibus Matthæus, iti-

dem ad Christum venientes, sanitatem receperint & visum.
¶ Magis credibile apparet, quoniam miraculum idem fuerit de quo Matthæus & Marcus scribunt, nom hîc cæcum etiã nomine exprimit, dicens appellatum eum fuisse Bartimæũ, Timæi filiũ, quem oportet sanè è maxima felicitate decidisse, vnde sic notus factus fuerit omnibus sua paupertate. mendicus enim & ipse fuit & cæcus, ideóque nomen eius Marcus expresſit, quod per ipſum tanta fama Christo succreuit. Et hoc forsitan est quod Marcus vnum tantum, Matthæus verò duos nominauit. ¶ Beatus August. spiritualem & mysticum quendã intellectum hîc vestigat illius, quòd Christus in itinere versus Hiericho, cęcum sanauit: & egrediẽs rursus duos. Cùm enim Hiericho idem sit quod luna, luna autem ob mutationis suæ vicisſitudines mortalitatem significet. hîc iam insinuatur quod Christus morti suæ appropinquans, vnum tantùm cæcum curauit. hoc est solis Iudæis lumen euangelij prædicari præcepit, gentibus quicquam prædicare grauiter prohibẽs apostolis. In vias gentiũ ne abieritis. Porrò idẽ dominus exiẽs iterũ à Hiericho, id est, à morte, cũ gaudio resurgens, cæcos duos sanauit, dũ vtriq; populo Iudæorum & Gentium, lumẽ fidei accẽdere præcipit, nec viam porrò nec ciuitatem apostolis suis aliquã prohibẽs, quin potius dicens, Ite in orbẽ vniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ.

Mar. 10. *Augusti.* *Matth. 10.* *Mar. vlt.*

3 Orauit ergo cæcus & dixit, Iesu fili Dauid, Miserere mei. Iesu, inquit, diuinitatem confitens: filj Dauid, humanitatem. Magna quidem & misera res, & cæcum esse & mendicum. aufert enim cæcitas decorem naturæ, lumen vitæ, & pulchritudinem omnium creaturarum. Qui autem ex vulgo præcedebant, increpabant eum: verùm ille magis clamabat, Iesu fili Dauid, miserere mei. Quid nam hîc designant, qui Iesum venientem præcedunt, nisi desiderorum carnaliũ turbas tumultúsque vitiorum, qui priusquam Iesus ad cor nostrum veniat, tẽtationibus suis cogitationẽ nostrã disſipant, & voces cordis in oratione perturbãt. Sæpe nãque dum conuerti ad dominum post perpetrata vitia volumus, dum contra hæc eadẽ exorare vitia, quæ perpetrauimus, conamur: occurrunt cordi phantasmata peccatorum quæ facimus, mentis nostræ aciem reuerberant, confundunt animum, & vocem nostræ deprecationis præmunt. Verùm hac titillatione nos nihil omnino permoti perseuerare debemus orando, vt ut

Cæcitas. *Gregor.*

cogitationibus carnis premamur: & instar cæci huius tantisper clamemus, du veniat dominus in corda nostra, iubens nos
Psal. 21. sibi adduci. Tali constantia orabat Dauid, Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi? Sane enim sapientia hæc est nō exigua, fortiter in orādo persistere, donec exaudiaris.

¶ Ad literam tamē hoc quotidie experimur ipsi, quod qui cū potentioribus viuunt, pauperes ferè opprimunt, & est quod Iudæis simul ac tyrānis inuocationem nominis Christi pro-
Chrysosto. hibere conātibus: feliciùs longè fides Christi succreuit & aucta est: cùm ea sit natura fidei, quanto magis vetatur, tanto magis accenditur: propter quod & serui dei in pesecutionibus non vincuntur. Quòd si clāmites idem in hæreticis quoque & parabaptistis euenire, ego sanè id pernego: quanuis enim
Hieron. iuxta Hieronymi sententiam, hæreticorum initia feruent, adeò vt nullus etiam posſit hæresim struere, nisi qui sit ardentis ingenij, habeātque dona naturæ quę à deo artificē sunt creata: nihil tamen horum est diuturnum & constans. & si veterum hæreses omnes desierunt, certum ęst has quoque nostrates fine non cărituras.

4 Iuſsit tandem adduci sibi cæcum Christus, quod verisimile est fecisse apostolos, cùm in simili casu talia quædam præceperit illis dominus, & nunc quoque per ministros huiusmodi recipi soleat. ę sancta illa sacramenta, per quæ gratiam suam Christianis communicat deus. poterat autem hoc
Psal. 33. ductu cogitare secum cæcus huiusmodi quiddam, quale dixit Dauid, Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Venienti ergo ait dominus, Quid vis vt faciam tibi? Non interrogat, an credat. ficut alios infirmos quęrere solebat, ipso enim clamore pene ad importuni-
Chrysosto. tatem vsque protenso: satis declarabat omnibus pium mentis suæ affectum, simúlque dignum se exhibebat, cui dominus visum restitueret. Dixit ergo, Domine, vt videam. At Iesus dixit illi, Respice: fides tua te saluum fecit. & confestim vidit. Tria sunt breuia in hoc facto: nam vno illo verbo, cùm dicit Christus, Respice, miraculum hoc totum operatus est. Deinde fides hęc consideranda est tanta, quæ & obstaculum gratię ademit, vnde effectus miraculi secutus est. Tertium verò est laus; vidit enim, & sequebatur illum magnificans deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudē deo, quod nos quoq; facere

debemus. ſicut Dauid ait, Magnificate dominum mecum, & Pſalm.33.
exaltemus nomen eius in idipſum .& ſicut Ioannes inquit,
Laudem dicite deo noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis
eum puſilli & magni. Verè nanque vitium magnum & ſcœ- Apoc. 19.
lus immenſum eſt, ingratum eſſe deo, quo etiam homo deum
erga ſe grauiter cõmouet, vt ei etiam data antehac bona eripiat, & quæ daturus illi fuerat, ſubtrahat. Vos itaque deo dignas quoque dicite gratias, laudate eum & magnificate cum hoc cæco, quem ille illuminauit: vt ſic nos omnes etiam illuminare dignetur, quatenus in lumine ſuo lumen videre mereamur felicitatis æternæ. Id adeò nobis concedat, qui eſt benedictus in æuum, Amen.

DOMINICA PRIMA. QVADRAGESIMÆ QAÆ DOMINICA INVOCAVIT dicitur, Euangelium Matthæi. 4.

IN ILLO tempore, Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. Et accedens tentator, dixit ei, Si filius dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Qui reſpondens dixit, Scriptum eſt, Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quòd procedit de ore Dei. Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit ei, Si filius dei es, mitte te deorſum: ſcriptum eſt enim, quia angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Ieſus rurſum, Scriptum eſt, Non tẽtabis dominum deum tuum. Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem exelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei, Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Ieſus, Vade ſathana, ſcriptum eſt enim, Dominum deũ tuum adorabis, & illi ſoli ſerui es. Tunc reliquit eum diabolus &, ecce angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

Mar. 1. Lucæ. 4. Exod. 34. Deut 8. Lucæ 4. Pſalm. 90 Deut. 6. Deut. 6. 10

HOMILIA I.

ET ſi communi & recepto quodam more pleriq; omnes totius quadrageſimæ ſermones, ad pœnitentiam, contritionẽ & confeſsionẽ referri ſoleant, nos tamen (quia huic rei totique adeò ſacramentũ omniũ materię peculiores homilię

Protestatio. dicātur)euāgeliorū tātùm insistemus expositioni: iuxta veterum doctorum sententias pariter & scripta, à quibus ita me Christus seruet, totius vitæ meæ tempore nullatenus recedam. ¶ Principiò ductum Iesum in desertum Matthæus *Matt. 3.* commemorat, ídque tūc cùm iam à Ioāne baptizatus esset, apparuissétque super eum spiritus sanctus in specie columbæ: vnde ille eodem plenus spiritu, egressus est Iordanem ab ipso subinde ductus in desertum, vt sicut iam baptizatus esset *Lucæ 4.* in Iordanis flumine, ita deinceps in deserto baptizaretur *Grego.* igni tentationum. Dubitari autem (inquit hîc Gregorius) à quibusdam solet, à quo spiritu ductus sit Iesus in desertum. palàm enim est ex sequentibus, tētatum ipsum esse à diabolo, atque adeò ductū iam in pinnaculum templi, iam in mon*Hierony.* tem excelsum. In desertum verò sine dubio Hieronym⁹ ductum eum refert à spiritu sancto. vbi obseruandum est, quam *Marc. 3.* significanter hoc totum narrent euāgelistæ. Marcus inquit, Spiritus expulit eum in desertum. ecce potentiam, quæ tribuitur patri. Matthæus ait, Ductus est à spiritu. ecce sapien*Lucæ 4.* tiam filij. Lucas autem, Agebatur spiritu. ecce bonitatem spiritus sancti. Expulsus, ductus, agitabatur. Ductū ergo à spiritu sancto dominum in desertum, inuenit ibidem tētator, & adortus est. Ductus verò ille, virtute factus est diuina, ita vt sic immediatè humanitas Christi fuerit in deserto, quomodo nūc quoque sacratissimū Christi corpus incipit esse in altari, non tamen per cœlos & aërem descendens. Sed neque inuitus hîc in desertum venit Christus, sed bona voluntate cum hoste suo decertaturus. Vbi si dicis, Cur tandem à spiritu in desertum duci voluerit Christus, & quare non potius ipse semet isthuc contulerit, cùm vtique & deus esset, & propria posthac virtute resurrexerit, & ascenderit in cœlum: *Chrysost.* quæ sanè multò maiora fuerunt opera, quàm duci in desertum? Ad hæc respondet Chrysostomus, ídque factum dicit iuxta quandam dispensationis rationem, vt nos videlicet apertissimè signatum esse videamus, quia non sponte nos ipsos in tentationes oporteat insilire: sed si attracti fuerimus viriliter repugnare. Factū id itsque est ad doctrinam & eruditionem nostram, ne nosmet à spiritu nostro duci sinamus *Matth. 6.* quin potius oremus. Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Ideóque & discipulos suos orare iussit, ne intrent in tentationem. Duxit ergo sic spiritus Christum

in desertũ, sicut & in spiritu vidẽs Esaias dixit, Descẽdens *Esa.63.*
spiritus domini, ductor eius fuit. 2 Iam porrò & quo & quà de causa Christũ duxerit spiritus, euãgelista insinuat, principio dicẽs in desertũ ductũ eũ esse: quod sanè iuxta literã istud est, quod inter Hierosolymam & Hiericho situm est, latrociniis multis insigne, quod & parabola apud Lucã *Lucæ 10.*
testari poterit: fuit autem in altissimo monte, qui etiam in hodiernum diem vsque, peregrinãtibus isthuc vix est peruius: mons quoque fluuio planè supra positus est, qui in Hiericho profluit, qui aquas habuit amaras. Verùm Eliseus illas vase nouo cum sale in originem misso, edulcorauit, sicut Re *4.Reg.2*
gum narrat historia. Sed & Iosephus fluuium eundem refert *Li.5.c.6.*
adeò fuisse infrugiferum, vt mulieres quoque si ex eo bibissent, steriles efficerentur & infœcundæ. ¶ Et considera, inquit hîc Chrysostomus, quoniam illum assumens spiritus *Chrysost.*
duxerit non in vrbem, neque in forum, sed in eremum. quia enim diabolum ad tentandum volebat inducere, non de esurie solùm, verumetiam de loco occasionem tentationis illi ingessit. Tunc quippe maximè aliquos diabolus aggreditur, cùm solos viderit, atque ab aliis segregatos. Hoc modo Euã *Gene.3.*
quoque in paradiso solam inuentam tentare cœpit, & superauit. ideóque & Sapiens dixit, Væ homini soli, quia cum *Eccle.4.*
ceciderit, non habebit subleuãtem se. Diabolus verò si quos simul videt congregatos, non item adoriri audet & aggredi. Atque ad istam occasionem, & velut ansam præcidendam, retulerit sæpius conuenire, ne sic in laqueos diaboli incidamus. Qua etiam de causa nullus non satis antea in certamine spiritali exercitatus, vitam subire debet eremiticam. tunc enim facilimè in conflictu cum diabolo victus prostratúsque iaceret. De quo amplius Ioannes Gerson. *Gerson.*

3 Ratio iam ostenditur, cur tandem ille à spiritu ductus sit in desertum, vbi Marcus eum fuisse dicit cum bestiis. ratio autem est huiusmodi, vt sic tentaretur à diabolo, suóque nos *Marc.1.*
doceret exemplo post baptismum constanter diabolo reluctari in quauis tentatione: in quem finẽ ecclesia quoque instituit, vt prius quã baptizaretur infans, exorcismus super eũdem legatur, quo adiuratur diabolus, ne queat baptismum pueri impedire. Et quanuis nullus vltrò cupere debeat, vt à diabolo tẽtetur in suggestionibus maximè illicitis, quia sanè ea est diaboli potestas, vt si ille ad tentandum facilè adeò ad-

mitteretur, vix vnquam aliquis homo ab eo victor abiret, quã
Iob 40. do non est potestas super terram quæ comparetur ei: tamen ita misericors erga nos deus est, vt illi non relinquat habenas, neque suo modo & more nos sinat tentare: retinetur enĩ & cohibetur ab ipso deo, qui illi etiam tentandi facultatem maiorem in Iob dare noluit, nisi quantum ipse vellet. Ideóque
Iob 1. & cum deus laudaret Iob ex probitate & virtute vltra omnes homines, respondit Satan, non frustrà id ita fieri, vt & pius esset & deum timeret Iob, quem deus tantopere & domo & vniuersis bonis circunuolasset. Ecce quomodo diabolus erga deum conqueritur, quod ipsum Iob sic custodierit, vt eum pro lubitu suo tentare non posset Id non minus aper
1. Cor. 10. te Paulus nos quoque in suis Corinthiis docet, Fidelis inquiens, est deus, qui non sinit vos tentari vltra id quod potestis, sed facit cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere. Quid quod per angelum quoque illum tuum deus non parum diabolicæ fraudis impedit astutias: qui angelum
Psal. 90. illum tibi in salutem tuam addicauit, illud Psalmi, Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.
Hierony. Sed de iis plura in materia de angelis, 4 Quid in desertó fecerit Christus, porrò euangelista insinuat, nimirum quod quadraginta diebus & noctibus ieiunarit. Quo numero qua-
Exo. 24. dragesimæ nobis ostenditur sacramentum, in quo & Moyses
3. Re. 10. ieiunauit in monte Sina, & Elias iuxta montem Oreb. ideó enim Christus quoque legislator euangelicus tanto tempo-
Mod' pertinet ad scholas. re voluit ieiunare, eó ipso declarans, quoniam sicut se ieiunio iis duobus parem fecit, ita eadem planè est legis prophetarum & euangelij similitudo.

¶ Vbi hoc quoque ponderandum non abs re est, quod duplex illud ieiunium magni sit discriminis, propria enim vir
Exod. 33. tute Christus tam diu ieiunauit, cæteri duo non item, sed vir
3. Re. 19. tute diuina. alter enim colloquio dei (quo fruebatur) diuturno sustentatus est, alter verò per panem subcineritium & haustum aquæ: in fortitudine enim cibi illius ambulauit vsque ad montem dei Oreb.

¶ Ratio quoque cur omnino post baptismum ieiunare voluerit dominus, assignari varia potest primùm, ad designandum quòd homo per baptismum assumitur in militiam Christi, vt sic bella gerat cum hoste diabolo, cui iam ipse quoque in baptismo hostis factus sit ad iuratus, Aut quid aliud vni-

uersa hominis super hanc terram vita est, nisi militia? Pri- *Iob 7*
mùm igitur hîc hostem aggressus est Christus, nobis in exem
plum, & vicit. idque necessarium sanè erat, quia sicut porta-
uimus imaginem Adæ terreni, (qui superatus est iam olim *1. Cor 15.*
in paradiso) ita portare quoque debemus imaginem illius,
qui est in cœlis, Christi. Et nos iam quomodo imaginem
istam inueteratam deponere possemus, nisi Christus diabo-
lum in conflictu eo modo superasset, quo antiquus iste vi-
ctus ab ipso fuit? ¶ Alia causa dari potest, quare Christus sta-
tim post baptismum ieiunarit, antequam adhuc vel prædica-
ret, vel miraculorum quicquam exerceret, vt nos sic doce-
ret: quatenus & ipsi prius in operibus bonis exercitati, dia-
bolum quoque superemus, quam nos alicui officiorum diui-
norum submittamus, cuiusmodi sunt diœceses & parochias
administrare, prædicare, & similia. ¶ Postrema est, quam
Chrysostomus affert, inquiens, docere hîc voluisse Christum *Chrysost.*
post baptismum, non crapulæ & ebrietati, sed ieiunio stude-
re atque abstinentiæ, quæ arma vincendo diabolum aptissi-
ma sunt. Ieiunauit igitur, nihil ipse ieiunij indigus, sed nos
hoc modo edocturus, quicquid hoc est quod habemus mali,
è ventris vitio contraximus. Quomodo peritus quoque &
prudens medicus, vbi ægrotum semel curauit, omnia illi pro
hibet, è quibus ægritudo ista prouenerat. Eodem planè exem
plo hîc Christus post baptismum ieiunauit contra vitium
gulæ, propter quod & Adamum paradiso exturbauerat, & to
tum diluuio orbem ignibúsque Sodomam perdiderat. quan-
uis enim Sodomitarum quoque arguitur libido, huius ta- *Gen. 3. 7.*
men radix ista fuit, vel hac Ezechielis prophetia satis forti- *& 19.*
ter attestante, Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, sa-
turitas panis, & abundantia, & ocium ipsius. Ad hunc mo- *Ezec. 16.*
dum Iudæi innumera vitia ex crapula & ebrietate perpetrâ-
runt. ¶ Quòd si quæris, cur non longiùs diutiúsque Moyse
& Elia ieiunarit Christus? en hoc tibi responsum. Neque an
te ieiunare desiit dominus. ne occasionem hæreticis daret
purum hominem eum esse calumniaturis, quod sic quoque
Cherinthus & Hebion fecere. Neque vltra quadraginta dies
ieiunauit, ne eum homine sublimiorem suspicari potuisset
diabolus, sicque eũ reliquisset intẽtatum. Manichæi quoque
ansam hinc arripuissent opinionis sibi persuadẽdæ, Christũ
deum esse tantùm, sine vera carne. Transactis autem conti-

nuo ieiunio diebus quadraginta, esuriit tandem. Tam diu Elias quoque & Moyses ieiunauerant, verum post ieiunium esurire, humanæ erat euidens signum miseriæ, Accessit itaque id videas tentator, periculum facturus, esſétne ille deus & Messias in lege promissus, an non. Atque hinc sanè patet, doctiorem longè diabolum esse nostratibus induratis Iudæis. Constat enim ex hoc loco, non ignorasse diabolum, quòd Messias ille futurus erat filius dei, quod in diem hodiernum Iudæi persuaderi non possunt vt credant: quorum omnis ista sententia ex falsa est opinione concepta, cum putant Messiam suum, quandocunque venturus sit ille, deum tamen nō fore. Nos autem quotquot Christi tum fidem profitemur, tum nominis sancti professione gloriamur credimus filium dei naturam humanam suscepisse, eūdémque esse Messiam, neminem quoque alium vel Messiam vel saluatorē esse posse, nisi deum: cúmque adeò deum tum credendum esse, tum
Hiere. 23. dicendum, ex Hieremia docemur, Suscitabo, inquiente, Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet
Oseæ 13. iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis erit salus Iuda,
Hiere. 22 & Israël habitabit confidenter. Et hoc est nomen quod vocabunt eū, dominus iustus noster. (vbi enim in nostra trāslatione ponitur dominus, in Hebræo nomē habetur tetragrāmaton.) Messiam illum verum deum, & hominē inuocemus omnes, illique animas nostras & corpora commendemus: illum oremus humiliter, quatenus gratiam nobis donare dignetur, qua adiuti, hoc tam sancto quadragesimali tempore, opera illi exhibere queamus beneplacita, vt sic veram contritionem, confessionem integram, & satisfactionem perfectam acquirentes, vita per hæc tandem perfrui mereamur æterna, Amen.

HOMILIA II.

Matth. 4, INdicat nobis hîc Matthæus euangelista Christum post baptismum à spiritu sancto ductum esse in desertum, vt tentaretur à diabolo: & vt diabolus ad illudendum sibi moueretur, cœpit ieiunare quadraginta diebus & quadraginta
Hierony, noctib⁹, & postea esuriit. vt sic diabolo optata daretur causa tē tādi ipsum. Atque hoc Christus ex propria & perfecta virtute fecit. Dicit enim, Habeo potestatē ponēdi animam meam, &
Ioan. 10. iterum sumendi eam. Et sicut potestatem habuit ipse animæ suæ, vt eam moriturus deponeret, eámque rursus assumeret resurrectu-

resurrecturus: ita multò magis potestatem habuit super operationes & virtutes animæ, quas potuit, vt voluit, retinere ne esuriret: rursúsque volens imperare potuit, vt calor suus naturalis operaretur famem. Omnia enim hæc fames, sitis, ieiunium, imo & passio, & mors, in potestate Christi fuere: & si voluisset, poterat vtiq; à nullo istorũ affici. ideóque & dixit, Nemo tollet animam meam à me, sed ego ponam eam à meipso. Verũ hoc diabol⁹ ignorabat, multum apud semetipsum ambiguus. siquidem & Christi eũ latebat cõceptio, quam illi deus prætextu Ioseph occultauerat, ita vt nesciret, Ioseph ne an dei filius esset. Aliâs hoc nouerat callidissimus iste spiritus, impleta iam tempora futuri Messiæ, à prophetis dudum prædicta, inde fiebat, vt ex multis circũstãtiis suspicionẽ sibi colligeret opinãdi Christum esse Messiam, verum simul deum & hominẽ. Sciebat enim gloriosam angelorũ sub illius natiuitatẽ iubilationẽ: sciebat triũ magorũ accursum: sciebat testimoniũ Ioãnis. Sed inter hæc videbat Christum tãtas humanæ fragilitatis sustinere miserias, vt facilè ab ista opinione resiliret, putãs ipsum Messiam nõ esse, nõ ignarus Messiam fore deum, deum autem esse impassibilem. Interea dũ iste hæc omnia vltrò citróque cogitabũdus iactitat, ecce admirãdũ illud Christi ieiuniũ fit in deserto, in quo dũ attonitus stupet diabolus, ne fortè Christus sit deus, tam diuturnam facile adeò sustinẽs inediam, rursus tamen animum recipit, dum videt esuriẽtem: hinc tẽtãdi occasione assumpta, dominum huiusmodi adoritur verbis, Si filius dei es, &c. quod accessit diabolus, intellige id esse factum assumpto aliquo corpore ex aëre, sicque eum vultu & habitu humano Christo astitisse vt hominem. ¶ Vbi hoc tamẽ præcipuè obseruandum venit, quod cum tribus modis fiat tentatio, suggestione externa, vel interna delectatione & consensu, quo modo communiter homines ex carne peccati progeniti, tentantur interiùs. Christus autem, quia peccato caruit, innocẽtissimus etiam, sinéque omni labe in hunc mundum est prognatus, nullam in seipso habuit reluctationem, vt hinc suggestione tentaretur: sed mentem illius malignus iste nulla potuit mordere voluptate seu delectatione. Tota igitur ista tentatio externa tantùm fuit, non aliter quàm vel mundus, uel sodalitas praua quempiam affligat & afficit.

Ioan. 10.

Origen.

Tentatio fit tribus modis.

2 Porrò tribus Christum à diabolo tentatum euãgelista

commemorat. sicut iam olim tribus vitiis primum parẽtem nostrum in paradiso tentauerat, gula, vana gloria, & auaritia, in quibus omnibus victor à parente tẽtator abiit. Gula siquidem tẽtauit Adam, vetitos ei fructus ostẽdens, & eosdẽ mãducare suadens. Vana & inani gloria, cùm diceret, Eritis sicut dij. Auaritia verò, dicens, scientes bonũ & malũ.

Gene. 3. Eodem planè modo dominũ quoque tentauit, triplici hoc vitio, sed & secundum quosdam idem iste Lucifer, qui Adamum in paradiso, Christum quoque hîc tentauit in deserto, teste Hieronymo. Iudæi tamen illum Kefeph appellari

Hierony. super Haba. dicũt. In gula primum aggressus est dominum, dicens, si filius dei es, dic vt lapides isti panes fiãt. Ecce filium dei vocat eum, quoniã vocem fortè paternã in illius baptismo au-

Matth. 3. dierat, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui. Vel nõ dixit ad eũ, Si esuris, sed, Si filius es dei, fac lapides isti vt fiant panes, blandiri hoc modo volens ipsi, vt hac laude saltem, nõnihil ex illo extorqueret, nõ aliter quã in paradiso fecerat, simulãs quod nõ erat, vt quod verè erat, hoc modo addisceret, quod nũc quoque sapientes huius mũdi faciũt, si quãdo imponere volũt simplicibus, dicebat enim, Quare præcepit vobis deus, vt non comederetis ex omni

Gene. 3. ligno paradisi? statim persuasit Euam astutè nimis, fore vt aperirentur oculi eorum, fierẽntque sicut dij, si modo de fructu ligni huius manducarẽt. Hæc nimirum erãt mendacia fortissima. Ita hîc quoque cupiebat ex Christo scire, esset ne Messias, & tamen corã videbat hominem famelicũ, atque ideo obiecit ei hoc primũ statim, si filius dei esset, vt ex hoc deinceps incarnationis cognosceret mysteriũ. Nã si sciuisset filium eũ esse dei, nõ tẽtasset vtique, sed quacũque via passionem illius & mortem impediuisset, ne sic homo redimeretur, prædáque patrũ faucibus suis ex limbo eriperetur. Sin cognouisset eum hominem esse tãtum, rursus omni moto lapide conatus fuisset fallere & decipere eum. dicebat ergo, Si filius dei es, dic vt lapides isti panes fiant. ¶ Doctores hoc loco diligenter expendunt, quòd quamuis astutus & callid' sit diabolus, ratus se prudenter rem totam aggressum, id tamen omne magna admixtũ est stultitia, quod omnibus huius mũdi sapientibus euenire videmus, qui vtut sibi videãtur prudentissimi, omnis tamen eorũ prudentia impura est & stolida. Id adeò diabolo quoque hîc reipsa vsu venit. ait enim

sanctus Hieronymus, Duobus contrariis teneris diabole, si *Hierony.*
ad imperium eius possunt lapides panes fieri, ergo frustra tentas eum qui tãtæ est potentiæ, sin autem nõ potest facere, frustra filium dei suspicaris. Fortius tamen adhuc diabolum vrget Chrysostomus, dicens, Quoniam sicut ille omnes homines cõnatur excæcare, ita hic excæcatus est à Christo, nãque si sensisset illum post dies quadraginta esurire, cur non intellexit eum per quadraginta illos dies non esuriisse? ex eo enim discere debebat verum ipsum esse deum, sicut è fame verum cognouerat hominem. ¶ Obiicies autem, Quænam hæc tentatio? profectò nãque famelicũ vesci pane, necessitatis est, nõ gulæ. & quomodo igitur sibi constat expositio patrũ, referentiũ hãc diaboli tentationem ad peccatũ gulæ? Respondetur hîc gulam nec semper in voluptate, neque in affluentia esse; siquidem qui & nõ iusto ordine necessitati tantum satisfacit, peccat. Erat igitur hîc ista diaboli sententia, quãdo tãtopere esurit Christus, eo ipsum adducere nitebatur, vt cõcupiscentia carnis quæ cibũ appetebat, spiritũ anteuerteret; prauo vtique & peruerso ordine, si quando spiritui dominatrix imperet caro. Caro enim (vt inquit Paulus) cõcupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. quoniam hæc sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Et hoc ipsum est quod Sapiens ait, Fili, post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ cõcupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Mollitur itaque diabolus facere, vt ne spiritus dux sit & rector operũ, sed concupiscentia carnis, quod vbi obtinuerit, iamiam triumphat, quãuis illud sub necessitatis prætextu, vt hic, effectum reddat. Domine deus, quam miserè tentamur in iis quæ necessaria sunt nobis? & quãto vehementiùs in illis quæ abũdãt? Quãuis hoc quoque in diabolo ineptum satis erat quod dicebat ad eum, vt miraculosè ex lapidibus panes faceret, quos aliũdè poterat habere. Quia communi regula miraculũ nullũ ponendũ est siue quærendũ in aliquo, quod via naturæ sustineri seu acquiri potest. Spiritali sensu tamẽ lapides panes faciũt mali prædicatores, qui duras scripturæ ac dei increpationes & grauissimas minas mitigant: sicut nũc neochristiani, omnia facilima proponentes plebi, iuxta illud Iob, In stipulã versi sunt ei lapides fundæ. Extẽde hæc iuxta scripturas, in prædicantes solùm carni placentia.

Galat. 5. *Eccle. 18.* *Iob 41.*

Deute. 8. 3 Ad hæc respōdet Christus, Scriptum est. Nō in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore dei.
Leo. Hic Leo papa dicit, aduersarium vicit Christus testimonio legis, non potestate virtutis. Inde enim discimus nos, vt quoties à prauis hominibus aliquid patimur, ad doctrinam ex-
Grego. citemur potius, quàm ad vindictam: sicut & Paulus dicit, Vt
Roma. 15 per patientiam & consolationem scripturarum spem habea-
Kempis. mus. Notabile est, quod quidam venerabilis pater putat, post passionem Christi commemorādā, nihil esse consolatorium magis in omni tribulatione aduersa, quàm refugiū ad lectio-
Hierony. nē sacræ scripturæ. Hieronymus quoque ait, ideo sic respōdisse dominū: quia propositū erat ei humilitate diabolū vincere, nō potentia, eò quod nō latebat ipsum diaboli aduentus; sicut & omnes tentat, qui deo incipiūt seruire: sicut illud
Eccle. 2. Sapiētis, Fili, accedēs ad seruitutem dei, sta in iustitia & in timore, & præpara animā tuam ad tētationem. Ita hîc Christus scriptura sacra se præmuniuit cōtra diaboli insult⁹: neque enim ex illo adhuc sciebat diabolus, filiúsne dei & Messias esset Christus, an nō. Cōtra linguam maledicam, cuiusmodi & hæc erat diabolica, alio telorū armorúmque gene-
Psal. 119. re vtendum non est, sicut & David admonet, dicens, Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ: hoc est, sermones veritatis acumen habent, illi, quos è pharetra scripturæ depromimus. Aut nōne validus ille locus est, quo hîc vtitur Christus pro se, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore dei? Dixit hoc Moyses ad Iudæos quoque, ostēdēs deum
Deute. 8. non solo cibo ab hominibus apparato vitam nostram sustētare posse, quoniam & ipsos panē cœli iam ante saturauerat: quémque ille solo verbo crearat, rectè verbū etiā dici intel-
Sapien. 6. ligerēt. Hoc autem quod etiam Sapiēs ait, Nō natiuitatis fructus pascūt homines, sed sermo tuus qui in te crediderint, cō seruat. Quod autem verba hæc ad manna retulit Moyses, indubiè rectè fecit, cum tamen ex aduerso nihil omnino iisce verbis hîc dominus ad māna respexit: vnde doctrina illa col
Regula. ligi potest, pulcherrima sanè & quæ ad multa accommodari potest, quod vn⁹ & idem sacræ scripturæ locus ex plenitudine spiritus sancti, variis modis potest intelligi, sine omni ve
De doct. ritatis detrimento. sicut hîc Moyses & Christus fecerunt. Et
Christ. hanc regulam beatus Augustinus ex multa assiduæ lectionis

ſacrarum literarum tum cōſuetudine, tum experiētia collegit. Hæc eò lubētiùs commemoro, quòd recētiores nitūtur interdū ſenſum ſcripturæ aliquē corā ſimplicib' reiicere, vidētes ab aliis doctorib' textum aliter intelligi. neque hoc faciūt in honorem patrum, ſed in ſuæ ſiue malitiæ, ſiue hæreſis velamentum & prætextum, Ecce verba hæc Moyſes intellexit de manna: vnde quàm ridiculè, imo quàm ineptè ſequitur, ideo Chriſti ſenſum hunc eſſe erroneum.

¶Quis ſit autē verborū intellect' ille Chriſti, & multò felicior eo, quē Moyſes ſuper iiſdē verbis habuit, variis itidem modis poteſt intelligi. primū enim, quoniā verbū dei eos qui b' cū ille loquitur paſcit, cōſtat ex ipſo Moyſis exēplo, qui verbo dei quadraginta diebus ſuſtētatus eſt ſine omni cibo & potu: fuerūt præter hūc alij plerique homines ſancti, qui vitā cōtinuē viuētes cōtēplatiuā, multo tēpore ſine omni cibo perdurarūt, ſpiritu ſimul & corpore ſoli deo verbo paſti & enutriti. Sēſus hic literæ cōuenit, verūtamen ſublimiori adhuc intellectu explicari & euolui poteſt de verbo dei æterno Chriſto Ieſu, per quod ita facta ſunt omnia, vt ſine ipſo factum ſit nihil: & quod factum eſt, in ipſo vitā habeat. Omnis igitur tum ſubſtātia, tum vita omnium creaturarum, à verbo illo eſt filio dei, qui prodit ſiue egreditur ex ore intellectus dei patris (nimis ſubtile eſt de verbo ideali, quia panis realis non paſceret, niſi virtus verbi ſui, vis, idealis eſſet diffuſa in ipſo.) Quid multa? verbū dei nos corpore ſimul & anima fouet, nutrit, ſuſtētat, neque refert quis illud loquatur dum modo nō deprauetur, ſemper vtique procedit de ore dei, ſicut per Hieremiā dicit dominus. Si ſeparaueris precioſum à vili, velut os meum eris. Poſſet hìc de verbo dei iuſtus quidā ſermo cōtexi, ſed materia illa ſe offert quotidie & vltrò ingerit. Mitto igitur, & verba aſſumo Eſaiæ, quibus ille mutuā dignitatē, vſūmque verbi diuini maximum explicat, dicēs, Quomodo deſcēdit imber & nix de cœlo, & illuc vltrà nō reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ferenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in iis ad quæ miſi illud.

Exo. 24.

Magdalena Aegyptiaca.

Ioan. 1.

Hiere. 15.

Eſa. 55.

¶Poſtremò, & ſi quis dixerit, quoniam debuit Chriſtus hoc quod petebatur oſtendere, reſpondebo, Cuius rei gratia? *Chryſoſt.*

quáve id exigente ratione? Nō enim vt crederet, hoc ille dicebat, sed quātum opinabatur, vt ipsum de infidelitate conuinceret, & vt hoc modo deitas Christi diabolum lateret.
1.Cor. 2. nanque si id cognouissent, nūquam dominū gloriæ crucifixissent. Sed & hinc docemur, opera bona ab iis penes quos
Matth. 7. fructum nullum afferūt, esse occultanda, quando margaritæ nō sunt proiiciēdæ ante porcos. Tertia quoque hîc à Chrysostomo colligitur illa, ne vnquàm diabolo credamus quicquā, etiā si magna necessitate vrgere videatur. Etenim quod
Gene. 3. ei credidit Eua in paradiso dicēti, quoniā eritis sicut dij, nec aliquo modo moriemini: & deū offendit, & legē eius transgressa est. Præterea docemur hîc diabolo non credendum, legis etiam transgressionem nō docenti: sed & vtile quid siue suadētem siue dissuadentem, summa prouidentia & cautione vitare debemus. Ideo enim Christus quoque spiritibus immūdis prohibuit etiam loqui, profitētibus iam ipsum filium esse dei, ita vt clamarēt etiam: Sine, quid nobis & tibi
Luce 4. Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te qui sis, sanctus
Act. . o. dei. Increpauit autem illum Iesus, dicēs, Obmutesce, & exi ab eo. Nulla itaque in necessitate, vel omniū etiā maxima, cōfidere quicquā debemus diabolo: cōtra impios istos, contempto deo cōsilia ex dæmonibus quærentes, putantes eum vbi semel verè dixerit, id ita semper facturū. Nugæ sunt & vanitas mera. Aut qua vesania plus diabolo credere vis quā domino deo, redēptori tuo Christo? Bene sanè ille de diabo-
Ioan. 8. lo locutus est sic apud Ioannem, quoniam homicida erat ab initio, & in veritate nō stetit, quia non est veritas in eo: cùm loquitur mendacium, ex proprio loquitur, quia mendax est & pater eius. Cauete itaque vobis ab ariolis istis, maleficis & vanissimis futurorum prædicatoribus, diaboli tātum ministris: qui cùm semel atque iterum verum quid dicunt, eò tantùm faciunt, vt parata sic sibi fide, faciliùs homines decipere queāt. Multis nanque locis compertum est euenisse, quod huiusmodi arioli, mota etiam de bonis viris suspicionē eosdem inquietarunt, famámque illorum & nomen bonū contaminare voluerūt. Quāuis hîc quoque in ista herba latitat anguis, quod diabolus etiam si istis nonnunquam verum edicat (non facit autem hoc vnquam sine admistione falsi) quicquid hinc lucrum colligitur, diabolo accedit: qui hoc modo homines in peccata, & per ea in iram dei adducit,

vanitates huiusmodi multis modis grauissimè prohibentis in Leuitico. ait enim, Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos. ego dominus deus vester. Et rursus alibi, Quando ingressus fueris terram, quam dominus deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium, ne inueniatur in te qui lustret filiũ suum aut filiam, ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, ne sit maleficus, neque incantator, nec quęrat à mortuis veritatem. quod faciunt necromantici. Iterúmque in Leuitico, Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illã de medio populi sui. Hoc modo Saul maleficos & ariolos occidit, qui propriè Septuaginta ventriloquos dixêre. Eodem exemplo eos rex Iosias expulit è gente: nec vnquã feliciter cessit cuiquam, qui cum eiusmodi hominibus maleficis rem habuit: ait enim dominus, Vir siue mulier in quibus phitonicus vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur: lapidibus obruent eos. Quid quo leges comburere vel capitibus plectere illos imperent? Artes autem istæ impurissimæ, ante Christi quoque natiuitatem apud ethnicos asseruntur ab Augusto fuisse prohibitæ, vt rectè deinceps canones etiam eas variè prohibuerint, Quisque igitur verè pius Christianus sibi ab huiusmodi impostoribus, blateronibus, & diabolorum consortibus prospiciat: neque filios & liberos suos illos communicet, inspecturos specula, vitra, crystalos, super quernis tripodibus in cauernis, in biuiis: facilè enim hinc & ipsi mala contrahent, sibi perpetuò adhæsura Quin potius cum Christo dicite, Abi, maligne spiritus, in locum supplicij tibi deputatum infernalem. A quo nos Christus custodiat & conseruet in æuum. Amen.

Leuiti. 19 *Deute. 18.* *Leuiti. 20* *4. Re. 28.* *4. Re. 23.* *Leuiti. 20.* *l. nullus* *l. nemo.* *l. culpam* *C. de mal.* *libro 7. de ciuitat. dei cap. 25. & 26. q. 5.*

HOMILIA III.

DOminus noster Iesus Christus, collata vi regeneratiua aquis in baptismo, idque adeò tactu suę mundissimę carnis statim à spiritu sancto ductus est in desertum, vt tentaretur à diabolo: vt sic suo nos exemplo moneret, quantum nobis vixdum baptizatis insidietur diabolus, vestem innocentię quoque modo nobis detracturus. Venit itaque diabolus ad Christum dicens, Si filius dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Verum Christus diabolicæ fraudis & astutiæ non ignarus, id *Augusti.*

quicquid erat tentationis, fortissimo sacræ scripturæ ariete
Mat.4. retrusit,inquiens,Scriptum est,quia non in solo pane viuit ho
Deut.8. mo,sed in omni verbo quod procedit de ore dei.Hoc respon-
so accepto,aliam sibi diabolus comminisci dolum cœpit du-
xitque illum assumptum secum in ciuitatem sanctā,& statuit
Psal.90. eum supra pinnaculum templi,dicēs,Si filius dei es, mitte te
Hierony. deorsum.Scriptum est enim, Angelis suis mandauit de te,vt
Iosephus custodiant te in omnibus viis tuis. Ductus hîc Christi ex de-
liber.5. de serto Hiericho vsque in ciuitatē sanctā,octodecim miliarium
bello iu. non factus vtique est ex impotentia domini siue imbecillita-
te,inquit Hiero.sed de inimici superbia, qui voluntatem sal-
uatoris,necessitatē putabat. ¶ Dicas autem, Quando tentā-
tionem hanc Lucas postremo siue tertio loco numerat, quo-
modo Matthæus hîc eam secundā facit? Respondetur hîc e-
uangelistas non tā ordinē curasse quàm hystoriam. vnde fit,
Augustin. inquit August. vt sæpe quod alius euangelista præponit,alius
postponat: maximè secundum illas duas claues anticipatio-
nis & repetitionis,quāuis hîc quæ prima aut proxima ab illa
fuerit tentatio, scire non possumus. ¶ Si tamen facta hæc cū
Luc.4. tantatione Euæ contulerimus,consistit vtique hîc, quē Mat-
Matt,4. thæus seruauit,ordo. Alij autem putāt diabolum statim à de-
serto in montē duxisse Christum, neque in ea re positum est
quicquam, sicut & hæc ignoratur, aut hæc omnia vno pluri-
búsve sint facta diebus.Et sic,cū ait Euangelista, diabolū as-
sumpsisse Christum secum, dubiū est, an ita corporaliter du-
xerit eū,vt etiā velut innixum sibi gestarit,vel sic quòd Chri-
Chrysost. stus eum secutus sit tantum in via,quod putat Chryso. Quic-
quid autē id omne sit,cōstat vtique exhibitā hîc esse admirā-
dam Christi patientiam. qui dedignatus non sit duci & assu-
mi à diabolo, tātùm ex amore & affectu illo erga genus hu-
manum immenso.Nec est quod exhorrescas hîc, quisquis es
pius & syncerus Christianus, dum audis Christum à diabolo
ductum esse:scimus enim quòd iniquorum omnium caput est
diabolus & huius capitis membra sunt omnes iniqui.An non
diaboli membrum fuit Pylatus? An non diaboli membra Iu-
dæi persequentes,& milites crucifigentes Christum fuerunt?
Gregorius Quid ergo mirum,si se ab illo permisit in montem duci, qui
se permisit à membris illius crucifigi? Non est ergo indi-
gnum redemptori nostro,quod tentari voluit,qui venerat oc-
cidi,inquit verè & eleganter Gregorius.

2 Innuit Euangelista diabolum assumpsisse Christum secũ in sanctam ciuitatẽ Hierusalem, sanctam, scilicet, illa propter templum & cultum legis in eo seruari solitum: & quoniã sacramenta Iudæorum ibidem in vsu erant: iuxta illud Esaiæ *Esa. 52. & 64.* Induere vestimentis gloriæ tuæ. Hierusalem, ciuitas sancta, & iterum, Deserta facta est Hierusalem, desolata est domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & de Hierusalem in oratione sua Daniel sic ait, Auertatur, obsecro, ira tua & furor tuus à ciuitate tua Hierusalem, & à monte sancto tuo. *Dan. 9.* Quanuis nos Christiani rationem validiorem sanctitatis ipsius Hierusalem afferre possumus. quoniam ibi sanctissimus sanguis sancti sanctorũ Christi Iesu effusus est, quoniam hîc sacratissimum in crucis ara sacrificium consummatum est.

¶ Videant hîc & confundantur neochristiani, quotquot temerè affirmant locos omnes sanctos esse. Ecce enim hîc peculiariter Hierusalem ciuitas sancta dicitur, sicut & à Matthæo in fine sui euangelij. *Mat. 27.* Quòd si illi testes certissimi a deò Hierusalem ciuitatem sanctã eò tantùm dicunt, quòd ibi templum fuerit, sacrificiis boum, vitulorum, ouium, columbarum, similæ, & id genus aliis dicatum, quantò sanctiora nos templa nostra habebimus, in quibus sacratissimum Christi corpus & conficitur, & die noctúque asseruatur? vbi sanctorũ reliquiæ habentur, vbi sacramenta (quæ quicquid habẽt virtutis, ex amarissima Christi passione & morte habent) fidelibus Christianis administantur? Constituit itaque diabolus Christum in summo templi pinnaculo, non ita quòd in culmine eum statuerit templi, sed in ambitu templi exitus quidam instar alatum extabant: ibi posuit eum, ex sententia quidem Theophyla. *Theophyl.* Rabanus tamen & alij quidam tectum templi intelligunt. *Rabanus.* siquidem tecta in Palestina & Iudæa, non in huiusmodi aciem fuerunt erecta, sicut apud nos fieri solet: sed in summitate plana extiterunt, ita vt vndique circumire licuerit, & conuiuia in eis agitare: sicut Iudæi, quando legitur in regum hystoria, Samuëlem & Saul in triclinio sedisse, exponunt more suo in solario super tectum. *1. Re. 9.* Quicquid tamen hoc sit, summitatem aliquam fuisse constat, in quam constitutus à diabolo est dominus, atque ab eodem tentatus, vt vanæ gloriolæ ambitione sese præcipitaret. Sunt qui opinentur fuisse hoc quiddam in parietibus templi, instar cathedræ erectum,

vnde quicquid operæprecium & necessarium erat, sacerdotes
Glossa. denunciabant. Ideo & Glossa quedam dicit, quod in cathedra doctorum & Christum tentarit diabolus, in qua multos iam antè deceperat. Profectò enim multos vana gloria ad præcipitium trahit, vt iam in prædicatoribus nostratibus experimur ipsi, qui prius fiunt magistri quàm efficiantur discipuli. ¶ Dices autem, si hoc modo Christum diabolus in locũ sublimem adduxit, ridiculum fuisse in tam populosa ciuitate diabolum omnibus conspicuũ apparuisse, Christũ eò ducẽtem, & sic quo tandé modo in corpore constitutum vidẽtib⁹
Chrysosto. omnibus statuerit supra templũ. Respõdet Chrysosto. dicens quòd forsitam diabolus sic eum assumebat, vt ab omnibus videretur: ipse autẽ nesciente diabolo inuisibiliter sic agebat, vt à nemine videretur. Præterea est hîc nobis solicitè obseruandum, quòd Christus in ciuitate sancta ipsóque adeò summo tẽpli cacumine tentatur à diabolo, vt disceremus nullum locũ quantumlibet sanctũ, nos à diaboli tẽtatione tueri, quin in tẽplo quoque, in choro, in ipso sancto altari dei, non cessat spiritus iste nequam tẽtare nos, quanuis in locis sanctis non ita fortiter, quin eius suggestiones impediantur in multis.

Matt. 4. 3 Dicit ergo ad Iesum, iam in pinnaculũ templi assumptũ,
Hyerony. Si filius dei es, mitte te deorsum. In omnib⁹ (inquit Hieron.) tentationibus hoc agit diabolus, vt intelligat si filius dei sit: sed dominus sic responsionem temperat, vt eum relinquat
Chrysosto. ambiguum. Chrysostomus dicit. Quemadmodum serpẽs Euę in paradiso persuasit, simulans eos quasi à deo deceptos: inquiens, scit ille quoniã si manducaueritis, eritis sicut dij. &c. Ita hîc quoque diabolus ait, Si filius dei es, quasi diceret, frustra ille te in baptismo filium suum dixit, tam honesto titulo decepit te. Sin minus, eóque admodum tu adhuc fidis, age virtutis nominísque huius specimen de te aliquod nobis præbe,
Hierony. mitte te deorsum. En hanc tibi vocem diaboli, qua iste semper omnes deorsum cadere desiderat. Maior vtique fuerat diuinæ virtutis comprobatio, si dixisset, Filiúsne es dei? age ascende in cælum. Verùm infelix iste diabolus hoc modo in hominis torquetur cruciatúrque exaltatione, vt illi etiam inter tentandum suggerere non possit ascensum in cælum, nihil magis optans quàm ruinam & lapsum hominum omniũ
Chrysosto. vt sic ipse eis dominaretur. Chrysostomus hîc quædam inducit, quomodo diabolus stutiam ipse suam exhibuerit: ea

nos breuitatis studio missa facimus. Tantùm hoc obseruemus quòd suo more hîc diabolus loquitur, nil nisi de lapsu & ruina sicut & ipse præceps decidit è cælo. Aliter longè nos Paulus ad hortatur ad superna. Ea quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in gloria dei sedens.

4 Videns diabolus prima tentatione Christum scripturæ armis se defendisse, simili nunc exemplo ipse quoque videri se velut simiam capiens, prætextum suggestioni suæ quçrit & fucum, adducítque hunc Psalmi versiculum, Angelis suis mãdauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Quasi diceret, nihil tibi in hac re periculi est: angeli enim tui in manibus te ferent, ne qua vel pedem impinguas. Multa hîc diligẽter ponderent doctores, præcipuéque Hie. hoc contra hęreticos adducit, qui vt plurimùm de allegatione euangelij gloriantur, quando etiam hic diabolus scripturarum testimonio vtens nihilo plus apud Christum fauoris & gratiæ emeruit. *Psal. 90.* *Hyeronyi*

2 Deinde Christiani scripturis vtuntur ad prouocationẽ operum & incitamenta virtutum, diabolus autem ad seducendum tantùm & seminandos errores idq́ue ipsum postea membra illius faciunt omnes hæretici, scripturis vtentes, non ad hominum ædificationem in moribus bonis & vita deo digna, sed ad fidei destructionem, ad honestatis omnísque ordinationis bonæ impedimentum ac euersionem,

3 Boni itidem cùm scripturas allegant, id faciũt iuxta sensum & intellectum illum verum, quem etiam spiritus sanctus intendit, scientes vtique secundum magisterium istud, quid literæ adimant, quid addant. Hæretici verò scripturas inducunt pro somnio suo quisque, in erroneo & corruptissimo sensu, ex arbitrio proprio flectentes, imo & laniantes scripturam sacram, sicut & caput eorum diabolus hîc fecit. Cùm enim Dauid dixisset, Angelis suis mandauit de te, diabolus intellexit de te, Christo capite nostro. Verùm id prauè & peruersè: quoniam Christus angelorum & rex & dominus, nullum habuit suo ministerio angelum deputatum, qua propter & Dauid illud dixerat de quolibet homine, de Christi membris, non de capite eorũdem: quia membra illis homines omnes suum quisque habet angelum in custodiam sibi datum: quod de pueris etiam Christus testatur, Angeli eorum vident faciem patris mei qui est in cælis. Et hunc scripturæ sensum nos iam olim docuit Augustinus. Expendat catholicus, an nõ *Regula Ticonij.* *Psal. 90.* *August.*

neochristiani similibus dolis & præstigiis torqueāt sacras literas. 4 Sed & hoc in eadem re interest, quoniam Christiani scripturas totas citant & planè integras, nō curtatas, sicut hæretici: cùm quæ suæ causæ aduersantur, reticent vltrò, aut certè reiiciunt omnino, si apertè nimis repugnet. sicut nunc Lutherus suique commercij hæretici reiecerunt Baruch, Machabæos, Tobiam, sancti Iacobi epistolam, alteram Petri, Ioannis vtrâque, illam ad Hebręos, & totam Apocalypsim. Eadem hîc versutia diabolus quoque vsus est. Certè enim

Hieron. si inquit Hieronymus, verè de saluatore scriptum nouerat,

Psal. 90. debuerat & illud dicere quod in eodem psalmo contra se sequitur, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Callidè & astutè nimis de angelorum auxilio, quasi ad infirmum loquitur: de sua conculcatione, quasi tergiuersator, tacet. ¶ Postremò sapientissimum

Leut. 5. Christi hîc habemus responsum, dicentis, Scriptum est, non tentabis dominum deum tuum. Possent quidem hæc de Christo verba intelligi, veruntamen ne à communi sensu recedamus, tentare deum est experiri velle seu quærere experimentum virtutis & potentiæ diuinæ sine causa ineuitabili. Si qui-

Tentare deū quid sit. dem si quis habeat vitandi periculi medium naturale, nō debet hoc omisso, virtutem velle experiri diuinam. Quod sanè fundamentum est, quamobrem legibus cautum sit, candens gestare ferrum, monomachia item seu temerarius duorum in lucta congressus cur sit inhibitus. Vide igitur hîc mihi & contemplare sapientiam dei patris Christum Iesum, quā subtilitér respōdet diabolo, adeò vt nequeat is ex responso quid

ex de purg. vulg. quęsierat, colligere, sed neque in eo quo tentabit illum, persuadere. Ait enim, Scriptum est, Nō tentabis deū tuum. quasi dicturus, Quid hanc mihi suades ineptam stoliditatem, de templo me vt dem præcipitem? An non paratus est mihi gradibus descensus opportunus? Odit deus eos qui tentant ip-

I. Cor. 10. sum: vnde & Paulus inquit, Non tentemus Christum, sicut quidā eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Verùm sanè hoc est, si deus exigat à quopiam volens hoc modo miraculum habere, tenetur ille id facere. Vnde & reprehenditur

Esaiæ. 7. & peccauit Achaz, qui dicenti iubentíque per prophetā dño, vt peteret signū, ineptè respōdit, Non petā, neque tētabo dominum. Peccauit ille, dum volēti restitit deo. aliâs firma manet regula Sapientis, Ne simus ex iis qui tātant deum. Hiero-

Eccl. 18.

nymus quoque non frustra factum esse affirmat, quod Christus ad triplicem hanc diaboli tentationẽ declinandam, vsus sit testimonio sacrarũ literarũ ex Deuteromonio: qui quanuis liber sit Moysi, nomen tamen tantundem significat ac lex secunda. Testimonia igitur hîc Christus necessaria de Deuteronomio tantùm protulit, vt secundæ legis sacramenta mõstraret. Et hoc modo Christus tela diaboli scuto scripturæ sacræ infregit, ipsúmque diabolum superauit. Vos iam deum orate, vt & nobis gratiam suam conferre dignetur, quatenus malignas diaboli tentationes vincere possimus: & maximè mortis tempore victoriam & triumphum aduersus illum nobis confer, domine Iesu Christe, per nomen tuum sanctissimum: qui viuis & regnas cum deo patre in vnitate Spiritus sancti deus per secula, Amen. Hieron.

HOMILIA IIII.

EVANGELIVM hoc Matthæi, ecclesia nobis in hunc diem dominicum proponit duplici de causa: primùm, vt hoc quadragesimale ieiunium ab ipsis apostolorum temporibus in hæc vsque secula deriuatum obedienter seruemus, quando Christus etiam quadraginta dies ieiunare voluit: non sua vtique causa, quoniam ieiunio non indigebat: sed nobis tantùm in exemplum iuxta illam sancti Gregorij regulam, Omnis Christi actio, nostra est introductio. Deinde quoque vt quando quidem toto hactenus anno sæpenumero victi, prohdolor, sumus & superati à diabolo: vel nunc tandem nos quoque Christi videamus exemplum triumphatoris, eóque moueamur. Fortiter enim ille primum diaboli insultum gulæ, in suúm ipsius caput retrusit: neque paulò validiùs secundariò eum in ambitione se tentatam repulit, telísque sacræ scripturæ abegit. De tertia tentatione iam quæ in auaritia facta est, Euangelium sic habet, Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum. Tertium hoc est rete, quod domino tendit diabolus, hincinde cursitans, instar eius qui ademptis sibi iam armis quibusdam, ad alia properat. Vnde doctores sancti regulam colligunt huiusmodi, quòd diabolus siquando hominem quempiam in peccato aliquo tentat, superatus ab eodem in illo, non amplius ipsum tentat in eo, sed aliud peccati genus aggreditur. Prostratus ecce hîc diabolus in gulæ & ambitionis conflictu, Christũ abducit in mõ- Grego. Matt. 4.

tem excelſum valde. Eum doctores quidam fuiſſe illum dicunt. qui inter Hieruſalem & Hierico poſitus erat, vbi iam antea in deſerto Chriſtum lapidum conuerſione diabolus tẽtauerat: qui ibidem ſæpius malitiæ & ſcelerum ſuorũ miniſtros ſtrenuos habuerat latrones & prædones. Eò illũ vbi primũ adduxit, oſtendit ei omnia regna, nõ quòd poteſtatem dederit illi diabolus in tantam mundi latitudinẽ aſpiciendi, vt ſic corporeis oculis propriè omnia mũdi regna aſpexiſſet, ſed quia ſitum eorum oſtendit illi, velut inquiens, Hîc imperium Romanorum poſitum eſt, illic AEgyptus, iſthic Perſia ſita, &c. horum omnium gloriam, potentiam & maieſtatem ei recenſebat. Vbi quiſque ſibi proſpiciat ſeduló, ne huiuſmodi montem malum ſuperbiæ creſcere ſinat in pectore ſuo, vndè latiſsimè circunquaque proſpiciat, quomodo honores acqui-

Hiere. 51. rat. Mons hic nimirum ille eſt, de quo Hieremias ait, Ecce ego ad te mons peſtifer, dicit dominus; qui corrumpis vniuerſam terram. In montem itaque diabolus duxit dominum, an aliquo modo ad ruinam ipſum adducere poſſet, quomodo & ipſe iam antè de cœlo ceciderat.

1 Sed iam ſuperbiam dæmonis & arrogantem audite gloriæ captationem. ait enim, Hæc omnia dabo tibi. In tribus hîc diabolus falſus eſt. Primò, quòd offert ſe omnia hæc, quæ

Chryſo. iam Chriſto oſtẽderat, ipſi quoque daturum, veluti ſe rerum omnium & creatorem ſimulans & poſſeſſorem. Quia enim iam in patrem peccauerat, nequiſsimus ille, omnia quæ illius ſunt ſua eſſe dicendo, ſeque eorum dominum ſacrilegè profitendo, quaſi cunctorum eſſet creator. Quam diaboli arrogantiam ſequaces illius imitati ſunt Manichæi, ex hoc loco probare conati, diabolum viſibilem hunc mundum creaſſe. O cæcitatem! ô ſtuporem! ô veſaniã hominum! verbis diaboli tantùm approbare volentium, cuius mendacia poterant

Ioan. 8. vtique videre apud Ioannem à Chriſto reiecta. Hæc iſta fuit in deum patrem blaſphemia, dum diabolus plurimum ex iis quorum nihil omnino ſuum erat, ſe Chriſto daturum promi-

Hieron. ſit. Domini etenim, vt inquit Dauid, eſt terra & plenitudo eius. Verùm arrogans & ſuperbus iſte, ait Hieronymus, etiã hoc de iactantia loquitur, non quòd in toto mundo habeat poteſtatem diabolus, aut poſsit omnia regna dare, cùm ſciamus pleróſque ſanctos viros à deo reges factos.

2 Deinde metas exceſsit diabolus, dum à Chriſto petit,

vt procidens se adoret: omnem in hoc honorem adimês domino, cui nomen datum est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorũ. Quod & multis retro seculis typicè figuratum erat in Ioseph, cui per somnium incidit, se in agro cum cæteris fratribus suis manipulos ligare & colligere, suum verò manipulum erectum in altum stare, cæterósque fratrum manipulos suum illum procidendo adorare. Vidit ille etiam deinceps solem, lunam, & vndecim stellas se adorare. 3 Postremò adorari se à Christo petit diabolus, iterum hîc veteri sua superbia assumpta, qua iam olim etiam deo voluit æquari: iuxta illud Esaiæ, Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, in cœlũ conscendam, supra astra dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis erò altissimo. Hæc ista diaboli maledicta superbia est, quam semel etiam contra deum susceptam nõ deserit ille, qui & idololatriæ quicquid vsquam fuit in mũdo, ideo tantum induxit, vt sese in simulacris occultans pro deo ingereret. Hoc inani fastu hîc quoque ducebatur, dum adorari se à domino peteret. Neque id simpliciter: ait enim, si procidens adoraueris me: quia quisquis diabolum adorat, ante corruat necesse est, ruina horrenda vtique & casu nimium præcipiti. Qua in re istum etiamnum hodie malefici, incantatores, sagæ & veneficæ imitantur? quoniam quodcunque ante incantationes suas sub pietatis titulo præmittunt, impietas mera est & cultus diaboli: nec quicquam iuuat, etiamsi multum boni interiscere sibi videantur, tantũ in contumeliam, & (vt verè dicam) blasphemiam dei, vt si radicibus vtantur, quæ ante solis ortũ, manè primo diluculo, in silentio sint effossæ, ac deinde altari sacro suppositæ, vt sic super iis triginta missæ sint per lectæ, & alia huiusmodi. Omne hoc quicquid est, diaboli tantùm commentum est, qui diem soli deo dicatum, sibi in effodiendo arrogat. Et sicut monachi ante lucem surgunt, conuenientes ad laudandum deũ, ita isti prima quoque luce seruire & operari incipiunt diabolo: silentium quoque seruantes, non secus ac ij, qui in cœnobiis ex lege & præscripto regulæ suæ tacẽt. Horret animus cogitare, lingua etiam metuit effari, quod sacrificiũ missæ in salutem credentium institutũ,

Phil. 2. *Gene. 37.* *Esa. 14.*

isti in profanos, imo impios & diabolicos vsus, heu sceleratè nimis, côuertunt. Neque hîc impietatis istius modus est, quia iis quoque in eo amentiæ nondum peruenerunt omnino, aliquid manet ex idololatria tanta reliquiarum: adorant enim & ipsi adhuc dæmonem, alij quidem expressè, manifestum & fortè cum eo pactum habentes, animam quoque suam ei despondere non reueriti. Alij verò tacitum tantùm seu implicitum pactum contraxerunt, adimplentes & facientes ea quæ constituit diabolus contra honorem dei, & supra communé naturæ viam. Quia non rarò per circunstantias quasdam velut ambages seu diuerticula viarum animo simplicium allicit & capit diabolus, donec in suam vitam pertrahat.

3 Nunc demum in hac tertia tentatione à se diabolum abigit Christus: ad priores siquidem duas mansuetiùs adhuc respondit. Verùm vbi primùm diuinos sibi honores arrogare cœpit, quasi dominus & creator esset totius mundi, promittens in hoc Christo omnia regna, vt cum faciliùs pertraheret ad adorandum se: iam non amplius passus est, nec plura sustinuit, quin potius illum à se abigerit, dicens, Vade Satana, hoc est aduersator, nomine sanè proprio: & quod ei sit peculiare: quoniam semper contrarius ille deo vel leuiter saltem permittenti aduersatur, & honori diuino, aduersarius ille totius honestatis, omniúmque hominum salutis. Videndum

Chrysosto. autem, inquit Chrysostomus, hîc nobis, quia Christus cùm passus fuisset tentationis iniuriam à diabolo, non est turbatus, neque diabolum increpauit: nunc autem quando diabolus vsurpauit sibi dei honorem, exasperatus est, & repulit eũ: vt nos illius exemplo discamus, nostras quidem iniurias magnanimiter sustinere, dei autem iniurias neque vsque ad auditum sufferre. Eodem modo quanuis patientem quemlibet esse adducet in contumeliis propriis, attamen patientem neminem esse oportet iis, quæ ad honorem dei pertinent. Quo

Hest. 13. exemplo pius ille Mardochæus gloriam dei nullo modo dare voluit homini Aman, vel vitæ & salutis suæ periculo. Quam grauiter porrò nunc in deum peccant nostri seculi magistratus, surda aure prætereuntes quasuis etiam blasphemias deo illatas, sanctis quoque illius & sacratissimis sacramentis, quã planè non percipiunt corde iniurias dei, dummodo census, tributa, & id genus aliæ exactiones sibi non decedant. Neque interim desunt qui obganniant, Si quis quid delinquit

&

& peccat, feret infortunium & malum condignum. Hoc modo ipsi sibi fucum quærunt, & propriæ malitiæ prætextum, instar Adam & Euæ, perizomata sibi ex foliis ficulneis contexentium. Non sic autem, non sic. An nescis quid ores quotidie? Sanctificetur nomen tuum. Aut quæ hæc tua futura oratio est, dum audis Christum indies in sacramentis suis dehonestari, nec tu quicquam, cum queas & debeas, aut obstas aut impedis? Quam verò præproperi sunt, qui magistratu funguntur, ad puniendos qui honorem illis non habuerint, qui quamuis leue commodum neglexerint, qui officio satis nō fecerint, qui vtilitatem non in omnibus procurarint? statim vtique tunc clamabitur, Itáne deceat his nos occupari? ita maiestatem principis lædere liceat impunè? Iste nos adeò calumnietur? Ah non dabitur? Hoc modo quicunque faciunt, quamuis ore quidem orent, Sanctificetur nomen tuum, corde tamen & opere orant, Sanctificetur nomen meum. Quod nōn- *Matt. 6.* ne malum maximum est? non peruersa & pessima ordinatio, quemquam hominem malle nominis sui sanctificationem & honorem quàm diuini? Inuenias sanè in prouinciis & oppidis magistratus, quorum insignia tantùm si quis cœno aspersisset, protinus carnificē & lictores habiturus esset comites. Verùm si quis sanctam crucifixi aut virginis matris imaginem, non luto tantùm aspergat, sed & confringat aut exurat totam more Turcico, adridebūt etiam magistratus, si modò non laudabunt. Væh tibi dæmon maledicte, adeóne tibi liceat dominari in mundo? S. Hieronymus hîc declarat, quàm differenter Christus Petrum, & hîc diabolum corripuerit. Petro enim assumenti Christum, & increpanti illum atque dicenti, Absit à te domine non erit hoc tibi, respondit ille, Vade post me Sa- *Matt. 16.* tana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ dei sunt, sed ea quæ hominum. Verùm hic non ait diabolo, Vade post me: sed, abi Satana. quasi dicturus, Abi in ignem æternū, qui paratus est tibi & angelis tuis. Tamen de illis verbis Christi dic, vt *Li. 1. c. 14.* in primatu Petri diximus.

4 Iam scripturæ affert Christus contra Satanam testimonium, Quoniam scriptum est, Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Deus solus honore vult adorari latriæ, quem illi exhibemus tanquam rerum omnium conditori & summo bono. vnde & de se dicit per prophetam. Ego dominus, *Deut. 17.* hoc est nomen meum. Gloriam meam alteri non dabo, & *Esa. 42.*

laudem meam sculptilibus. vnde & in veteri testamento lapidibus obrui præcepit eos, qui deos vellent adorare alienos vel stellas cœli. Summũ enim illum honorẽ soli deberi deo, tota vndique plenissima est scriptura: estque idem in prima

Exod. 20. statim lege Moysi fundatum: quapropter Dauid dicit, Ipse

Psalm. 44 est dominus deus tuus, & adorabunt eum. Et in Deuteronomio habetur, Audi Israël, dominus deus tuus, deus vnus est. Non tamen sic sunt hæc Christi verba intelligenda, quasi præcipere voluerit diabolo, vt adoraret deum: neque enim id facit, cùm semper & perpetuò obduratus permanebit in calumnia & blasphemia dei sed ita, quia iam diabolus ipsum purum hominem tantùm credebat, adorari insuper cupiens ab eo: ideo ostendit & declarat hominibus præceptum esse, non diabolum, sed deum solum adorare. ¶ Nescio quod non hîc Neochristiani deblaterent super veneratione sanctorum insimulantes nos velut idololatras, & deorum plurimorum cultores. De qua materia aliâs differemus, nunc perstringere tantùm est animus quædam paucissimis. Nos sanè fatemur omnes, vnum tantùm esse deum, conditorem cœli &

Augusti. de ciuitate dei. terræ, eúmque solum adorandum summo illo honore & cultu latriæ. Testatur id Augustinus, inquiens, Nos in Latino idiomate nullum habere vocabulum, quo vno honorem exprimam⁹ diuinũ: hinc in vsum venit vox illa Græca, λατρεία, qua semper intelligendus venit summus ille cultus soli deô debitus. Verùm per hæc neque honor nec seruitus adimitur, siue obseruatio parentũ, magistratuum, sanctorum omnium, quorum venerationem Dauid in spiritu præuidisse videtur,

Exo. 20. cùm caneret illud. Nimis honorati sunt amici tui deus, ni-

Rom. 10. mis cõfortatus est principatus eorum, Quando itaque debi-

Psal. 44. tum à nobis tum sanctorum tum parentum nostrorum honorem exigit deus, pudeat te, homo insanissime, velle reuerentiam & honorem adimere sanctorum, quos quando deus ipse honorat in æternũ, quod piaculum erit, te pulusculum terræ (quantulũ tamen) eos dehonestare? Vis autẽ scire quoniam deus suos honorat in cœlo? En ipsa tibi Christi verba, Si

Ioan. 12. quis mihi ministrauerit, honorificabit eũ pater meus qui est in cœlis. Audi hæc, impie & maledice, deus pater honorificat sanctos suos in cœlis, ipsósque adeò Christi filij sui ministros magno dignatur honore. Et tu belua ipsos honorare recusas? Dicis autẽ solum adorandũ esse deum, illi seruiendum

soli. Non sanè imus inficias, sed modo ante prædicto: quoniā adorandus est deus solus, vt summum bonum: quo non obstante, adorare tamen possumus etiam sanctos, sed vt amicos dei tantùm, non eo quod colimus honore, sed huiusmodi quadam adoratione, quæ aliud nil sit quam inuocatio pro intercessione, quàm honor quidem & illius reuerentiæ exhibitio, quo vtique post deum proximè digni sunt sancti omnes. Hęc iam sufficiant, plura super hac eadem re aliâs dicemus. Nunc progrediamur. 3 Ad extremum, cùm iam Christus diabolum confusum fortiter adeò à se abegisset, sequitur, Quoniā dimisit eum, vtique ob immensam illam efficaciā verborum Christi, Abi Satana, authore Chrysostomo. An autem omnino dimiserit eum, sunt ex doctoribus qui putant quòd deseruerit vsque passionis tempus solummodo: & tunc reuersum esse eum tentaturum, si quomodo in desperationis laqueos adduceret Christū: qua de re infrà in passione, Sūt alij, qui opinantur Christū hoc tam valido verborum suorum velut impetu, ipsum deiecisse, deturbasséque ad inferos & ibidē eum constrinxisse catenis vsque ad tempora Antichristi. Ita enim Ioannes ait, Et vidi angelum (angelum autē magni cō silij Christum Esaias quoque appellat) descendentem de cœlo habentē clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquū, qui est diabolus & Satanas, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, vt nō seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, & post hoc oportet illum solui modico tēpore. Per istos mille annos tempus euāgelij intelligendū est: quod infelici hoc nostro seculo, quisquis verè expēdit, agnoscit vtique furorē Luciferi, illúmque catenas iam suas mouere & solutioni se parere sentit.

Chrysosto. *Apoc. 20.* *Esa. 9.*

¶ Abeunte diabolo, ecce adueniunt angeli, non illi quidem nunc demum descendentes de cœlo: quia semper ad ministerium domini, inquit Chrysostomus, erant in terris: sed tunc præcipiente domino recesserant ab eo, vt locus diabolo aduersus Christum daretur, ne fortè videns angelos circa eum, non appropinquaret ad eum. Tentatione itaque peracta, redeūt angeli ad ministeriū solitum: quare tamē illi exhibitum textus nō indicat: an etiam ministrauerint ei ad curationem infirmorum, an ad emendationem correptionémque animarum, an verò ad immundorū spirituum eiectionem quoniam

Chrysosto.

huiusmodi quędam solet deus per angelorũ ministeria fa
Hebr.1 cere,iuxta illud Pauli,Omnes sunt administratorij spirit⁹
in ministeriũ missi ꝓpter eos, qui hæreditatẽ capient salu
tis. Quicquid tamẽ id sit,cõstat vtiq; angelos Christo mi-
nistrasse,nõ ex necessitate,quasi illorũ opera op⁹ ei fuisset
sed tantũ quia hoc illi exhibuerũt in honorẽ & reuerẽtiã.
Neq; id nũc maximè immeritò:decebat enim vt post cõfli
ctum domini aduenientes serui eius, illi tanquã triũphanti
ex victoria ministrarẽt:qui quod hîc Christo fecerunt ad
honorẽ, quotidie adhuc nobis faciũt in necessitatẽ,etiam
nõ sentiẽtibus illud:sicut in die sancti Michaëlis dicemus
Nunc coniunctis omnes precibus oremus deum pro,&c.

HOMILIA V.

QVando omnis nostra vita militia est super terram,o-
mnes nos viriliter & fortiter in agone certare debe-
Iob. 7. mus,vt tandem cum Paulo mercedem cõsequamur felici-
tatis æternæ.Magis enim certamus quàm pro corona, ver
bere aut vulnere,quod athletæ solent . Vita nobis æterna
proposita est,pro hac certamus omnes. huiusmodi agoni
sta fuit Paulus,cuius vtinam illud verbũ à nobis aliquan-
2.Tim.4 do omnibus dici possit. Bonum certamen certaui,cursum
consummaui,fidem seruaui , de cætero reposita est mihi
corona iustitię.Hoc illud preciosum est& nobile κειμήλιον
pro quo assequẽdo vno cursu contendimus oẽs.Et quãuis
fortiter decertare & pugnare nos deceat quotidie contra
vitia & peccata,tamen omnium maximè hoc quadragesi-
mali ieiuniorũ tempore idem nos facere addecet,iuxta il-
2. Cor.6. lud Pauli,Adiuuantes vos exhortamur,ne in vacuum gra-
Esa.49 tiam dei recipiatis. Ait enim. Tempore accepto exaudiui
te,& in die salutis adiuui te. Ecce nunc tẽpus acceptabile,
ecce nũc dies salutis.Et infrà,In omnibus exhibeamus nos
sicut dei ministros,in multa patiẽtia,in ieiuniis,in charita
tate nõ ficta. Hoc modo sancta ieiuniorũ trãsigẽda sunt tẽ
pora,nõ in peccatis,sceleribus,omni leuitate,crapula,&e-
brietate,quod solẽt neochristiani facere.Longè enim alia
sunt illa Pauli ieiunia.quàm vel Lutheri vel Zuinglij. Ad
hunc nostrum agonẽ,quem subire debem⁹,ecclesia nobis
iam hodie veluti certaminis prĩcipẽ proponit Christũ,ex-
emplíq; loco ob oculos subiicit.ille enim vt cum hoste cõ
muni omnium nostrũ diabolo decertauit fortiter, ita eun

dem potenter superauit. vnde & sequi eum in hoc agone debemus, qui nobis certantibus etiam spectator adest, de cælo respiciens & considerans, quales simus in certamine, vt sic vincenti coronam det meritam. Quid quod auxiliares quoque & adiutrices manus nobis ille porrigit certãtibus, gratiãque ex ipso petentibus tãtũ? Hinc itaque sumpta occasione differere hoc loco libet de tentatione, quando ea sit peccatum: & præcipuè de tentatione Christi, quomodo tentationibus nostris respondeat, 1 Et principio quidem Christum in tribus tentatum esse constat à diabolo, gula, superbia, & auaritia: iisdem nos quoque tentat, iuxta illud Ioannis, Omne quod est in mũdo concupiscentia carnis est, & concupiscẽtia oculorũ. & superbia uitæ. Hæc tria vitia, velut retia, extendit diabolus per vniuersum mundum: ut qui retia gulæ effugerit in plagas incidat auaritiæ: qui vitarit vtrunque, tamen illaqueatur superbia. Singula hæc vitia adhuc laqueos plurimos habent, quos cùm videret S. Antonius in spiritu, dixit, Ecquis effugere poterit tot funes & laqueos? Et audita est vox de cælo, dicens, Humilitas. Aliud autem ex alio rete tendere diabolum testatur Esaias, cùm ait, Et erit qui fugerit à facie formidinis, cadet in foueam: & qui se explicauerit de fouea, tenebitur laqueo. His autem resistere fortiter debemus, gulæ quidem & crapulæ per abstinentiam & ieiunium, superbiç verò per orationes, & auaritiæ per eleemosynas. Iis nanque singulis exẽplum nobis suum proposuit Christus: ieiunij quidem, sicut in hoc euangelio commemoratur: orationis autem, vt Lucas refert ipsum in montem abiisse oratũ, adeòque in orationibus pernoctasse: eleemosinæ quoque quoniã in hoc Iudam habebat loculis præfectum, qui quicquid haberet reliquum seu superfluum, pauperibus erogaret. Quapropter diligenter adeò vbique eleemosinã nobis cõmendauit. Hic autẽ tentationum istarum insultus sacræ scripturæ telis cohibuit, ostendens vel solas literas sacras efficaces satis esse quasuis arcendas tentationes. Nunc in genere materiã tẽtationis aggrediamur. Modum de tentatione loquendi geminũ inuenio. Primũ enim tentare (in scripturis) est periculum in homine aliquo facere qualis sit. Sic deus hominẽ quoque tentat, sicut tentauit Abraham an immolaturus esset filiũ suũ Isaac. Eodẽ quoque modo dixit Moyses, Tentat vos dominus deus vester. Ita & Sapiens de sanctis, Deus, inquit tentauit eos, & inuenit eos dignos se-

1. Ioan. 2.
S. Anto.
Esa. 24.
Matt. 4.
Luc. 6.
Luc. 18.
Mar. 10.
Gene. 22.
Deut. 13.
Sapien. 3.

Ioan. 6. Sic Ioannes quoque de Christo loquitur, dicente ad apostolos, Vnde ememus panes vt manducent ij? & hoc dixit tentans eos. Id genus tentationis à deo fit in bonum, non eò tamen vt hinc ille aliquid discat omniscius ipse, sicut & omnipotens; sed hoc modo per tentationem suam facit deus opus aliquod bonum, cæteris quoque innotescere. Nisi enim tentasset Abrahã, eius fidé tandẽ totus adhuc mundus ignoraret: obedientiã quoq; illius, quam nunc non sine stupore admiramur, omnes nesciremus. Verùm eiusmodi tétationem non est quod metuat quisquam, cum & bona sit & vtilis: & hoc modo quicquid tentat deus, tanquam dignum approbat, idque in bonis tantùm & amicis suis. ¶ Alterum genus tentationis est, quo homo ad peccandum prouocatur, quomodo tres sunt qui nos tentant diabolus, caro & mundus: neminem autem hoc pacto tentat deus, quando neminem ad peccandum prouocat, vel Iacobo testante, Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à deo tentatur: deus enim intentator malorum est. Tentatio hæc, quia periculo non caret, ideo super ea orare iubemur à domino. Et ne nos inducas in tentationem. Diabolus nãque quãuis ad omne peccati genus nos prouocet, præcipuè tamen ad peccata spiritus, cuiusmodi sunt, superbia, inuidia, odiũ, hæresis, desperatio, blasphemia. Caro ad cibũ & potum, ad luxuriã nos inuitat & ignauiã: mũdus ad lasciuiã omnem & proteruiã, ad choreas aspirat, nósque incitat ad magnificétiam quoque & honores. Duo hæc incitamenta seu tentationes geminæ, radicem & originem trahunt à diabolo, qui ideo etiam propriè tentator dicitur à Paulo quoq;, cũ ait, Ne forte tentauerit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noster.

Iacob. 1. *Mat. 6.* *1. Thes. 3.*

2 Gratiam hanc nobis contulit, quòd tentari nós non sinit pro voto & arbitrio diaboli: quod si fieret, quàm pauci obsecro illi resistere possent, si pro tota facultate sua sineretur à deo & angelis nos tentare? Vnde colligitur tentationem carnis & acerbiorem esse, grauioremque, & illi difficiliùs resisti posse: quoniam corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Sunt autem istæ reliquiæ adhuc ex adæ peccato residuæ, adhuc reliquus est pristinus iste fomes peccati. Est itaque tentatio carnis ista, quando affectio quædam in anima nostra exoritur à carne, siue ad luxuriam, siue ebrietatem, gulam, acediam & similia. ¶ Hinc sequitur, aliud esse tentationem, & aliud esse peccatum: quoniam tentatio plerunque

Iob 41. *Sap. 9.*

& naturaliter & præter voluntatem nostram nobis occurrit: peccatum verò sine consensu nostro (vt inquit August.) non est: quoniam peccatum adeò est voluntarium: vt si voluntarium non est, peccatum quoque non sit. Obseruent hoc qui pusillanimes sunt, qui plerũque exhorrescunt super primo statim motu aduerso, & surrepente cogitatione statim pauescunt, dum eorum conscientias, vbi etiã peccatum nullum est, grauiter onerat diabolus. Non sic sanè fieri oportet, neque adeò id decet, quin potius quisquis es, qui verè Christiani nomine gaudes & titulo, sine vt adueniãt tibi tẽtationes & suggestiones malæ, dummodo locum tu illis ne præbeas, ne tibi in iis complaceas, sed quãtũ potes, & exclude, & ad solidã illã petrã Christũ allide, iuxta illud Psalmi, Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petrã. Qui autem alij sunt paruuli isti, nisi primi cogitationum motus, qui ne magni fiant, summa cura cuique prouidẽdũ est. Id autem fit, si vel consentias, vel tibi in illis bene complaceas. Id adeò sanctꝰ Iacobus quoque docuit, dicens, Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus, deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatũ, peccatũ verò cũ consummatũ fuerit, generat mortem Hîc mihi gradus illos obserua. Primùm enim statim sua quémq; tentat carnalis concupiscentia, quæ vbi concepit, veluti grauida ex consensu & volũtate, parit peccatũ, ad opus autem cũ iã deuenit peccatũ, fit manifestè mortale. Non est itaq; quòd cogitationes malas metuas, muscas AEgyptiacas, tãtũ consensum vide vt effugias. ex primo cogitationis ĩpetu non est quod vereare peccatũ, quoniã motus isti primò primi, in arbitrij nostri libertate non consistũt, sed neque fieri potest, inquit August. quin visis tangamur. Huiusmodi quidã stimulus datus est Paulo, qui eo tentatus est tã grauiter quidem, sed tamen non peccauit, orauit etiã dñũ, sed nihil aliud audiuit, nisi istud, Sufficit tibi gratia mea, Ne horreas ergo tentationem, tãtùm ne consentias: quãdo autem confitendæ sint tentationes, & quando non, mox dicturi sumus. 3 Obseruãdum hîc quoque venit, tentationem quinque modis roborari firmaríque.

August.
Psal. 136.
Iaco. 1.
August.
2. Cor. 12.

1. Si eam velut contemnas, nec diligentiùs attendas, tunc enim facilimè receptis viribus euincit, quapropter prudenter monuit Sapiens, Omni custodia serua cor tuum. Prouer. 4

2 Si illi inualide parũmque serio resistas. vnde & Grego. Grego.

dicit, Quādo diabolo fortiter resistitur in tentatione, efficitur vt formica: sed si parum ei cesserimus, efficitur vt leo.

3 Si quis paulò diutiùs cogitationis semel conceptæ immoretur, tūc enim fit, vt confirmata quoque tentatione, periculosum planè fit diu insistere, quādo talis cogitatio semel concepta, quāuis peccatum non sit, diutiùs tamen in animo retenta & quibusdam veluti fomentis nutrita, necdum tamen siue consensui siue operi destinata, succrescente sic paulatim concupiscentiæ ardore, exardescentéque voluptate, tandem vertitur in peccatum, teste etiam Sapiente, Abominatio domini, cogitationes malæ.

Prou. 15.

4 Nondū enata voluptate, neque concupiscentia beneplacita exardescente, si tu tamen temet obseruans, diutiùs cogitationi insistas, nec eā subinde excludas, ægrè sine peccato euades. quid enim aliud facis, quam teipsum periculis exponendo, quod aues faciūt tātisper circum retia & plagas volitādo, dum capiātur? vnde eueniet illi quod de similibus dicit Sapiens, Qui amat periculum, peribit in illo.

Eccle. 3.

5 Et vltimò, Si quis à cogitatione mala sæpius vincatur, cum eo fortiter permanet diabolus. ideóque quisquis non diligenter sibi cauet, facilè locū præbés cogitationibus huiusmodi, peccat vtique, dū modo se norit ipse moréśque suos perspectos habeat: quia quicunque se exponit periculo peccati mortalis, peccat mortaliter, iuxta theoricam patrū. Ex iis omnibus colligere facilimùm est, quando cogitationes huiusmodi malæ peccata sint, ac proinde confitendæ, & quando non. Quādocūque enim quis vltrò se tentationi offert, vel ad mulieres forma præcellentes ingrediendo, vel ad choreas & conuiuia eundo, vbi sciat se in concupiscentia mala exarsurum: similiter & si quis norit ludendo importunum se fieri, nimisque præcipitem, nec tamen abstineat, huiusmodi omnes confiteri tenentur, quomodo ipsi peccandi sibi dederint occasionem. Rectiùs aliquādo Iob, Pepigi, inquit, fœdus cū oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Simile de cęteris quoque peccatorū circūstātiis esto iudiciū. Verùm qui cūque tā deprauatæ sunt (inquit Aug) voluntatis, qui tentationem, non expectātes dum veniat, præueniūt, animo peccāt obstinato, & mera quadā malitia: vt deliri senes ad amorem iuuenilem conuersi, cùm iam nullā carnis etiā titillationem sentiunt, ipsi se prouocant, nihil non cogitantes do-

Iob 31.

nec vel ex malitia peccent indurati. Notabile est etenim, quòd triplici motu peccare quis potest: iterdũ ex nimia tentatione, aliâs ex imprudentia & ignorãtia, nonnũquã sciens aliquis & volens absque omni tentatione ex sola malitia peccat: qui gradus vt summus, ita omniũ pessimus est. Sed hæc aliâs. 6 Quilibet in se ipso experitur, quibus modis per omnem vitã tenetur, mũdo etiã & carne interdũ conquiescentibus, Diabolus enim (vt ait Bernardus) ex proposito perpetuus est inimicus noster, nec vnquã cessat, quin nobis quoque non sentientibus, tũ ille nos perdere maximè cupit, ex isto natiuo odio, quod iam olim in paradiso deus inter mulierem cõstituit & serpentem, ac semen vtriusque. Quid multa? vidit, vt testatur etiã Bernardus, & inuidit: vidit hominem in locum suum venturum cœlestem, & deinceps capitaliter totum hactenus exosum habet genus humanum: quod & Sapiens intellexisse videtur, cùm ait, Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illũ. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarũ. Bernar. Gene. 3. Bernar. Sapien. 2.

¶ Verùm cur adeò grauiter nos deus tentationibus immergi, tãtúmque continuè suffocari sinat, cũ plurimas sancti patres referant causas, tum verò non omnino postremæ sunt.

1 Vt saltem hac tentationis amaritudine discamus contemnere mũdũ. Ita & Gregorius, Mundus, inquit, dum tot amaritudinibus cruciat, dũ tot calamitates in geminat, quid aliud, nisi vt non ametur clamat? Mala enim quæ nos hic premũt, ad deũ ire compellũt. 2 Vt nonnihil experiantur homines, sic Sapiens ait, Qui non est tentatus, quid scit? In eius rei gratiam deus quoque in terra adoptionis gentes quasdã reliquit, vt ab iis assiduè vexati exercerentur Iudæi, sicut scriptum est, Hæ sunt gentes quas dominus reliquit, vt erudiret in eis Hierusalem, vt discerent filij eorum certare cum hostibus. Et infrà, Dimisit eos vt in ipsis experiretur Israëlem, vtrum audirent mandata domini quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non. Ita inter nos quoque habitat adhuc Iebusæus & Amorrhæus, concupiscentia scilicet ista innata, quam videns & considerans Paulus, clamabat, O infelix homo ego, quis me liberabit de corpore mortis huius. 3 Vt vel hoc modo vrgeremur ad orãdum inuocandúmque deum, sicut & oramus quotidie, sic edocti à Christo, Ne nos inducas in tentationem. Sic & beatus Grego. Eccle. 34. Iudic. 3. Roma. 7. Matth. 6.

Grego. Gregorius dicit, Dum vitia nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant. Iebusæum Israël tolerat, vt humana mens de se humilia sentiat, dum minima non superat.

1.Cor. 12. 4 Ne in bono superbiamus elati, sic de seipso Paulus. Ne magnitudo, inquit, reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis. 5 Vt sic vobis negligentia depelleretur,

Psal. 25. Gloss. quomodo & Glossa super illud Psalmi, Domine, proba me & tenta me. dicit, Tenta & proba me, ne quid delicti remaneat: aliter enim negligentes essemus.

Grego. 6 Quia tentatio & probat & auget in nobis virtutem, secundum illud Gregorij, Prospera est aduersitas, quæ mentem ab elatione custodit: quandoquidem minus cadit, qui sæpe tentatus, viriliter restitit. Vnde & quidam ex patribus dicit, Homo instar lateris est, qui dum igni coctus non est, vbi primum in aquam mersus fuerit, dissoluitur: coctus autem, permanet. Ita necessitatem nullam sensit, quàm primum illi quippiam obtingit vnde tentatur, non sustinet, nec patitur, sed in impatientiam in præceps prolabitur.

Deute. 13. 7 Ignotam antea, innotescere facit hominis virtutem tentatio. sic Moyses dicebat, Tentat vos dominus deus vester, vt

Exod. 20. palàm fiat, vtrum diligatis eum, an non. Et rursus, Vt probaret vos, venit deus, & vt terror illius esset in vobis, & non

Tobiæ 2. peccaretis. Sic & Tobias tentatus est, cùm cæcus fieret: idque eò factum est, vt posteris in illo euidens esset exemplum patientiæ.

8 Tentari quoque sinit homines deus, ad maiorem illorum honorem & remunerationem: quomodo sancto Anto-

Antoni. nio grauiter aliquando à diabolo tentato & percusso apparuit dominus, dicens, Antoni, iam inde ab initio affui spectator tui certaminis, & quia decertasti viriliter, faciam nomen tuum præclarum & illustre per vniuersam terram. Et quid

1.Tim. 2. fit hoc tibi mirum, quando & Paulus dicit, neminem coro-

Tobiæ 3. natum iri, nisi qui legitimè certauerit? Sed & Sara dixit, Hoc pro certo habet omnis qui te colit, quod vita eius si in pro-

Iacob. 1. batione fuerit, coronabitur. Quò pertinet & illud Iacobi, beatum appellantis quisquis suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam, quam repromisit deus iis qui diligunt illum. Ille itaque nobis etiam gratiam suam hîc concedat, & superatis mundi, carnis & diaboli insultibus, vita tandem perfruamur æterna, Amen.

HOMILIA VI.

QVANDO omnis vita nostra militia est super terrã, se- *Iob 7.*
cũdum vnam literam, nósque ideò dominus iugiter
orare docuit illud, Ne nos inducas in tentationem. Plura ad- *Matth. 6.*
huc nobis de tentatione diaboli dicenda supersunt, quibus
moneantur simplices ad euitandos laqueos diaboli, cuius om
nis in hoc labor consistit & diligentia, vt miseros nos ten-
tet, seducat, perdat, secúmque condemnet. Aliud enim ille
non agit, nec manducat, nec dormittat, neque honoribus,
gaudiis, aliísque rebus (vt nos) incumbit. tantum omnem in
hoc mouet lapidem, vt nos in iram dei & cõdẽnationem ad-
ducat æternam. Vnde & sanctus Petrus vigilare nos sedulò *1. Petr. 1.*
monet, quoniam aduersarius noster diabolus circuit, quæ-
rens quem deuoret. ei etiam resistere nos iubet fortes in fide,
neque enim nunquam ille tentare desinit nos vel fastidio
iam & molesto resistendi tædio pressos, authore Gregorio. *Grego.*
Neque aliter instat, quàm ministri isti regis non cessabant
intendere fornicem, ad pueros tres igni perdendos. Nulli par
cit iste sæuissimus hostis, nec ætatem considerat, senes ita ten *Dani. 3.*
tat ac iuuenes, pauperes simul & diuites, ægrotos, sanos, spi-
rituales, mundanos: intentatum planè neminem relinquit,
qui nec Christo quidem pepercit, vt rectè de eo dixerit pro-
pheta, Totum in hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua. *Matth. 4*
Vas istud piscatorium longè omnium capacissimum est, quò *Abac. 1.*
illi quicquid pene in vno fluminis loco est piscium, vno ia-
ctu extrahunt. Ita sagena tentationis vniuerso mundo ex-
tensa est per diabolum, quod idem propheta paulò pòst in-
sinuat, dicens, Propter hoc expandit sagenam suam, & sem-
per interficere gentes non cessat. Quanuis sunt qui non ita
multum negocij facessunt diabolo, sed hoc pessimum est in-
dicium, sicut & Gregorius in dialogis inquit, Illos pulsare *Grego.*
negligit, quos in re quieta possidere se sentit. Quo exemplo
eremita ille vidit in spiritu vnum tantùm, diabolum sedere
ad portam totius ciuitatis, & extra ciuitatem in vno mona-
sterio diabolos plures occupatissimos. admirabundus itaque
super ea re, audiuit angelum sibi dicentem, Toti huic ciuita-
ti vnus satis est diabolus, quãdo iam antea voluntatem suam
adimplet, ad multos autem illos pios & sanctos, qui in cœ-
nobio sunt monachos seducendos, tot etiam vix aliquid post
multos tentationum labores exhaustos, proficiunt diaboli.

Possum non incommodè idem de vobis quoque pronunciare. Per tota Bacchanalia vnicus etiam simplicissimus sufficiebat vobis diabolus, quando tunc vestra sponte insaniebatur, nec opus erat vos, quo currebatis ipsi præcipites, multis tentare laboribus. At nunc non cessabit, cum viderit vos tam sancti temporis occasione rebus occupari diuinis, & omnibus viribus eniti, vt manus suas effugiatis. Iamiam neruos fraudis suæ omnes intendet, vt à Christiana ordinatione vos abstrahat: quod si præstare non poterit, conabitur tamen, vt hoc quod facitis, vitio non careat: cuius rei exempla hîc de pœnitentia, confessione & similibus adduci possent. Quotquot igitur regressum paratis ad deum, præmonitos vos scitote, vt vigiletis, & calidissimi hostis insidias attendatis diligentius: iuxta illud Sapientis, Præpara animam tuam ad tentationem. nam vbi primum salus appropinquat, tentatio quoque accedit: quod accedisse videmus etiam apostolis, quibus accedente iam passionis & mortis Christi tempore, tentatio quoque irruit acerrima, adeò vt diceret Christus, Omnes vos scandalum in me patiemini. Anima hominis pij, qui iam velit conuerti ad dominum, clamare poterit ad deum cũ Dauide, Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me. Circundederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis. Nec est quod dubites, quin magis attentiúsque multò te diabolus obseruet confitentem, quã choreas ducentem: quoniam diaboli cum peccatore negociũ, captiuo detento simillimum est: quẽ quisquis turri adhuc habet inclusum, ad seruandũ eũ vno contentus est custode, vel oscitẽte etiam, & non ita multũ vigili. Verùm vbi ille semel fugiendi occasione arrepta, consimilis aui elapsæ effugerit, omnes statim lictores & apparitores properant, currunt, festinãt, insectantur. Nanque eodẽ planè modo diabolus hominẽ captiuũ tenet securus, effugere & ex carceribus elabi parantem sequitur, detinet & moratur, quod Sapiens ille quoque vidit cum diceret, Extruxit munitiones per gyrũ. In eius quoq; rei figurã Pharao filios Israël, fugã iam ex Ægypto meditantes, grauiùs multò afflixit, laboribusque molestissimis excruciauit luti & lateris, quam antea. Sic homini quoque vsu venit, qui se iam vult conuertere ad dominũ, profectò enim vbi primùm de conuersione cogitarit, grauiores sentiet tentationum insultus. Verũ iis ne moueamini vos, quin potius resisti

Eccle. 2. — Luc. 22. — Psalm. 3. — Psal. 117. — Eccle. 9.

te etiam tūc fortiùs, vt inde nō detrimentū, sed animæ vestræ salutē reportetis: quando fieri non potest, vt hæc tentádi alea à vobis auferatur quin subeatis. Tantum corde & ore subinde clamate ad dominum, Ne nos inducas in tentationem.

2 Hoc quoque diligenter quisquis verè pius es, considera quod non oras, ne tenteris, sed iuxta formulam orandi tibi à domino præscriptā, ne ille te inducat in tentationem: quoniam admittere tentationem, potestatis est dei: qui, quia iustus est & bonus, pro illa orandus non est: eò quòd aliud longè est tentari, & in tentationem induci. quilibet enim tentatur, vt probetur. in tentationem autem inducitur, inquit Augustinus, quem deus deseruerit auxilio suo. Petere à deo nemo debet, vt tentationibus careat, quando & illa mala est tentatio, nullam habere tentationem: vt ait Augustinus, eò quod in tentationibus esse non raro vtile est & salutare: sicut fuit illud apprime vtile Paulo, sicut & Tobiæ ait angelus Raphaël Quia acceptus eras deo, necesse fuit vt tentatio probaret te. Sic Iacobus quoque: Omne gaudium, inquit, existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur: sed & cum tentatione dabit quoque Deus prouentum. Veruntamen confidenter & fortissimè sperandum hîc est in deo, dicendúmque cum Dauide, In te eripiar à tentatione, & in deo meo transgrediar murum. Quomodo autem tentatio cōmodet in singulis casibus, nimis longum foret hîc recensere. Sed tamen in generali casu tribulationis referunt hoc doctores, quod nobis quoque hoc loco visum est apponere, ¶ Dici non potest quam amara sit herba, quamque ingrati saporis, tribulatio quæ ideo quoque in tentatione aquæ comparatur amaræ & salsæ.

Augustin. *Augustinus.* *2.Cor,12.* *Tob,12,* *Iacob.1.* *1.Cor.10.* *Psal.17.* *Tribulatio*

1 Principio sicut aqua salsa scabiem curat, ita tribulatio impudicitiam, quæ scabies animæ longè impurissima est, ac proinde purulentā illam facit. Sanè id etiam Sapiens docuit dicens, Militia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ. *Eccle.11.*

2 Pisces quoque in aquis salsis magis pinguescunt, eodem nanque modo tribulatio altrix est omnium fidelium, virtutibus enim pascit eos. Et illic quanuis salsa & amara sit aqua, pisces tamen dulces sunt & sapidissimi: ita hîc quoque qui tribulationibus exercentur, patientes fiunt, suaues, probi & deo beneplaciti, iuxta illud Sapientis, Non tanget eos tormentum malitiæ. *Sapien.3.* 3 Aqua etiam salsa carnes conseruat à pu-

Ioel.3. ttedine,ſicut Ioel dicit. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo iumenta,hoc eſt,homines beluini.

4 Arces quas vndique aquæ circunfluunt, expugnatu difficilimæ ſunt:& qui aſsidua curcundati ſunt tribulatione, eos non ita ſuperare poteſt diabolus,neque voluptatibus carnalibus velut titillare,& gaudiis afficere. Nā & qui tribulati ſunt & anxij,facilè finiuntur,nec ad gaudia accerſuntur,ſicut & de

Iob.2. Iob legitur:cui nemo loquebatur vel verbum,quoniam videbant dolorem eſſe vehementem. Sic Eliſeus quoque dicebat puero ſuo de muliere,Dimitte illam,anima enim eius in ama

4.Re.4. ritudine eſt. Verum quæ in planitie campi poſitæ ſunt arces, potiſsimum impugnantur. Et ſic qui in lætitia vitam agunt, in delitiis & voluptate,in diuitiis,forma præclara præditi,in iuuentute & nobilitate,velut in aquis ſuauiſsimis,plerunque labuntur. Sunt qui ægrotantes ſaluantur,ſi ſani ſint, perituri multi:pauperes cùm ſint, beantur, ſedem certam habituri apud inferos,ſi diuites eſſent. Nemo itaque oret, ne tentetur ſed potiùs,ne in tentationem inducatur.

Ne nos inducas in tentationē 2 Quæres autem,quid hoc ſibi velit,quod oramus,Ne nos inducas in tentationem. En reſponſum tibi,tria ſunt quę breuiſsima illa petitio complectitur. primùm enim hîc petimus ne nos conſentire ſinat deus in tentationes,cui quam primum voluntatem noſtram dederimus,iamiam in tentationem ſumus inducti. Nam hoc tibi cogitandum ſemper propone, ſi quando tentaris,crede diabolum tibi extruere pontem, quem conſcendas foueam aliquam ſuperaturus. Pons hic è ſeptem lignis eſt compactus. ſuggeſtione, cogitatione, voluptate, mora diuturna cogitandi, conſenſu, voluntate perfecta, facto pręcipi,& operis conſummatione.

2 Deinde cum petimus ne in tentationem inducamur, nihil aliud oramus, quam ne gratia & auxilio ſuo deſtituamur,vnde confirmemur ad reſiſtendum tentationibus: gratia nanque diuina non animas tantùm noſtras & opera deo

Ioan.4.7. reddit accepta, ſed concupiſcentias quoque malas gubernat, & eaſdem penitus extinguit. vnde & in ſcriptura aquæ appellationem meretur habere. non eo tantùm quòd per deuotionem irrigat animam hominis, ſed quia feruorem quoque concupiſcentiæ delet.

¶ Quando itaque gratiam ſuam nobis deus non confert inducere nos dicitur in tentationem,quanuis ille hoc ipſe non

faciat vnquam, tamen hoc ei tribui solet, cum gratiam non *Exo.10.* confert: sicut in sacris literis hoc fieri videmus, dicíque simi- *& 14.* liter, quoniam indurauit cor hominis, nunc Pharaonis, nunc *Esaiæ 63.* Ægyptiorum. Et sicut Esaias refert, atque de Iudæis Ioannes, *Ioan.12.* ita hîc quoque cum gratiam suam nobis non dat deus, dicimus illum nos in tentationem induxisse.

3 Oramus hîc quoque, cum dicimus, Ne nos inducas in tentationem: vt adiutor nobis sit ille aduersus carnem, quæ deglutire nos conatur per voluptatem: contra tentationes mundi, quæ auaritiæ tenacitate nititur nos peruertere: & contra diabolum, ne ille nos omnis generis malitia seducat.

4 Cùm dictum sit suprà multam magnamque esse tentationis virtutē, vtilitatem & efficaciam, cogitare iam quis posset, an liceret etiam deum pro tentatione orare, eo quo Dauid modo orauit, Proba me domine & tenta me, qui etiam sic *Psal.25.* dixit ad dominum, Vide an via iniquitatis sit in me. Et huic *Psal.138.* sanè respondetur, neminem vltrò cupere debere tentationem carnis, à qua cum liberari tam ardenter petierit Paulus, quis nostrū subire audebit, quod vas electionis horruit Paul⁹ *2.Cor.12.*

2 Illa quoque quę à mundo & diabolo proficiscitur, multum fugienda tentatio est: periculosum enim est quo euadat. Ad hæc magna quoque est humana fragilitas. Quid quod hostis iste vterque robustissimus est & instanter pugnax? ambiguus itaque Mars ille, quem satiùs est intermittere.

3 Quod ad externam tribulationū attinet tentationé, pos *Orare pro* sunt sanè qui perfecti sunt orare pro ea, vt deus omnipotens *tentatione* hîc puniat in hac vita, vrat scindat, neque differat in futuram *Iob.41.* vitā. Nō autē hoc idē facere debēt ĩbecilles, qñ cōfirmati non sunt ad huiusmodi tentationū victoriā. Sicut eñ dicit B. Aug. *Au. 9. de* queādmodū ignis paruulus à vento facilè extinguitur, magn⁹ *ciuitate.* verò etiā magis incenditur, ita & ignis exiguus charitatis di- *dei cap.9.* diuinæ à vento tētationis validæ docto citiùs deletur, vbi autē ignis charitatis ardentius feruet, tētationis vento afflatus ardet. (Propterea sacerdotes fragiles nō dicāt illā orationem *Pro sacer-* ante missam, Dñe iesu Christe, rogo corde toto, vt omnia pec *dotibus.* cata mea dimittas in presenti vita, &c. cū tamen ob paruitatē gratiæ nesciāt, an passiones peccatis debitas sufferre patiēter possint in hac vita,) Dauid itaque tanquā perfectus orare po- *Psal.25.* tuit & dicere, Proba me dñe & tenta me, vre renes meos & cor meū. Totum nanque hoc ex innocentia sua fecit, siquidem &

antea dixerat, Iudica me domine, quoniam ego in innocentia
Iac. I. mea ingressus sum, sic etiã ad perfectos Iacobus ait, Pro gaudio ducite fratres mei, si in tentationes varias incideritis. Sic
Psalm. 38. Dauid ad dominum, Vide inquit, si via iniquitatis in me est. Hoc modo sancti dei nonnunquam pro tentationibus dominum rogauerunt, vt in hac attentione in bona perducerent custodia collatæ sibi virtutis, sicut S. Brigitta, vt castitatem virginalem meliùs seruaret, rogauit deum pro aduersitate, & trepuit ei pupilla oculi, oculisque flere cœpit. Eodem quoque exemplo S. Alexius vltrò se in ærumnas, egestatẽ & miseriam dedit, aliíque conplures. ad quod tamen faciẽdum nõ omnes æqualẽ habent animi fortitudinem & constantiã: quare nullus leuiter in hanc tentationẽ debet se præcipitare. Pulchrè hîc induci posset quam variis modis diabolus hominem tentet, nunc malis, nunc bonis, nisi id nimis longum foret.

Tentare etiam in bono Verùm hîc tu miraris forsitam, quod diximus hominem à diabolo tentari etiã in bono. adeò vt certum videas, en casum hunc tibi. Videt diabolus forsitan hominẽ ad luxuriã, impu-
2. Cor. II. dicitiam seu incontinentiã pronũ, statim itaque angelus iste noctis & tenebrarum, in angelũ lucis se transformãs illũ tentet, vt durissimum subeat Carthusianorum vel alium consimilem ordinem, quando quicquid in mundo est, nil nisi vanitas est. Hominem hunc vbi iam tentator in cucullam perduxerit, tunc demum verè eum tentare incipit, suadet exuere illam, effugere monet, eóque desperationis ipsum adducit, vt omnem tum pudorem tum honestatẽ vnà cùm cuculla abiiciens, afugiat. Idem in similibus quoque fieri potest, dum ille homines tentat sub specie & prætextu boni vt grauia & difficilima quǽque sibi sumant, eligant, voueant: non ignarus fortè vt deinceps, cùm seruare ea nequeant, resilientes, ab instituto peccent. ꝏ Ob maiorem tamen informationem puncta hæc sanctorum patrum obseruare, quæ nos hîc breuitatis studio, sine scripturarum testimoniis, recensebimus.

1 Non quilibet diabolus in quouis peccati genere tentat, sed alius in alio: ita vt hic iam velut defessus tentando, of-
Esa. 14. ficij sui partes velut lampada, quod aiunt, cursu tradat alteri,
Matt. 6. sic Lucifer diabolus est superbiæ, Manmõn auaritiæ, Asmo-
Tobiæ 3. dæus luxuriæ. Leuiathan inuidiæ, gulæ & veneficij Beelze-
Iob. 46. bub, Belphegor accediæ. 2 Sed neque diaboli omnes æqualis sunt furoris & prauæ concupiscentiæ, vt ait Cassianus, si-

cuti

cuti nec sapientiæ paris sunt & roboris. Ideóque deus etiam simplicioribus non sinit immiti diabolos callidos adeò & astutos, vt prudentioribus. Cuiusmodi etiam dæmones sunt ludicri, qui in viis eludunt homines, qui in ædibus etiam circũ cursitant, qui mulieribus accubant. (Incubi. Non est bonum quod multum dicas de hoc vitio in publico coram simplicib⁹ mulierculis, quæ sunt curiosæ, & ita possent assentire diabolo vt experirentur hanc malitiam, sed solùm detestando enormitatem criminis) quod temporibus Noe factũ legimus, quãdo dæmones tantos generabant in terra gigantes, tantũq́ue fiebat in orbe mali, vt grauiter ob id iratus deus, totum diluuio perdiderit orbem, præter eos qui in arca asseruabantur cum Noe, sicut in Genesi & Glossa ibidem apertè commemoratur. Multa hîc lubens prætereo propter simplices, ne hîc offendantur. Tantùm hoc admoneo, quemuis omnis incontinentia sit contra deum, nullo tamen eius generis vitio cómouetur grauius deus, quàm horribili isto quod cum dæmone perpetratur. quoniam cum in cæteris eius peccati speciebus pœnitere liceat, in hoc tamen rarissimum est, vt quis ab illo redeat conuersus. si quidem miseros homines diabolus valide adeò hîc irretitos inuoluit, vt cum ipso damnentur in æternum. Igitur quanuis isti simplices appareant dæmones, ecce tamen quantum damni & incommodi pariant in anima. *Osee. 9.* *Demonũ varia genera.*

3 Sunt etiam diaboli quidam furibundi planè & horribiles, qui & obsessos non tantùm offendunt homines, audituq́; & voce & visu priuant, quod in euãgelio sæpe legitur: sed præter illos aliis quoque nocent, sicut apud Lucam, cùm spiritus immundus miserum hominem torquebat, ita vt spumaret, sicut & filia mulieris Chananeæ, quæ grauiter à dæmone excruciabatur, sicut & Geraseni illi obsessi, qui tanto furore erant perciti, vt nemo ibidem viam illam pertransire poterat. *Mat. 8. 15.*

4 Sunt quidam spiritus admodũ subtiles, in ipsum animũ hominis sese ingerẽtes insensibiliter, & cogitationibus humanis in vi imaginatiua se immiscentes, vbi & varios concitant affectus, vnde multa admiranda sæpe loquuntur homines. Cuiusmodi spiritus erat ille in libris Regum, qui decepturus Achab, dicebat ad dominum, Egrediar, & ero spiritus mẽdax in ore omnium prophetarũ eius. Sic quoque cum iis qui futura prædicere conantur, agit, ad quos cum ventum est spe cognoscendi futura, diabolus statim in phantasiam se auguris istius *3. Re. 22.*

insinuat, inspirans illi quid dicat.

Dæmō dominatur hominis obsessus. Hinc iam patet, quomodo hominibus dominetur diabolus, nonnunquam in anima tantum, interdum in solo corpore aliâs corpore & animo. Itaque & siquando hominē vides obsessum, caue illū iudices temerè, quādo potest id alicui cōtingere sine oī peccato: sicut sancto abbati Moysi euenit, qui cū paulò durius increpasset reprehendissétque dictū Macharij, obsessus est à diabolo. Neque enim raro permittit deus bonos & sanctos viros corpore grauiter affligi ex leui aliqua causa. *3.Re.13.* Sicut ille propheta, qui ad Ieroboan mittebatur, cui & præceperat deus ne comederet panem, né ve biberet vinum in via. Venit autem ad eum alius propheta dicens, Et ego propheta sum similis tui, & angelus locutus est mihi in sermone domini, dicens, Reduc eum tecum in domum tuam, vt comedat panem & bibat aquam. Ille nimium credulus, fide data deceptus non multò póst à leone iuxta verbum domini dilaniatus est. *Libr. 21.ca 14. de ciuita dei.* Quid quod sanctus Augustinus refert innocētes quoque pueros, id ita permittente deo, à dæmonibus vexari? Vtique non aliam ob causam, nisi vt sic nobis deus miserrimā vitæ huius calamitatem declaret, in quam per lapsum Adæ incidimus.

¶ Et hæc de materia tentationis dicta sufficiāt, in qua assiduò omnis vita nostra nobis terenda est aduersus carnem, mundum & diabolum, qui nos seducere conantur, malis concupiscentiis in hoc mūdo: in quo præter concupiscentiam carnis *1.Ioan. 2.* & oculorum, ipsámque adeò superbiam vitę, nihil est. His nos resistamus fortiter, nunc sancti precibus, nunc eleemosina, aliâs contemplatione sacræ scripturæ, & reliquo dei cultu, humilitate: & sicut caput nostrum christus, diabolum vicit, ita nos quoque deprecemur dominum, vt hoc sacro ieiuniorum tempore reconciliati deo, ab omnibus peccatorum vinculis liberemur hîc per gratiam & misericordiam, illic verò in gloria & fœlicitate perpetua. quam nobis concedat, qui est benedictus in æuum. Amen.

¶ DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ, EVANG. MATT. 15.

IN illo tempore. Egressus Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis, Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamauit, dicens ei, *Mat.7.* *Miserere mei Domine, fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur,*

Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eũ dicentes, Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait. Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. At illa venit & adorauit eũ dicẽs, Domine, adiuua me. Qui respõdẽs, ait, Nõ est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit. Etiam domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi, O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, Et sanata est filia eius ex illa hora. *Mar. 7.*

HOMILIA I.

PAulò ante hoc euangelium Matthæus refert, quomodo Christus pharisæos increpauit de hypocrisi, ipsorumque vanis institutis aduersus præcepta diuina. Hinc statim sequitur hystoria euangelica. Scribis nanque sic & pharisæis calumniatoribus derelictis transgreditur in partes Tyri & Sodonis, vt Tyrios Sidoniósque curaret. Vbi tu si attenderis diligentiùs, videbis mystico quodam intellectu hîc Christum præfigurasse, quòd sic quoque apostoli sui sancti iduratos relicturi essent Iudæos, & gentibus prædicaturi euangelium. Id inde colliges, quoniam hîc antea iam sustulerat Christus ceremonias & obseruationes ciborum Iudæis in lege prohibitorum, porcorum, leporum, camelorum, anguillarum, ciconiarum, & similium: quæ omnia vno hoc verbo infregit, cùm dixit, Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit inde, id coinquinat hominem. Statim post hæc secesit ad Gentes. Eodem planè modo vsuuenit & cõtigit Petro, qui edoctus primùm est legem illam de animalibus immundis esse abrogatam: cùm videret lintheum & in eo omnis generis animalia: audirétque vocem dicentem sibi, Surge Petre, occide & manduca. Post hæc tandem Cæsaream missus est ad Cornelium, Ita hîc quoque prius docuit Christus, deinde secessit veluti clàm & latenter propter obstinatos Iudæos. Igitur & Marcus dicit, Surgens abiit in fines Tyri & Sidonis. & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latêre Mulier enim statim vt audiuit, &c. ¶ Verùm hîc iam quæstio emergit quoniam Christus iam antè præceperat apostolis, ne ad gentes & in Samaritanorum ingrederentur ciuitates: cur ipse eis suo Aliud declarauit exemplo, quàm docuerat? Ad hoc responsurus Chrysostomus, Primùm, inquit, illud

Hierony. Mat. 15. Leuit. 11. Mat. 15. Act. 10. Mar. 7. Chrysosto.

adducemus, quia non tenebatur ipse quæ discipulis seruanda præcepit, omnino conseruare. Verùm id quidem est, nam ipse legislator, deus erat, legibus non subiectus, sed solutus ab illis & tamen, vt inquit Imperator, vox est principe digna, vt se quoque fateatur velut vinctũ legibus. Sed & Lucas de Christo dicit, quod inceperit facere & docere. Dat igitur præter hanc Chrysostomus adhuc aliam solutionem, dicens quòd Christus prohibuit discipulis, ad prædicationem spectasse, siquidem ille tunc eos ablegabat ad apostolici muneris functionem peragendam, & tunc noluit eos quicquam prædicare gentibus antequam ascenderet in cælum. Verùm hîc Christ⁹ non vt prædicaturus venit in fines gentium, sed vt per fidem mulieris huius Chananeæ filiam illius curaret, per hoc quoque impietatem pharisæorum declaraturus, qui eum credere recusabant: & hic quanuis nondum prædicabat excludere tamen noluit qui sua sponte veniebant ad ipsum.

L. Digna vox. ff. de leg.

Christus contra præceptũ suũ.

2 Cùm iam in finibus gentium esset dominus, venit ad eum mulier Chananæa, clamitans, Miserere mei domine fili Dauid, filia mea male à dęmonio vexatur. Mulier hæc ad christum venire vel ex eo mota est, quod fama & nomen Christi iam diuulgabatur vndique, & miracula ipsius vbique inclarescebant. vnde & ipsa credebat illum posse filiam sanare. Et sicut ipsa exiuit de finibus, ita quilibet ad Christum venturus exeat oportet è finibus infidelium & peccatorum, séque reconciliet deò cùm primis iam hoc quadragesimali tempore. Neque aduersatur hîc Marcus Matthæo, dum ille mulierem scribit ad Christum venisse in ipsis ædibus, hîc autem secutam eam refert dominum in via. fieri nãque potuit, vt cum iã dominum in domo cõuenisset, eundem tamen egredientem & ipsa sit insecuta. Sed nos iam textũ explicemus, & deinceps mulierculæ huius fidem prædicemus & virtutẽ clarissimam. Principio itaque dilectissimi verba ipsius expendite, fidẽ põderate. Non ad suæ gentis cucurrit idola, sed ad Christum dominum, quò ipsam fides tanta impulit, quanuis alienigenam, quanuis scripturarum ignarem. Fidem autem illius ex duobus colligere licet: primùm, quòd non secum filiam adduxit ægrotantem: quod Iudæi facere consueuerant, non credentes Christum etiam absentem curare aliquem posse. sic adduxerunt cæcum apud Marcum, varióspue infirmos in Matthæo, paralyticum quoque apud Lucam, quem & per tectum

Fides Chananeæ.

Mar. 8. 2.
Matt. 4.
Luc. 5.

immiserunt ante faciem domini: qui Iudæorum mos adeò præualuit, vt electæ quoque sorores duæ Magdalena & Martha, mortuo sibi fratre, dicerent ad dominum, Si fuisses hîc frater meus non fuisset mortuus. Aliter autem hæc muliercula, quæ non adduxit filiam suam secum, imo nec orauit Christum vti ad se veniret, coram filiã suam sanaturus, quod regulus ille fecit. Vnde constat fidem illam habuisse tantam, vt crederet ipsum solo verbo vel imperio curare posse filiam ideo non petiit corporalem illius præsentiam, sed magna fortique fide tantũ clamauit ad dominũ. Miserere mei domine fili Dauid. Nil nisi misericordiam orat, petiítque, vt dominus respiciat miseriam & calamitatem ipsius, yelut inclamitans illud Sapientis, Miserere nostri deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum.

Ioan.11. *Ioan.3.* *Eccl.36.*

¶ Hìc quoque diligenter attende insignem mulierculæ huius in filiã suam amorem: illius nanque malum, suum reputat Discant ab illa parentes dilectionem filiorum suorum: sicut enim liberi honorare parentes tenentur ex lege, ita vicissim parentes amare debent filios suos: sicut & Esaias dicit.. Nunquid obliuisci potest mulier infantẽ suum, vt non misereatur filio vteri sui? Huiusmodi compassionẽ omnes quotquot verè perfecti sunt homines, habẽt erga quoslibet Christianos, iuxta illud Pauli, Quis inter vos infirmatur, & ego non infirmor? Ita sibi mulier hæc Chananæa dolorem & miseriam vsurpauit filiæ suę, quasi diceret, Miserere non filię meę, sed mei miserere. Nam illa insensata iacet: ego verò quam sensus morbi nõ fugit, quæ sentiens atque intelligens insanio, mille vexor ærũnis. Miserere igitur mei domine: ego enim infelix sum, & mœstissima mater. Beda putat, mulierem hanc credidisse Christũ verũ deum & hominem. dum enim dominum vocat, deum fatetur: filium Dauidis appellans, hominẽ agnoscit. Habebat autem hoc à Iudæis, vnde cognoscere potuit Messiam ex genere & stirpe Dauid nasciturum: hinc erat quod & filium Dauid eum appellabat, quamuis & Samaritani Pentateuchum Moysi receperunt. Qua de re aliâs plura.

Exo.20. *Esa.49.* *2.Cor.11.* *Chrysost.* *Beda.*

3 Ad hanc tum efficacissimam fidem, tum orationem piã, nihil tamen respondit dominus: siquidem tria hæc durissima illi exhibuit dominus, dissimulauit, negauit, exprobrauit. Non tamen hæc omnia pharisaica aliqua superbia, neque duritia, sed nec de scribarum supercilio, vt inquit Hyeronymus

Christus durus mulieri. *Hyerony.*

qui & rationem hanc reddit, ne ipse sententiæ suæ videretur esse contrarius,per quam iusserat,In viam gentium ne abieritis. Nolebat enim occasionem calumniatoribus dare. perfectámque salutem gentium passionis & resurrectionis tempori reseruabat. Beda rationes alias duas refert:alteram hanc quod respondere ei distulerit dominus, non quia misericors medicus miserorum preces despicit, de quo veracissimè scriptum est. Desiderium pauperum exaudiuit dominus: sed vt perseuerantiam mulieris nobis semper imitabilem demonstret, quæ quò magis contempta videbatur à domino, eò ardentiùs cœptis instabat in precibus. Altera causa est,quòd respondere differt,vt discipulorum quoque suorum misericordes animos,ad postulandum simul cum ea prouocaret.Tertiò respondere distulit, ne daretur occasio Iudæis calumniandi, quòd Gentiles in docendo vel senando prætulerit: quanuis Iudæi affectum erga Christum habebant planè impium, deũ eum contemnebant & calumniabantur, ille tamen nihil eò motus de ciuitate vna in aliam perambulabat,curans ęgrotos & infirmos ipsorum.Hanc autem mulierem, quæ dominum adeò miserabiliter & humiliter deprecabatur,non exaudiuit, & multi forsan (ait hîc Chrysostomus) eorum qui audierunt, scandalum passi sunt:ipsa autem ne commota quidem fuit. Est hîc Glossa, quæ dicit, ideo etiam eum non respondisse, vt discipuli pro ea rogarent, ostendens per hoc necessarias esse preces sanctorum ad aliquid impetrandum.

Beda. *Psal 9.* *Chrysosto.* *Glossa.*

4 Videntes itaque fidem mulieris tantam discipuli,affectúmque pium, audientes quoque miseriam illius & calamitatem,misericordia moti sunt:& accesserunt ad dominum dicentes, Domine, dimitte eam, adiuua, quia clamat post nos, nec aliquem clamandi finem facit,iuxta illud Esaiæ. Qui reminiscimini domini,ne taceatis,& ne detis silẽtium ei,donec stabiliat.Latebat etiam discipulos,quid sibi hac mora, tantóque silentio vellet dominus, vel etiam ex sententia Hieronymi, importunitate eius carere cupientes, interpellabant pro ipsa. Ex illis etiam verbis colligi dicit B. Augustinus,eos iam in itinere fuisse, & mulierem secutam semper clamasse. Respondens dominus discipulis, dicit, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Non hoc intelligendum est,more Lutherano, secundum literam, cùm vtique venerit Christus in redemptionem mundi, sicut vetus nouúmque

Esa. 62. *Hierony.* *Augustin.*

testamentum vndique satis testatur. Non est itaque verborũ cortex accipiendus hîc, sed medulla eruenda. Verùm is est sensus verborum, quoniam dominus solus ipse Iudæis prædicauit, sed deinceps per apostolos suos vniuerso terrarum orbi, ad designandum Christum ipsum in propria persona apostolum esse Iudæorum: ideóque & vt plurimum Iudæis tantùm predicauit, inter Iudæos miracula operatus est, cum Iudæis conuersatus est: gentibus omnia hæc non item, nisi personis pauculis, vel ex aduentitia & accidenti causa, vt ostenderet ecclesiam suam in gentibus quoq; fide extruendã: quod apertè etiam Paulus testatur, dicens, Dico Christũ Iesum ministrum fuisse circuncisionis propter veritatem dei, ad confirmandas promissiones patrum, gentes autem super misericordia honore deum. quod & Iudæis ipse coram edixit Paulus, quomodo eis primùm loqui oportuisset verbum dei. & quoniam ad Christum gentes quoque pertineant, ipse apud Ioannem testatur, cùm ait, Alias adhuc oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & erit vnum ouile & vnus pastor. Sed tu inter cætera mansuetudinem Christi hîc mihi considera, qui mordacissimos istos canes, lupósque rapacissimos Iudæos, oues tamen appellare nõ dedignatur: quos proprio veróque suo nomine expressit, vouítque Dauid, in persona Christi loquẽs & dicens, Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obsederũt me: aperuenerũt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiẽs. Et infra, Canes multi circũdederũt me: consiliũ malignantium obsedit me. Hæc nimirum vera fuissent eorum nomina, vituli, tauri leones & canes. Verùm mitissimus dominus super hæc omnia mala, ipsorum oues eos vocat. Et fortè idipsum ille fecit propter bonos: de quibus Petrus, Eratis, inquit, quondam sicut oues errantes, nunc autem conuersi estis ad pastorem & episcopum animarum vestrarum: ij scilicet, qui confitebantur peccata sua, dicentes cum propheta, Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit. Ita excludente domino etiam interpellationem intercessionémque discipulorum, exterrita vtique grauiter est muliercula: quam tamen fides illa fortissima adhuc vrgebat constantiùs pertinaciúsque instare, salutem quoque suam quærere. Cuius exemplum nos quoque conuenit imitari, & subinde deum inuocare, nec aliquando ab oratione

Roma. 15. *Act. 13.* *Beda.* *Ioan. 10.* *Psal. 21.* *Iudæi oues* *2. Pet. 2.* *Esa. 53.* *Luc. 18.*

Ioel. 2. deficere. Rogari enim vult deus, ideóque & Christus dixit, Quoniam oportet semper orare & nunquam deficere. Nam quis scit, si conuertatur & ignoscat, & relinquat post se benedictionem? sicut iam quotidie precamur pro vniuerso Christianismo. Siquidem qui orando perseuerat, nec deficit, hic saluus erit: hîc per gratiam, isthic perpetua beatus gloriâ: quam nobis donet, qui est benedictus in secula, Amen.

¶Ex sermonibus generalibus applica semper particulam ex materia confessionis vel ieiunij, aut de aliquo vitio principali, ex vno de decem præceptis.

HOMILIA POSTERIOR.

PErambulante domino fines Gentium & Chananæorum, venit ad eum mulier, & ardentissimè deprecata est illum, vt sui misereatur. Verùm ipse præter morem suum, ne respōdit quidem verbum vllum: & interpellantibus quoque pro ea discipulis, non tamen exaudiuit. At hîc nondum deterrita illa, ipsum accessit dominum, eius opem implorans, & dicens, Domine, adiuua me. Et quod antè verbis ipsum verum confessa fuerat deum, nunc facto quoque exprimit, accurrens & adorans dominum, Domine, inquit, adiuua me. Quam pauci in tota erant Iudæa, qui verum illum confitebātur, aut etiā credebant deum? Et ecce gentes eum adorant deum viuum & verum. Et obstinata etiamnum hodie gens Iudæorum credere recusat Messiam, quem etiam venturum adhuc anxiè, sed frustra tamen expectat, deum esse. Vides iam quomodo multò plus de Messia hæc mulier crediderit, quam quotquot nunc viuunt Iudæi. Verùm tu hîc mihi verba illius mulierculæ cōfer cum iis, quæ dicebat alius iste ad dominum, Si quid potes adiuua nos, misertus nostri. Quantula erat hæc fides, cùm diceret, Si quid potes? dubitabat enim an id posset præstare. Nō sic autem mulier hæc quæ potestatē domini in nulla posuit dubitatione, tantùm implorata ope, misericordiam petiit & adorauit eum. Possem hîc clamare aduersus neochristianos. Mulierem hanc non tantùm maiorem habuisse fidem, quàm Iudæi: sed etiam quàm nostrates isti hæretici Lutherani. Siquidem illa adorauit dominum etiam corporaliter credens in illo etiam latêre, quam nō videbat oculis carneis deitatem. Isti autem venerabile sacramentum, corpus Christi & sanguinem, nec venerari volunt nec adorare, dicere non re-

Mar. 9. (margin)

Fides Chananeæ maior Lutheranorum. (margin)

ueriti, Christum non ideo hîc esse vt adoretur. O stuporem, ô cæcitatem, ô vesaniam! Transeunti regi aut principi tuo non exhiberes honorem, etiam ea de causa non præsenti? Quacunque enim causa adsit, semper locum habet ista regula Pauli, Cui honorem, honorem. Et tamen fateri coguntur etiam inuiti homines isti maledici, Christum hîc in sacramento esse præsentem, nostri gratia, aut propter nos. Aut ideo ne ille præsens salutis nostræ causa minus honoraretur, quàm ob quiduis aliud? Bene autem eis deus intellectum suum ademit, exæcauit eos, & similes facti sunt iumentis. Neque tamen inficias ibunt vtique, sacramétum hoc à Christo esse institutum, vt eò vteremur in suam commemorationem: iuxta verbũ ipsius, Hoc facite in meam commemorationem. Cùm itaque ipse dominus suo te proprio corpore subinde voluit admonitum, vt recordareris illius, laudares eum, coleres, adorares, gratias ageres: quid ita insanissimè desipis, vt nec laudes, nec magnifices illum, neque adores, etiã admonentem & dicentem, Ecce adsum, adsum, inquam, ego, qui te redemi, qui sanguine meo proprio eripui de potestate diaboli. Et tu factus es sicut equus & mulus, quibus non est intellectus! transis tacitus, nec honore dignaris, nec gloria debita: quem cœli cõtremiscunt, quem trepidat terra, quem genua flexa horrent cœlestium, terrestrium & infernorum. Sed audi quid Dauid dicat, Exultate dominum deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctũ est. Dic age tu mihi, quodnã scabellum dei & sanctum & adorandum putas, nisi illud venerabile corpus Christi? scabellum enim dei terra est: iuxta illud propheticum, Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorũ. Præcipit itaque illic nobis Dauid adorari terram. Terram verò quam obsecro adorabimus aliã, nisi sanctissimam carnẽ Christi, carnẽ illam, quam ipse de mundissimo agro sancti corporis Mariæ assumpsit, in qua cum hominibus in terra conuersatus est, quam nobis etiam manducandum in sui memoriam dereliquit? Nemo autem, inquit Augustinus, illam carnem manducat, nisi prius adorauerit. Vnde quid aliud, te quæso, colligas, quam neochristianos istos, dum corpus Christi adorare nolunt, Christianos non esse, sed schismaticos, blasphemos, hæreticos?

Rom. 13.
Eucharistia adoranda.
Psal. 48.
Luc. 22.
Psal. 31.
Philip 3.
Psal. 98
Esa. 66.
August.

¶ Rectiorem longè fidem mulier hæc habuit Chananæa, vt quæ corporaliter etiam dominum adorarit, deum ipsum esse

Deut. 4. non dubitās. Deum enim ex lege quoque adorare. & illi soli seruire iubemur. Et quia humanitas inseparabiliter à filio dei est assumpta, ita vt ipse eam dimissurus nunquam sit in perpetuum, vna planè adoratio est, qua deus simul cū humanitate Christi adoratur: vbi quanuis quælibet pro se natura in sua permanet substantia, vtraque tamen in vna est persona. Neque adhuc à priori verbo mulier discedit, nec filiæ suæ, sed sibi misericordiam & auxilium quærit, ob rationes iam suprà ex Chrysostomo adductas.

Adora. Christi.

Chrysosto. 2 Sed nos iam quid ad hanc anxiam adeò & solicitam petitionem dominus responderit, audiamus, Non est bonum inquit, sumere panem filiorum, & dare canibus. O sermonem Christi durum & acerbum, quo ille Iudæos filios, gentes canes appellat! secundum illud vtique quod & dixerat in

Exo. 19. lege de Iudæis, Si audieritis vocem meā, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cūctis populis. Mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gēs sancta. Itaque quos iam antè ad apostolos loquens, oues dixerat, nūc cum muliere verba faciens, etiam filios vocat. Per panem autem verbum dei intelligit, miracula quoque & quicquid in vniuersum saluti nostræ commodum est.

Hierony. Sed interim canes ethnicos, propter idololatriam appellat: quoniam ij esui sanguinis dediti, cadaueribus mortuorum feratur in rabiem, quorū exēplo ethnici quoque multo sanguine in sacrificiis vtebātur. Posset ad longum induci, quomodo Gentiles hæretici, breuiter impij omnes canes sint: iuxta varias canum proprietates: siquidem canes voraces sunt, libidinosi, contentiosi, æqualem non ferunt, lambunt seipsos, quicquid vomuerint deuorant rursus, in rabiē facilè aguntur. hæc tu si voles, applica vt lubet. Ideo nanque sicut hīc eis

Symbola. sunt facilima. *Hæretici canes.*

Matt. 7. panem prohibet, ita alibi ne sanctum canibus detur, grauiter vetuit. Paulus quoque pseudo apostolos & doctores prauos, canes vocat, qui sectas faciunt, & Christianam scindunt vnitatem. ita enim ad Philippenses, Videte, inquit, canes, videte malos operarios, videte circuncisionem. Et verè vtique canes ij sunt allatrantes tantū euāgelium Christi, honestam omnem ordinationem perturbantes, ventilantes, & blandiētes cauda, interímque mordētes dentibus, hæreses suas & vanissimos errores blandissimis ingerunt adulationibus, prætextu ac fuco boni, simúlque assiduis corpus & animā mor-

Philip. 3.

ſtibus impetunt, atque in rabiē aguntur quam ocyſsimè. quod nūc in noſtratibus neochriſtianis, prohdolor, nimium videmus & experimur: quos etiam ideo angelus expellit, dicens, Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ: quo nomine maxima quæque vitia per canes in ſacris literis deſignantur, ſicut dicit Eſaias propheta, Canes impuriſsimi neſcierunt ſaturitatem. Sed hîc tu quiſquis verè pius es, contēplare diligēter, quantū gratiæ tibi nobiſque adeò omnibus, qui ex gentibus ſumus conuocati, fecerit deus per magnam miſericordiam ſuā. Ecce Iudæi oues erant & filij dei, imo & primogenitus Iſraël: & facti iam ſunt canes, furiunt atrociter aduerſum euangeliū latrant, mordent contra Chriſtum, famelici in gratia & donis cœleſtibus: iuxta illud Pſalmi. Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes, & circuibūt ciuitatem. Viciſsim maiores noſtri Gētiles erāt & ethnici, canes ideo appellati hîc à Chriſto: nos tamen per gratiam & miſericordiam diuinam cum maioribus & parentibus noſtris facti ſumus filij dei: ſicut & verbum illud caro factum, poteſtatem dedit omnibus hominibus filios dei fieri, iis qui credunt in nomine eius: vt iam nos quoque poſsimus dicere cum Dauide, Hæc illa eſt mutatio dextræ excelſi. Quia quid quærebat Iſraël, hoc non eſt conſecutus: electio autē conſecuta eſt. Tantùm caueam diligenter, ne rurſus efficiamur canes per hæreſim aut aliā impietatem, ſicut iam ante commemorauimus. Verè enim pro diuerſitate fidei ordo nominum commutatur, vt inquit Hieronimus. 3 Reſpondente ſic domino mulieri tam duriter, illa non tantùm tolerauit hoc patienter in ipſo tanquam Iudæo, ſed ipſa quoque illud magna quadam humilitate confeſſa eſt, dicens, Etiam domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Etiam domine, canem me confiteor, & quidem pane diuino indignam, Gentilis ſum, ſed tu tamen, qua es erga omnes pietate, paululum mihi gratiæ dona, vt ſanetur filia mea. Mira hîc ait Hieronymus, ſub perſona mulieris Chananitidis eccleſiæ fides, patientia & humilitas prædicatur. Fides, qua credidit ſanari poſſe filiam ſuam: patientia, qua toties contempta, in precibus perſeuerat: humilitas, qua ſe non canibus, ſed catulis cōparat. Indignam ſemet fatetur pane, indignam cū patre gratiarum omnium accuſabat: tātùm micas cupit ſibi contingere cum ca-

Apoc. 22. Iudæi canes. Eſa. 56. Hieron. Exod. 4. Pſal. 58. Ioan. 1. Pſal. 76. Rom. 11. Hieron. Hieron.

tulis,tãtiſper dum per gratiã panes quoque poſsit aſſequi: confirmans in hoc domini verbum,quomodo ipſe quoque canem eam appellauerat. Et hæc,inquit Chryſoſto. ſubeſt ratio,cur dominus nec illi reſponderit antè,nec apoſtolos pro ea interpellãtes exaudierit:cur etiã ipſam adeò in oratione perſeuerantem & pertinacem non audierit,non quòd ei parum propitius & miſericors eſſet,non ignarus vtique ſe ipſam tãdẽ exauditurũ,filiámque eius ſanaturũ. Verùm theſaurũ illũ tãtũ fidei,patiẽtiæ & humilitatis ſciebat in pectore illius clàm latẽtẽ,eum voluit manifeſtari. nóſque adeò ex ipſa diſcere patiẽtiã ſimilem & humilitatem. Quomodo & cum Centurione egit,qui promittebat vẽturum ſe, puerúmque illius ſanaturum. Chriſtus Iudæos laudat,filios vocat,neque eò mulier mouetur eoſdem quoque dominos appellat, ſe verò catulum. Contrà Iudæi ſuperbiũt,dicẽtes,Semẽ Abrahæ ſumus,& nemini ſeruiuimus vnquã.hinc factum eſt illud quod Iacobus dixit,Quoniam reſiſtens ſuperbis Iudęis deus, Gentibus humilibus dedit gratiam ſuam.

Chryſoſt. *Matth.8.* *Ioan.8.* *Iaco.4.*

4 Nunc tãdem poſt pietatem tantam, tantæque humilitatis, patientiæ & conſtantiæ inſignem declarationem, dominus noſter Ieſus Chriſtus miſericordiæ ſuæ radiũ & ſplẽdorem fulgentiſsimum mulieri permiſit illuſcere,dicẽs,O mulier,magna eſt fides tua,fiat tibi ſicut vis. Nũc manifeſtat Ieſus cauſam propter quam ſanationem primùm diſtulerit:nẽpe vt fides & prudentia mulieris clareſcat. propterea non ſtatim ab initio annuit Chriſtus, ſed magis illam à ſe amandauit,nunc vt fides & prudentia eius manifeſtetur, laudat eam, Magna, inquiens,eſt fides tua: ob eam itaque fiat tibi ſicut vis. ¶ Theophylactus hìc admonet, fieri nonnunquam vt ſanctis pro nobis intercedentibus non exaudiamur: ipſi autem pro nobis orantes,deinceps exaudiamur. Eius rei cauſam hanc refert Gloſſa, quòd deus in orationibus noſtris conſtanter nos vult perſeuerare,ne torpeamus ſimul & tepeſcamus,dum omnia orantibus pro nobis ſanctis dei reciperemus. Chryſoſtomus hìc dicit, Quemadmodum pro ſe ipſa mulier orauit,ita & dominus reſpondens non dixit, filia tua ſanetur,ſed fiat tibi ſicut vis, fides etenim tua maiora quam petis poſſet impetrare: ſicut & Sapiens dicit, Deſiderium ſuum iuſtis dabitur. Fides autem quantum habeat meriti,virtutis & efficaciæ, Paulus ad Hebræos ſcribens, ſatis

Theophy. *Gloſſa.* *Chryſoſt.* *Prou.10.* *Hebr.11.*

testatur. Tu vide homilias de fide. Hîc tamen apertè satis patet, quomodo tanta fuerit fidei huius virtus, vt dæmonium expulerit à mulieris huius filia, etiam absente: vt iam non mireris fidem ecclesiæ sanctæ, quæ communis est parẽs omnium nostrum, posse efficaciter eiicere dæmoniũ ex infantulo, dum exorcizatur ante baptismum, quando simile factum hîc est in fide mulieris: quia iis verbis datur nobis exẽplũ catechizandi & baptizandi pueros, quoniam hęc mulier nõ ait, domine, salua filiam meam: sed, miserere mei & adiuua me. Hinc etenim descẽdit consuetudo in ecclesia, vt fideles pro suis paruulis fidem deo promittãt, quando ipsi non sunt tantæ ætatis & rationis, vt per se fidem promittere deo valeant: quatenus sicut fide istius mulieris sanata est filia eius, ita & fide virorum catholicorum peccata paruulis relaxentur. Porrò hac particula, fiat, Christus deitatem suam declarare voluit: quo verbo quicquid vspiam est in mundo, omnipotenti sua virtute creauit deus, sicut prima statim Genesis testatur historia. Hæc quoq; historia quãuis re vera ita vt legitur creditur esse facta, doctorum tamen sententia mysticum aliquid & spiritale designat, ad eruditionẽ nostrã, quòd quãdo cuique suæ gratiæ dono cõtẽplari facilè est, breuiter tamen idipsum libet ex sententia Bedæ explicare. Christus reprehẽsis Pharisæis, in fines secessit Gentilium. Eodémque modo deinde post passionem suam apostoli dura & obstinata Iudęorum pectora derelecturi erant, & gentibus prædicaturi. Atque ideo, Mulier Chananæa à finibus illis egressa. Egredi siquidem oportebat Gentiles & de finibus suis, & errores pristinos deserere, si modo gratiam nouæ fidei erant recepturi. Quomodo & Paulus conuersus iam ad dominũ, & Christianus factus, proficiebat supra multos coætaneos suos. Mulier itaque hæc totam ex gentibus congregatam designat ecclesiam: illius filia ægrota, quælibet est anima peccatrix. Gẽtes autem idololatria malè vexabãtur à diabolo, qui pro suo arbitrio tunc cum hominibus agebat omnia pro suis igitur membris orat ecclesia, vt illuminentur intrinsecus à deo: qui quamuis errantes non statim illustrat gratia sua, perseuerandum tamen est constanter, clamandúmque ad dominũ, & vsqueadeo etiam intercessio sanctorum in Letaniis imploranda (vbi obserua vsum Letaniarum etiam tempore Bedæ fuisse, contra Neochristianos) vt ipsi pro illis de cœlo

Exorcismus. *Remigi⁹.* *Fiat.* *Gene.1.* *Beda.* *Act.13.* *Galat.1.* *Letaniæ.*

clamēt ad dominum, tandémque sic vel alienis saltem precibus ecclesia exaudiatur. Neque verò aliter quilibet homo agnoscés animam suam peccatis infectam, currés ad dominum, clamet, Domine, miserere mei, quia filia mea, anima illa mea miserè torquetur à dæmonio. Idq́ue adeò nobis, hoc præcipuè tempore faciēdū est, cùm nosmetipsos reconciliare debemus deo, & adeò mūdi esse, ac iam recens ex baptismo essemus egresi. Profectò enim si modo nos in oratione constanter perseuerauimus, nec aberit, nec discedet à
1. Ioan. 1. nobis gratia dei: quæ omnia commissa & peccata nostra emendet, immūda sanctificet, turbulēta omnia serenet: quoniam fidelis est & iustus deus, vt peccata nobis nostra dimittat, nósque ab omni malitia expurget, dummodo sedula voce clamauerimus ad eum, qui viuit & regnat de vnitate spiritus sancti, per secula, Amen.

¶ Adde huc articulum de confessione, pœnitentia, aut oratione, siue ieiunio.

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMAE, EVANGELIVM, LVCAE 9.

Matth. 9. IN ILLO *tempore, Erat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum: & cum eiicisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt, In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Et alij tentantes, signum de cœ-*
Matt. 12. *lo quærebant ab eo. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis,*
Marc. 3. *Omne regnum in se diuisum, desolabitur & domus supra domum cadet. Si autem & Satanas in seipsum diuisus est: quomodo stabit regnū*
Matt. 12. *eius? quia dicitis, in Beelzebub me eiicere dæmonia? Si autem ego in*
Marc. 3. *Beelzebub eiicio dæmonia, filii vestri in quo eiiciunt? ideo ipsi iudices vestri erunt. Porrò si in digito dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum dei. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in*
Matt. 12. *pace sunt omnia quæ possidet: si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Cùm immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inueniens, dicit, Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit eam scopis mundatam. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus*

secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Factum est autem cùm haec diceret, extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi, Beatus venter qui te portauit, & vbera quae suxisti. At ille dixit, Quinimo, beati qui audiunt verbum dei, & custodiunt illud.

HOMILIA PRIMA.

PLVRIMVM iam negocij diabolo incumbit, charissimi, siquidem quò sanctiora sunt magísque ad pietatem nos monent tempora, eò plus laboris ipsi imminet. Videns itaque nunc quoque peccatorem sibi rimam, qua elabatur, quaerere per poenitentiae sacramentum, nullum omnino relinquit lapidem intentatum quin moueat, ad impediendum illum. Peculiariter verò conatur os ei obstruere, ne confiteatur, vel non satis integrè, sed & volens sciénsque aliquid omittat, & sic in potestate sua permaneat. Id autem nos cauere ac prospicere admonens ecclesia, proponit hoc euangelio hominem istum obsessum, & eundem quoque mutum, à quo quamprimum expulit Christus daemonium, coepit homo hic loqui, in exemplum omnibus nobis, ne nos nimium ab hoc muto daemonio obsideri sinamus, sed expulso illo, loquamur in confessione peccatorum nostrorum, vt sic gratiam dei in potestate clauium sacerdotis assequamur, filij dei effecti, filij tanquam iustitiae, filij salutis aeternae. Verùm nos iam ipsum euangelij contextum assumentes, excutiamus sicut sancti doctores interpretati sunt. Nam qui de suo aliquid affuentes, noua comminiscuntur: & populo proponunt, plerunque capitoso suo cerebro aguntur à diabolo, vt somnia propria iactantes, faciliùs imponant simplicioribus. Vnde admonentur omnes non recedere vel vnguem latum à patribus illis, cum quibus si sentiant, sciant se non aberraturos. *Ecclesia.*

¶ Considerãda hic principio nobis est regula beati Augustini. Aut non simile quiddam scriptum alicubi in euangelio cõtineatur. Ingressi itaque canones Eusebij, canone quinto, videmus Matthaeum quoque idẽ hoc miraculũ descripsisse. ex vtroque igitur euãgelista medullam veri intellectus cõsideremus. Obseruãdum autẽ primum statim est, quod Matthaeus dicit, oblatum Christo fuisse hominẽ daemonium ha- *Augustini regula. Matt. 12.*

bentem,in quo fides & pietas offerĕtium illum designatur,sicut in Luca cum paralytico. Quæ fortiter euincunt(contra Neochristianos)& bonum esse & salutare,vt quis mediatores pro se habeat & intercessores apud omnipotētē deū. Væ enim homini qui semel solatio tanto auxilij mutui priuat. Qua de re plura in homilia de intercesione sanctorum.

Lucæ 5.

2 Matthæus quoque dæmonio obsessum illū fuisse refert mutum simul & cæcum:hinc est quod Hieronymus ait, tria signa simul in vno homine esse perpetrata,quādo & cæcus vidit,& qui mutus erat locutus est,& obsessus à dæmone liberatus. Eius rei rationem Chrysostomus referens,inquit,O pestiferam dæmonis astutiam,vtranque viam occupauit atque obstruxit, quibus ille erat crediturus,visum scilicet,& auditū:quas tamē ambas vias Christus reserauit. Et quod ibidem corporaliter factū est,idē etiā hodie Beda spiritualiter fieri refert in conuersione fidelium, vt expulso statim diabolo, qui cæcus ante fuerat,lumen videat fidei,mutâque ipsius aperiantur labia ad laudem dei & cōfeßionem peccati. Hinc autem potestas apparet diaboli,si modò illi permittatur à deo, vt animum quoque hominis,si velit,insanum reddat & furibundum,ipsúmque hominem cæcum,mutum, & surdum faciat. Quod non latuit & Iob,dicentem, Quoniam non est potestas super terram, quæ comparetur ei.

Hierony. *Chrysost.* *Beda.* *Iob 41.*

2 Lucas tantùm eiecisse refert dominū dæmoniū quoddam,& illud mutum:mutum ab affectu, quòd hominem quē poßidebat, reddiderat mutum. Neque hoc rarum erat in veteri testamento, vt homines à dæmonio obsiderentur, quando tunc longe plus potestatis habebat diabolus in hominem,quam nūc in nouo testamento tempore gratiæ, quo Christus illi superato,potestatem quoque ademit plurimā. Eiecto itaque iam dæmonio, & loquutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Vbique hoc ex vniuerso euangelij contextu liquet, quam validè & potēter Christus spiritus eiecerit immundos: sicut & Ioannes testatur, In hoc apparuit filius dei, vt dissoluat opera diaboli. Quod in Genesi quoque figuratum erat,quando Sara dicebat ad Abraham. Eiice ancillā & filium eius,hoc est, eiice lasciuiam & concupiscentiam malā,eiúsque filiū diabolū. Expulso iam dæmonio, locutus est mutus,in signum & testimoniū veri miraculi: non phantasmatis suspicionem, sed iuxta euangelium Matthæi, vidit

Obsessi plurimi. *1. Ioan. 3.* *Gene. 21.*

vidit ille quoque. Vnde infœlices & nimiũ duri colligere debebãt pharisæi,& Mesſiam ipſum eſſe, & hæc,iam aduenisſe tẽpora, de quib⁹ Esaias dudũ prædixerat,Tũc aperiẽtur ocu li cæcorũ, & aures ſurdorũ patebũt. Tũc ſaliet ſicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorũ Diligẽter hîc expẽdũt doctores, linguæ vſum datũ homini ad tria, ad laudẽ dei, ædificationem proximi, & cõfeſsionem ſui. Et quãdocũque diabolus hominem peccatis obruerit ita: vt hæc tria nõ operẽtur in lingua ſua,dici poteſt, poſsideri eum à diabolo,mutũmque effectũ. Id autem omne fit per cõcupiſcẽtiam, auaritiam & ſuperbiam,ſiquidem & illud quod aliquis peccata nõnulla in cõfeſsione celat,ex ſuperbia prouenit, dũ videri ſe nõ vult coram ſacerdote peccatorem tantum. Hoc modo quiſquis à diabolo poſsideri ſe ſentit, eiicere illum à ſe com modiùs nõ poteſt,niſi oratione ſedula: ſicut Dauid arcebat ſpiritum huiuſmodi à Saule per citharam ſuam. Cithara autem hæc beneplacita eſt deo, vt extenſis animi tui fidibus pſallas coram deo,orans cum omni fiducia. *Eſa.35.* *Linguæ vſus.* *1.Reg.16*

¶Super hoc iam miraculo admiratæ ſunt turbæ. Admiratio autẽ,vt inquit Chryſoſtomus,via eſt ad credẽdũ: quoniã qui miraculũ ex ipſa dei omnipotẽtia cõſiderat, animo ſuo eleuatur, & ſic dum illam intentus expendit, ædificatur in fide. Id plerunque turbæ fecerunt ſimpliciores,verùm maligni & in malitia ſua excæcati phariſæi, hoc in ſiniſtram partem ſemper rapuerunt. Matthæus quoque turbas dixiſſe refert, Non eſt hic filius Dauid? quibus verbis ſignificare voluerunt vtique,Meſsiam ipſum eſſe in lege promiſſum. *Chryſoſt.* *Marc.7.* *Matt.12.* *Ioan.6.*

3 Mentionẽ eorum quoque facit euãgeliſta, qui hãc admirationem turbæ in calũniam rapuerũt, conati miraculũ illud tãtum reprehẽdere ſimul & contemnere. Nõ tamen hoc iuxta ſentẽtiã Bedæ fecerũt ſimplices,ſed ſcribæ tantùm & phariſæi,qui nitebãtur etiã negare miracula Chriſti:& ſicubi negare nõ poterãt, nitebãtur aliis viis ſupprimere: idque in hoc iã quoque euãgelio duobus modis. Fuerunt enim qui factũ hoc magnũ quidem ducerent & admirandum, ſed tamẽ Chriſto non attribuebant: quaſi ipſe id propria tum virtute fecerit tum poteſtate,ſed in Beelzebub, veluti miniſterio ſpiritus cuiuſdã familiaris:ſicut & apud Matthæũ feciſſe leguntur & dixiſſe,In Beelzebub principe dæmoniorũ eiicit dæmonia. Quãdo enim miraculum culpare non poterãt, *Marc.12.* *Beda.* *Mat.9.12*

causam illius conati sunt reprehēdere. Beelzebub autē, iqui s
Hierony. Hieronymus idolum est Accarō, quod vocatur in Regū vo-
4 Reg. I. lumine idolum muscæ. Beel ipse est Bel siue Baal, zebub au-
tem musca dicitur. Principem ergo dæmoniorum ex spur-
cissimi diaboli appellabant vocabulo, quod musca dicitur
propter immunditiam, quæ exterminat olei suauitatem.

¶ Glossa porrò quiddā apertiùs insinuat, referēs quoniā Ni-
nus patri suo Belo statuā erexerit, quo velut ad asyllū cucur-
rerint omnes, qui sibi criminis alicuius erant cōscij. vnde fa-
ctum est hominum superstitione, vt honores illi cœperint
exhibere diuinos, quod vidēs diabolus, sese statuæ insinuauit,
indèque respōsa dedit, quæ prima fuerit idololatria ibidem
orta, deinceps per vniuersum mundum dispersa. Tamē quod
Sap. 14. hic Glossa de patre narrat, de filio refert Sapiens, qui cōsi-
Idololatriæ origo. mile quiddam de idololatriæ origine scriptum reliquit, di-
cens, Neque erant ab initio, neque erunt in perpetuum.
Vbi notabile hoc est, quod quemadmodum nulla fuit ante
diluuium idololatria, ita aliquando desitura est tota, quan-
uis nunc quoque ex bona parte cessauit, quando iam nec
Turcæ, nec Persæ sunt idololatriæ, siquidem AEthiopes &
Turcæ nō adorant Mahometum suum pro deo, sed magno
amico & propheta dei. Sequitur hinc in Sapiente, Acerbo
luctu dolens pater, rapti citò sibi filij fecit imaginem, & il-
lum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam
deum colere cœpit, & cōstituit inter seruos suos sacra & sa-
crificia. Deinde interueniente tempore, cōualescente an-
tiqua cōsuetudine, hic error tanquam lex cōstitutus est, &
tyrānnorum imperio colebantur figmenta. Habes hîc ido-
lolatriæ originem ex sacris literis, nos autem ad Glossam,
vnde digressi sumus, reuertamur. A Belo istud multis dein-
ceps in locis idola Bel & Baal appellari cœperūt. Iudæi au-
tem velut illudentes idolum, Beelzebub vocarūt, principem
muscarum, quoniam muscæ plurimæ circum illud volita-
Hierony. Abac. 3. bant Hieronymus quoque super Abacuc, testatur serpentem
istum à Iudæis Reseph dictum, qui primos nostros parentes
tentauit in paradiso, tentasse etiam in deserto Christum.

4 Expēde etiā hîc, quanta ista fuerit blasphemia, Chri-
stum summi dei filium, insimulare communis cum diabo-
lo consortij, imo ex ipso deo diabolum velle facere, neque
enim aliud erat quod apud Marcum dicebant, insanum eū

esse & habere in se Beelzebub, atque adeò in principe dęmoniorum eiicere dęmonia, quod tamen quomodo declinet dominus, statim audiemus. Magi nanque etsi impediunt ne dęmonium extrinsecus hominem offendat, illud tamen ex anima hominis non eiiciunt, quod potenter fecisse dominum videmus, qui homines corpore simul & anima curauit, cùm eos à morbo & ęgritudine naturali sanauit. Vnde & dicebat, Totum hominem sanaui in sabbato. Nunc quoque *Ioan. 7.* aliorum mihi malitiam considera, qui miracula Christi depressuri, pro nihilo illa reputare volebant, petentes signum de cœlo. Signorum, inquit Beda, aliquod è cœlo quęre- *Beda.* bant, cuiusmodi aliquando facta fuerant à prophetis, sicut Moyses columnam igneam cœlitus exhibuit populo ex AEgypto proficiscenti, sicut Samuel mugire fecit tonitrua *Exo. 19.* messis tempore, in ea regione qua id solitum fieri non erat, *1. Reg. 7.* sicut Elias è cœlo euocauit ignem super sacrificium, & alibi, *3. Reg. 18* quando ignis de cœlo descendens, consumpsit duos quin- *4. Reg. 1.* quagenarios. Similiter cum canentibus Ionatha & sacerdotibus ignis de cœlo incendit sacrificium. Et quando sol pu- *1 Mac. 1.* gnante Iosue stetit, vel ęgrotante Ezechia retrocessit. Ve- *Iosue 7.* rùm in hoc isti tantùm tentabat dominū, qui si tale aliquod *Esa. 38.* miraculum maximè exhibuisset, culpatum tamen ab eis fuisset, tantum abfuit vt crederent, sed vel variç operationi ipsius naturę vel diabolo attribuissent. ¶ Quòd si hîc quęris, an dęmones quoque operari possint miracula, quando hîc miraculorum effectum principi dęmoniorum attribuunt: respondeo id fieri posse nō minus, quam Antichristus quoque multa miracula facturus est, sed miracula, teste Paulo, *2. Thes. 2.* mendaciorum tantum. Et tamen quia potestas diaboli qua- *Iob 41.* libet alia super terrā maior est, fit vt multa possit ille super communem naturæ cursum operari. Ideóque & Augustinus *Augusti.* ait, per magiam sępe facta esse miracula æqualia iis quę ministri dei faciunt, sicut in Exodo habes de maleficis Pharao- *Augusti à* nis, Iānes & Mābres. Cęterū quādo dicit ille pseudoprophe- *lib. 83. q.* tas multa signa & prodigia facturos, admonet vtique vt itelligamus quędā miracula etiā sceleratos homines facere, qualia sancti facere nō possunt, nec tamen ideo potioris loci apud deum esse arbitrandi sunt: & ita vult plus commendari sanitas ab operibus iustitię, quàm à miraculis. Verū omnia hęc istorum signa sunt mendacia, quando non in honorem

& gloriã dei dirigũtur,sed plerũque velut præstigia exhibẽtur oculis hominũ imponẽtes: vt ea quis magnũ quid esse putet,cùm nihil sint:aut si quid etiam esse constat ex efficaci dæmonis potestate, non tamen cedunt in commodum hominis, cuiusmodi ridiculum hoc est quod Apollonius Tyaneus arbores ambulare faciebat, & statuas loqui.

Philostratus. ¶ Tale est, cùm diabolus tempestates aëris concitat, non ignarus naturæ & operationis elementorum, neque inscius quomodo materiam pluuiæ grandini faciendæ attemperet, *Lactant.* Eius generis est,quod & potuit diabol⁹ homines variis morborum generibus debilitare, quos deinceps ad idola currentes,sola nocumenti ablatione curasse visus est. Quæ omnia non vera sunt miracula,quoniam non fiunt potestate aliqua supernaturali:vel enim diabolus hoc quod agit, per deceptionem & vanam imposturam facit,vel ex naturalibus causis:deus autem etiam naturæ moderator & dominus est, adeò vt creaturæ omnes omnipotenti suo verbo parere cogantur sine vlla vlteriori ordinatione .quo modo verum est il- *Psal. 71.* lud prophetæ, Qui facis mirabilia solus. Hæc eò libuit explicare diffusiùs,quòd plerumque homines siue adeò simplices,siue nimium stolidi admirari solent maleficos, qui faciũt vt equum simul cum quadrigis quis deuoret , atque instar Antichristi,homines quoque armatos ex aquis proferat . Imposturæ & vanitates meræ sunt ad decipiendos Christianos:quoniam miracula ista(si modò sunt hac appellatione digna)nec ad gloriam dei,neque ad hominum faciũt ædificationem & salutem. Qui dij etiam qui has nugas tractant, plerunque pauperrimi sunt, & vbique habitantes, nusquam habitant:omnia perlustrantes,omnes alios decipientes , ipsi pene fame miserè depereũt. Hoc autem certum habe,si quem dominus hoc iam tempore ad pœnitentiam , confessionem & emendationem vitæ vocat , vt mutum ab eo dæmonium eiiciatur, opus maius est omnibus omnium maleficorum præstigiis,imo non minus est impium iustificare, quàm crea- *August.* re cœlum & terram. Hæc vobis consideranda sunt charissimi,vt qui nondum gratiam dei impetrarunt, adhuc deum orent pro expulsione dæmonij muti,pro compunctione cordis,qui verò iam cõfessi gratiam dei habent, loquantur cum hoc muto,benedicant & laudent dominum , gratias agant illi,qui est benedictus in secula, Amen.

DOminus noster Iesus Christus eiecit dæmonium mutum. admiratæ sunt turbæ, calumniati statim sunt pharisæi, dicentes illum ex diaboli facere potestate. Quem affectum cognouisse Christum cùm audis, duo obserua, alterum, quòd quia imprudentissima erat talis cogitatio, isti etiam timore multorum perterriti, non ausi fuerunt in publicum efferre, sed mente secum assiduè versabant, alterum, quòd occulta cognitione cogitatuum Christus euidens suæ demonstrauit diuinitatis argumentum, quoniam prauum, inquit Hieremias, est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? ego dominus, scrutans cor & probans renes. Sic Dauid quoque dicit, Dominus probat renes & corda, dominus etiam ipse ad Samuelem, Homo videt ea quæ patent, dominus autem intuetur cor. Respondit autem dominus (vt ait Hieronymus) cogitationi, nō sermoni illorum, si qua ratione mouere eos posset ad credendum omnipotentiam & virtutem suam, quoniam ipse & occulta cogitationum cognosceret quod opus est soli deo proprium: sicut & Dauid ad Salomonem dicebat, Omnia corda perscrutatur dominus, & vniuersas mētiū cogitationes intelligit. Cogitationes cordium ipsorum rationalibus causis dominus refutauit, nō tamē exprobrās, neque dicēs, Huiusmodi quiddam cogitatis in cordibus vestris, quod alibi apud Matthæum ipsum fecisse legimus, cùm diceret, Quid cogitatis mala in cordibus vestris? similiter in Marco & Luca. Vnde discendum est prædicatori, ne temerè aduersus magistratus & potentiores dicat, quòd hinc plerunque mala emergunt, in quo peccare nunc grauiter vulgus neochristianorum videmus, dum ardenter plebem aduersus vtriusque ordinis seu cōditionis magistratum accendunt, iniquè satis & improbè, quoniam eius rei nullam habent in sacris literis cōmissionem. Vitia quedam & odisse, vt ille ait, & aduersus ea inuehi debet prædicator, eo tamē modo, talique moderatione, vt quicquid dicit, ad hominum faciat emendationem. Ecce enim cùm soli pene cum Christo essent pharisæi absente populo, duriter adoritur eos dominus, & de mala cogitatione increpat, hic verò præsente plebe, ne meminit quidem alicuius mala cogitantis, quò minus animos vulgi concitaret aduersus ipsos.

Chrysost. *Hiere. 17* *Psal. 7.* *1. Reg. 16.* *Hierony.* *1. Par. 28.* *Matth. 9.* *Marc. 2.* *Lucæ 5.* *Matt. 23.*

¶ Ita Paulus suum quoque docuit Timotheum, Seniorem, *1. Tim. 5.*

Anno 1525. inquiēs, ne increpaueris, sed obsecra vt patrem. Regulam hanc si secuti Lutherani fuissent, reliquos & superstites adhuc iam haberem⁹ multos bonos viros, quorū plurima milia sic miserè in tumultu rustico perierūt, culpa & vitio prædicatorū peruersorū & deprauatæ doctrinæ. verum illi quādo corpora perdiderunt, animam tamen saluam faciat deus in diem iudicij. Admirari etiā quis hîc posset, quando Christus in sua tentatione diabolū sacræ scripturæ telis à se abegit: cur nò idem hîc quoque cum pharisæis fecerit, quorum cogitationes rationibus firmis fortiter infregit? Huic sanè *Cyrillus.* respōdeat Cyrillus, dicēs nō attēdisse ipsos, falsò eas exponentes, ideóque ex iis respondit quæ communiter accidūt. *Ioan. 5.* Plerúmque aliàs antehac scripturas ei proposuerat, quas & scrutari eos seriò iussit, sed frustra hæc omnia namque dum illas ad sinistrum sensum torquere semper conabātur, quod nunc quoque faciunt Iudæi in declinandis scripturis, quæ de Messia apertè sunt scriptæ, si quomodo fucum prætexerent, quasi aliò referantur. Ideo nunc maximè sapientia dei patris omisso sacrarum literarum testimonio probabilibus rationibus, & eiusmodi quibusdam, quæ in rebus humanis accidunt quotidie, cogitationes eorum refutauit: ipse enim *Psal. 93.* scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. 2 Primā nunc mihi cognoscite causam, quamobrem vana fuerit istorum cogitatio. Omne, inquit, dominus, regnum in se diuisum, desolabitur. Quoniam & Hieronymus hîc post Sallustium dicit, concordia res paruas crescere, discordia etiam maximas quasque dilabi. Verùm est etenim & certum, bonis legibus & ordinatione sana respublicas & politias ciuitatum retineri: vbi quamprimum discordiæ seminarium aliquod pullularit, statim omnis quæ bona fuerat, perit ordinatio: vnde quomodo non sequeretur destructio & desolatio miseranda? Posset hoc historiis veterum innumeris dilatari. *Turca.* Quis Turcam hostem, imo canem sæuissimum trans mare adduxit? nónne duorum imperatorum Cōstantinopolitanorum dissidium, quando alter ex Turca quærebat auxilium? (Anno 1380.) Quis præterea tributariam Turcæ Cyprum effecit regum discordia. Quis insuper Turcam Rhodū adduxit? nunquid nō cancellarij istius ambitio, qui magnum nō assequutus erat magistratum? Ita nobis faueat Christus, vt nō hæc quoque dissensio in Vngaria aliquid mōstri alat,

magnum det aliquando malum. Sic dicit Esaias, Tumultuabitur puer contra senem,& ignobilis contra nobilem. Et sequitur, Ruit Hierusalem & Iudas concidit. En hic dissensionem Iudæorum, totius regni miserandum sequitur excidiũ. tanta autem semper fuit inter Iudæos discordia, vt obsidentibus iam Hierosolymam Vespasiano & Tito, dissensiones inter se mutuas sint meditati, authore Iosepho. Eodem planè modo nobis quoque eueniet: quia ante imperij Christiani excidium, tantum discordiarum & bellorum erit inter Christianos, vt vniuersum tandem nostrum corruat pereátque regnũ, id prædicente etiam Christo, Surget gens contra gentem, & regnum contra regnum, bella quoque erunt & seditiones. An non hæc vobis iam appropinquare tempora videntur, de quibus vaticinatus est Christus? Aut quis vnquam vel vidit vel audiuit, in quo tot nationes, proceres, principes, reges, breuiter innumeræ omnis generis hominum congregationes fuerunt conuolutæ & implicitæ, sicut in hoc bello quod per vniuersam annis iam aliquot grassatur Italiam? Sic vtique etiam filij Ammon & Moab, quum inter seipsos seditionem concitarent, corruentes, mutuis quoque trucidati periêre vulneribus. Quid igitur obstat, quin rectissimè dixerit hîc dominus, Omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet? hoc est, vnius dissensionis secta & pars super aliã. Ita Esaias quoque de Hierusalem. Videbitis, inquit. in die illa scissuras ciuitatis Dauid, quia multiplicatæ sunt. Si autem & Sathanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius quia dicitis, in Beelzebub me eiicere dæmonia? sic Oseas etiam ait, diuisum est cor eorum, nunc interibunt. Verùm Sathanas sibiipsi aduersarius non est, quando alius alium in malignitate etiam fortiter adiuuat, non consistit itaque quod vos cogitatis, me in Beelzebub eiicere demonia, Agnoscite itaque & considerate latentem in me diuinam virtutem, in vno illo & indiuiso regno dei.

Esaie. 3. *Lib. 6. c. 1. & 3.* *Matt. 24. Lucæ 21.* *Bellũ Mediolanen.* *2. Pa. 20.* *Esa. 22.* *Oseæ. 10.*

3 Alio iam argumento contra Iudæos vtitur Christus dicens, Filij vestri dæmonia, eiiciunt, nõ tamen in virtute Beelzebub, & ego igitur idem hoc nulla diaboli facio potestate. Sunt qui putent hîc Christum intellexisse exorcistas templi in Hierusalem, qui per nomen dei dæmonia eiiciebant, quod hîc Hieronymus & Beda commemorant. Multa etiam fabulosa extant de exorcismis & adiurationibus regis Salomonis.

Hieronỹ. Beda. *Exorcista*

Ego verò declarationem istam missam hîc facio, quando & mihi nec verisimile videtur, nec fidem magnam facit, potuisse tunc Iudæorum ministros in templis suis eiicere dæmonia. profectò enim si id fecissent, quid opus erat turbas adeò mirari, quòd Christus iam velut nouo miraculo cum suis dæmonia eiiciebat? Quid quòd ipsum etiam Iudæi exprobrassent domino, quòd non ideo filius Dauid esset siue Messias, quoniam alij quoque Iudæi idem hoc possent? Sed & tā obdurata erant ceruice, imo & cæcitate tanta, vt prohibuissent quoque, ne quempiam hominem obsessum Christo adducerent.
Chrysost. Hinc omnino fit, vt persuadear magis accedere alteri senten
Cyrillus. tiæ Chrysostomi, Cyrilli, Hieronymi & Bedæ, dicerémque
Matt. 10. Christum hîc per filios apostolos suos intellexisse, & eos qui in nomine suo eiiciebāt dæmonia. Iam etenim Christus discipulos suos ablegarat, data illis potestate eiiciendi dæmonia:
Luc. 10. vnde & ad ipsum deinceps reuersi, dæmonia iam sibi obedire dicebant. Quanuis & alij quoque, qui nec Christi erant disci-
Luc. 9. puli, nec ipsum sequebantur, dæmonia eiiciebant: sicut & Ioannes ad Christum dicebat, Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illum Iesus, Nolite prohibere, qui enim non est aduersum nos, pro nobis est. De iis iam nunc quoque loquens Christus, dicit, Filij vestri in cuius po-
Chrysosto. testate eiiciunt dæmonia? Perspicis hîc, inquit Chrysostomus quam mitis sit sermo: nō dixit, discipuli mei aut apostoli, sed filij vestri: vt si quidem ad eundem cum illis animi nobilitatem venire velint, magnam hinc opportunitatem atque occa sionem nanciscantur: sin verò id facere recusarét, ecce quam statim pœna sequitur, ipsi iudices vestri erunt, Ij inquā quos nostis, qui è vobis nati sunt, sub vobis educati, dæmonia eiiciunt in nomine meo, non in Beelzebub. Desinite itaque mala hæc cogitare in cordibus vestris. Aut quomodo suspicamini me in Beelzebub pellere dæmonia, cum idem hoc non cogitetis de discipulis meis, qui & ipsi in nomine meo eiiciunt?
Luc. 12. Tantùm abest ergo vt euadatis supplicium, vt cruciatu etiam maiori torquendi sitis discipulorum meorum iudicio.

4 Ecce in tergo statim peccati pœnam, Ipsi iudices vestri erunt: quia enim è vobis nati mihi obediunt, iudices vestri erunt in die nouissimo. Non tantùm sicut Niniuitæ & regi-
Mat. 12. na Saba, sed vt assessores magnifici, iudicabunt & ipsi vniuer-

ſum mundum: iuxta illud domini promiſſum, Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Certum eſt apoſtolos quoque teſtimonium daturos domino aduerſus malignitatem Iudæorum, quoniam ſic de eis ſcribit Eſaias propheta, Verè vos teſtes mei, dicit dominus. & ſicubi illos tanquam ſimplices ex vulgo homines & imperitos contemnere voluiſſent Iudæi, ecce hîc magnificentiam, ampliſsimam dignitatem, & ſplendidiſsimum honorem eorundem dominus aperit, dum iudices eos futuros oſtendit: quod & Paulus declarauit iis verbis, dicens, Iudicabit, id quod ex natura eſt pręputium, legem conſummans, te qui per literam & circuncißionem præuaricator legis es. *Matt. 19.* *Eſa. 43.* *Rom. 2.*

¶ Refutata iam ratione valida aduerſantium Iudæorum cogitatione, ex altera porrò parte concludens dominus ait, Si in digito dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum dei. Per dei digitum non eſt quod aliud intelligas, quàm ſignificationem virtutis & ſpiritus dei: quomodo & malefici Pharaonis dicebant, eſſe hîc digitum dei: hoc eſt, tum potentiæ, tum ſpiritus diuini manifeſtationem. Hinc Matthęus quoque clariùs dicit, Si in ſpiritu dei eiicio dæmonia. Quoniam ſpiritus ſanctus in dæmoniorum expulſione arguitur magnæ eſſe & virtutis & gratiæ. Atque omnino ſicut digito rem aliquã demõſtrare ſolemus, ita virtutem & omnipotentiã dei miracula monſtrant atque arguunt. Habent igitur hæc verba, & continent in ſe grauem quandã non inſtructionem tantùm, ſed & correptionem Iudæorum: quaſi diceret dñs, Quid cogitatis iniquiſsimi in cordibus veſtris, quod in Beelzebub eiiciam dæmonia? digitus hîc dei eſt virtutis diuinæ magna & inſignis manifeſtatio, quã & malefici Pharaonis cognouerũt, & vos cognoſcere erubeſcitis, ſiue contẽnitis? Beda concludit hîc manum & brachiũ dei, filium eſſe: digitũ verò illius, ſpitũ ſanctũ: quoniã ſicut digitis noſtris dona expẽdimus, ita & ſpiritus ſanctæ gratiæ ſuæ munera fidelibus impartitur, vt iam rectiſsimè digitus ille dei vocetur: teſte etiã Paulo ad Corint. ꝏ Poſtremò, manifeſtè Iudæis declarat dominus, quid illis commodi, quid fructus prouenturum eſſet, ſi vera conſtantíque fide crederent Chriſtum in digito dei, ipſóque adeò ſpiritu ſancto eiicere dæmonia, cùm ait, Quia peruenit in vos *Luc. 11.* *Exo. 8.* *Matt. 12.* *Beda.* *Luc. 1.* *Augu. de q. euange.* *1. Cor. 12.*

regnum dei. Regnum illud vtique gratię, regnum fidei, regnū
Luc.17. inquam, euangelicum, imo Christus ipse regnum hoc. scilicet in vos peruenit, regnum istud quod & intra vos est. Cúmque diabolus tanto hactenus tempore regnarit in mundo post lapsum Adę, vsqueadeo etiam vt homines totos obsideret, nunc demum, dæmonia me eiiciente, peruenit vtique in vos regnum dei, dum ille iam per me regnat in bonis, pulso diabolo. peruenit, inquam in vos regnum fidei, vnde regnum acquiratis salutis æternæ. ¶ Vel etiam hoc illo cælorum regno se-
Hierony. ipsum iuxta Hieronymi sententiam significat, de quo in alio loco scriptum est, Regnum dei intra vos est. Vel certè illud
Mar.3. regnum, quod & Ioannes & ipse dominus prædicauerant, pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum Est & tertium regnum scripturæ sanctæ, quod auferetur à Iu
Mat.11. dæis, & tradetur genti facienti fructus eius. Hîc iam videre licet immensam spiritus sancti & ineffabilem maiestatē, cum quo simul in nos peruenit regnum dei. Vbi consideranda nobis proponitur mitissima Christi benignitas, qui quā salutaribus monitis Iudæos perducere conatus est ad fidem, & ne tanta miracula diabolo ferrent accepta. quasi dicere vellet.
Chrysosto. Cur in beatudine vestra tanto mœrore turbamini? cur aduersus vestram salutem arma confertis? Cur miracula quæ in vestrum cōmodum facio, cōtennitis? Ecce si in digito dei eiicio dęmonia, in vos peruenit regnum dei, iam pręsto adest gratia illa dei, quam tātopere tot retro seculis maiores vestri & vos summis votis exoptastis. Itaque contra comodum, salutem & honorem vestrum nolite contendere, nolite malignari, ne sitis ipsi contrarii vobis, iam in vos peruenit regnum dei. Idadeò nobis concedat dominus noster Iesus Christus, Amen.

HOMILIA III.

EIecit dominus dæmonium ex homine, admiratæ sunt turbæ, pharisæi autem non sine contemptu in sinistram partem rapuerunt, suspicantes in Beelzebub eum hoc facere. Suspicationem hanc & malignam cogitationem dominus refutauit, rationibúsque firmissimis reiicit. Primùm, cùm dixit, Quoniam omne regnum in se diuisum desolabitur, ideóque dæmonium vnum alterum non expellit, aliàs dispergeret seipsum.

¶ Deinde ait, Filii quoque vestri dæmonia eiiciunt, non autem in Beelzebub: iniquum est igitur id mihi tribuere. Postre-

mò iam idem hoc tali similitudine refellit, Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Ecce vt radicitus conceptam istam persuasionem ex animis Iudæorum euelleret dominus, & apertissima & aptissima vtitur similitudine. Breuiter, fortem hunc armatum diabolum intelligit cuius arma omnium sunt genera peccatorum, in quibus iste confidit. Atrium suum mundus est vniuersus: qui in maligno positus est totus, hunc iste in pace possedit, sed tyrannorum tantùm more, à prima paradisi irruptione vsque ad aduentum Christi totus enim tunc mundus idololatriæ deditus erat, dempto vnico isto, sed exiguo tamen Iudææ angulo. Idololatria cæteráque innumera quædã vitia, quæ per longum Paulus ad Romanos scribens, recenset, grassabantur in mundo continuè, donec fortior veniret, qui & diabolum ex idolis expulit, & illius potestatem confregit adeò, vt simulacra quoque Gentilium coram Christianis obmutescerent, corruerentque sicut in Vitis apostolorum sanctorum hinc inde legitur. Quis itaque tam cæcus est, qui non iam videat Christum hîc per fortem intelligere diabolum, per fortiorem autem, seipsum? de diaboli fortitudine communis est ille locus Iob. quod non sit potestas super terram quæ comparetur ei. & alibi, Terra data est in manus impii, vultum iudicium eius operit. Quid multa? verè verissimum est quod Abacuc dicit, Totum in hamo subleuauit. Dices autem, Si per fortem hunc intellexit dominus diabolum, quomodo consistit quod sequitur, in pace esse omnia quæ possidet? siquidem verum est illud Esaiæ, dicentis, Non est pax impiis, dicit dominus. Respondeo, pacem non esse impiis, verum est, de pace quæ intrinsecus pacatam reddit conscientiam, cuiusmodi in homine malo non est: sed intelligendo de afflictione externa, certum est, plerunque in maxima pace viuere homines etiam pessimos, dum non est qui vel eis aduersetur, vel malitiam ipsorum impediat: sicut & Esaias dicit, Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Et iterum, vniuersam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam.

1. Ioan. 4. *Rom. 1.* *Iob. 41.9.* *Abacuc. 1.* *Esa. 40.* *Esa. 38.*

2 Fortior autẽ qui superuenit, dominus noster Iesus Christus est, sicut & nos iam diximus, & testatur idem Ioannes, cum ait, Data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret. Nãque cum filius dei factus est homo dominus ille exercituum, tunc statim diabolum superauit, arma ei ademit, ipsúmque

Apocal. 6. *Hierony.*

adeò inferno allegauit & astrinxit, limbum cõfregit, patres inde eripuit: & qui iam paulò antè captiui fuerant, tunc in
Chrysosto. cœlo diuisi sunt per choros angelorum. Vide iam hîc, quam valide cogitationes Iudæorum infringat atque refutet dominus. illi cogitabant Christum in Beelzebub eiicere dæmonia, Christus vicissim probat se, vt potentiorem, dæmonum principé quoque superare & spoliare, vnde potestatem diabolicam nullo modo isti tribuere domino debebant. Quando certum hoc signum est, Messiam ipsum esse, ex eo quod Mat-
Apo. 20. thæus commemorat, ipsum etiam ligare fortem, Luciferum puta, quamuis ille modico tandem adhuc tempore sub Antichristo solutus liberabitur. ¶ Arma porrò fortis istius mali doli & innumera sunt peccatorum genera, à quibus cauere
Rom. 6. nobis nos prudenter monuit Paulus. Non regnet, inquiens, peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius: sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato. Arma hæc dominus illi ademit per gratiam suam, quam nobis in sacramentis communicat: quorum ope & auxilio omnibus insultibus & dolosis tentationibus dia-
1. Ioan. 3. boli queamus resistere: iuxta illud Ioannis, In hoc apparuit filius dei, vt destruat opera diaboli. Non debemus itaque in-
Hieron. quit beatus Hieronymus, esse securi. Aduersarius noster fortis, victoris quoque vocibus, comprobatur. Vicissim tamen hoc quoque solatio esse nobis poterit, quod hostis iste quantumcunque fortis, vincere tamen neminé potest nisi volentem. 3 Arma quoque fortis insuper aufert fortior, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit. Id suprà quoque memoratum est de patribus veteris testamenti, de quibus Pau-
Ephe. 4. lus ait, quod Christus ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Hoc illud est quod in ecclesia catholica spolia distribuit, diabolum profligauit & strauit: & in ecclesia quosdam dedit apostolos, alios prophetas, euangelistas nonnullos, quosdam etiam pastores & doctores. Quid multa? Hoc ipso Iudæos à falsa suspitione adducere voluit dominus, probans se miracula nõ in diaboli facere potestate, quando iis esset viribus, vt ipsum etiam diabolum vinceret ac superaret, tantum abesset, vt vlla eius ope indigeret & auxilio. ¶ Alia iam rursus ratione falsitaté cogitationum, quas Iudei habebant, euincit, dicens. Qui non est mecum, contra me est. Nihil hîc medij vel deo quis sit con-

iunctus oportet, vel contra ipsum. Itaque cũ diabolus & mēbra sua cũ deo non erant, contra eũ fuisse certum est: quando & ipsa diaboli opera operibus dei contraria sunt. diabolus condemnationẽ vult animarum, Christus salutem & liberationẽ: ille prædicat idola, hic vnius dei notitiã: ille trahit ad vitia, hic ad virtutes reuocat. quomodo ergo possunt inter se habere concordiam, quorum opera diuersa sunt? Congregat Christus animas in fœlicitatem æternam, diabolus dispergit in cõdemnationẽ. Quid itaque suspicamini me in Beelzebub eiicere dæmonia, cũ iste mihi in omnibus contrarius, opera quoque mea dispergat. Omnia hæc eò proposuit Christus vt ostenderet inimicitias quæ sibi essent cũ diabolo. ¶ Chrysostomus, vt alij quoque, habet de diabolo intelligit, & insuper tamen ad Iudæos refert, qui Christo semper oduersabantur: qui quicquid ille cõgregabat, dispergere conabantur. Sensus hic in sacrarũ scripturarum regula solidè firmatus est, quoniã illæ interdũ de capite, nõnunquã de mẽbris, aliâs de vtrisque simul loquũtur: atque ideo quãuis hæc verba dominus contra diabolum præcipuẽ dixerit, possunt eadẽ tamen rectẽ intelligi de mẽbris ipsius, hæreticis & schismaticis: qui quando cum Christo non sunt, contra eum esse agnoscuntur, in omni semper discordia dispergentes, iurgia miscentes, seminantes mala: quia nulla omnino hæresis sine dissensione concitatur & seditione & bello: quod ipsi quoque infœlici hoc nostro seculo non sine magno damno experti sumus. Verum hinc quoque redargui possunt, qui neutrales esse cupiunt, & nec pro antiqua sanctæ ecclesiæ, eáque indubitata fide stare, nec Lutheri partibus fauere volunt: quod quam fieri non posit, hîc apertẽ Christus docuit, cum ait, Qui non est mecum, contra me est. De congregatione Christi, qui pacem & vnitatem semper quærit, tota vndique plena est scriptura. Ecce enĩ Dauid dicit, Saluos nos fac dñe, & congrega nos de nationibus vt laudemus nomẽ sanctũ tuũ. Sed & dominus quasi dolenter ait, Quoties volui filios tuos cõgregare, sicut gallina congregat pullos sub alis suis, & noluisti? & in aliis multis locis. Vnde luce clarius cognosci potest, & velut certo quodam argumento discerni, quod hæc illa sit ecclesia catholica, quæ & vnica est & in vnitate viuit. Cõtra quoque id certissimum est, ecclesias hæreticorũ dispersas esse, scissas, sibique ipsis cõtrarias, & in partes ac sectas innumeras diuisas, quamobrem

Hieron. *Chryso.* *Hæretici.* *Neutrales* *Psal. 105.* *Mat. 23.* *Can. 1.* *Ephe. 5.*

& sectæ appellati solent, vt hodie ex Lutheranis prodierunt Capharnaitæ, Parabaptistæ, Pneumatici.

¶ Astutiam diaboli nunc eis proponit dominus, quod nonnulli in vniuersum sic intelligi volunt, quòd hic dominus homines omnes submonitos voluerit, vt sibi à dolis & astu diaboli prospicerent, & expulso illo semel ex cordis habitaculo quod iam hoc tẽpore sacro in multis factũ speramus. ne amplius illi daretur per victoriam tentationum regressus. Sunt rursus qui putant hoc eum peculiariter contra Iudæos

Cirillus. esse locutum, inter quos beatus Ambrosius, In vno, inquit, homine totius Iudaici populi comparatio est, à quo per legem spiritus immundus exierat: sed quia in nationibus & gentibus per fidem Christi requiem reperire non potuit, regressus est ad gentẽ Iudæorũ, factáque sunt posteriora illius prioribus peiora. Factum enim est deinceps, vt (iuxta prophetiam

Dan. 9. Danielis) non fuerit eius populus, qui eum abnegauerat. Vtrunque hunc intellectum verum iudicamus, itaque & sub breuitate libet percurrere.

¶ Beda de quolibet hæretico vel schismatico, vel etiam malo catholico hoc idẽ accipit, è quibus in baptismo spiritus immũdus eiicitur, per passionem diuini nominis & abrenunciationẽ diaboli & pomparum suarum omnium, verum pulsus ille, quærit statim & pulsat vbique, sicubi conscientias inueniat lubricas: & si requiem nullam habere potest, septem sibi spiritus adiungit se longè nequiores, hoc est, tentationes

Infidelium peccata. septem peccatorum mortalium, qua fraude si quem cœperit, fiunt posteriora illius peiora primis. Vnde colligunt quidam Christianorum peccata grauiora esse quàm eorum qui Christi nomen & fidẽ non agnouerunt: quod in specialibus peccatis facilè concedo, in generalibus non perinde admitto. Do etiam hoc tibi, adulterium Christiani fidelis grauius esse peccatum quam Turcæ adulterantis, cæteris saltem paribus. Verùm si Turca non agnoscens nec confitens nomen dei viui & veri, blasphemans contemnet & Christum dñm, & omnes ritus Christianæ fidei, eũ ego sanè magis sceleratum assero, quàm Christianum adulterum, raptorem & potatorem: nisi sic quoque à Christi fide deficiat, & abneget illam, cui melius longè futurum erat, Chriastianum nunquam fuisse:

1. Pete. 2. quomodo intelligi debet illud Petri, Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retror-

ſum conuerti ab eo,quod illis traditũ eſt ſancto mandato.Cõtigit enim eis illud veri prouerbij, Canis reuerſus ad ſuum vomitum,& ſus lota,in volutabro luti.

¶ Egreſſus ergo, imo expulſus, ab homine ſpiritus immundus non ociatur,ſed abit per inaquoſa & arida loca, vndique circumiens & quærens quem deuoret:ſicut Petrus ait, cui reſiſtere nos oportet fortes in fide. Sed & apud Iob ſic inquit Satan ad dominum, Circuiui terram, & perambulaui eam. Inueniens autem loca arida, corda inaquoſa, in quibus aqua nulla eſt,nullus malæ concupiſcentiæ humor & peccatorum affluxus.ſic enim Iudæi quoque per aridam ambulantes euaſerunt,AEgyptij in mediis aquis ſubmerſi perierunt. Neque vllam inueniens requiem, non conſentientibus ſcilicet animabus bonorum hominum in ſuggeſtiones & tentationes diaboli.quia eius habitationem Iob deſcribit in hunc modũ, Sub vmbra dormit, in ſecreto calami,in locis humentibus. Sub vmbra,inquam,hoc eſt, in conſcientiis tenebricoſis: in ſecreto calami,in hypocriſi,vbi præter fucum externum nihil eſt quod lateat intrinſecus, & in locis humentibus impudicitiæ. Horum trium ſi nullũ omnino in piis & ſanctis hominibus inuenit diabolus,ita ſecundum loquitur ipſe, Reuertar in domum vnde exiui.

Pro. 16. 2. Petr. 5. Iob 1. Exo. 14. Iob. 40.

5 Eò veniens,ſtatim hominem illum rurſus tentat. Qui verſiculus,vt ait Beda, timendus eſt nobis, non exponendus, ne culpa,quam in nobis extinctam credebamus. per incuriã nos vacantes,opprimat, Domum illam autem ſcopis purgatam inuenit. quod nonnulli ad externam tantùm boni ſpeciem referunt, quam hypocritæ prætexunt: vnde eos dominus quoque ſepulchris comparauit dealbatis, & intus fœtentibus.ſic Beda & Ambroſius exponunt. Verum alio adhuc ſenſu purgatio quæ ſit ſcopis,in ſcriptura plurunque pœnitẽtiam ſignificat:ſicut Dauid ait. Exercebat & ſcopebam ſpiritum meum. Et Eſaias, Scopabo eam in ſcopa. Ideóque textũ hunc non arbitror eſſe de hypocritis intelligendum, quorum corda aperta ſemper & patentia diaboli ſunt habitacula, qui etiam non aliorum plurium indiget auxilio dæmoniorum. Sed accipiendum vtique hoc totum eſt de quolibet peccatore,qui cum pœnitentiam egit de peccatis ſuis, & ſic animã ſuã expurgauit ſcopis ſacramenti ipſius pœnitẽtiæ, diabolus tamen à feſtis paſchalibus non ceſſans,rediit,ſed animam

Beda. Matt. 13. Beda. Ambro. Pſal. 76. Eſa. 14.

HOMILIA I.

MAnefestaturus iam domin⁹ noster Iesus Christus venerabile sacramentũ altaris corporis & sanguinis sui sanctissimi, quæ nobis in sui memoriam relicturus erat perpetuam, magnum & stupendum prius exibuit miraculum in specie panis, quoniam in eadem sacramentum illud erat instituturus, vt animos audientium permoueret ad credendam sublimem huius sacramenti altitudinem, simúlque non veterum tantùm Iudæorum, sed nostratium quoque Neochristianorum corda pœna & correptione digna argueret. Cùm enim Veteres Capharnaitę & nouelli dicunt hæretici, Quomodo potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum: posse hoc se facere, ipse adeò domin⁹ docet vel hoc admirando miraculo, quando quinque milia hominum quinque satiauit panibus & duobus piscibus: ꝙ si naturam solam cõsidires, vtrunque est impossibile. Verũ apud deum non est impossibile omne verbum. *Ioan. 6.* *Luca 1.*

¶Sed vt ad euangelij textum veniamus, transfretatio hæc domini facta est, cùm iam Ioannes decollat⁹ esset ab Herode tunc enim dicit dominus discipulis suis. Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Ascendẽtes ibi itaque innauim abierũt. Hic sancti patres cõsiderare & expendere solent, quid sibi hoc ipso dominus voluerit, quod apostoli, si persecutionẽ sentirent, fugere deberent de vna ciuitate in aliam: id nimirum, quoniã nos quoq; interdum venenata liuoris & inuidię tela declinare debeam⁹, sicut & dominus fecit: eò quòd maledicos & feros, repugnando magis exasperamus, cedendo autẽ mitigamus facilè, & eorum mollimus in saniã. Ita nãque Christ⁹ quoque, vt Iudæorũ, inuidiã & Herodis effugeret furorẽ, transfretauit mare Galileæ. Mare, inquã non illud magnum Oceani, sed iuxta cõsuetudinem loquændi Iudęorum, cõgregationem quãdam aquarũ, quia stagnũ hoc in longitudine passus habebat vicies mille, in latitudine quinquies mille. An autẽ idẽ fuerit cum stagno isto Genesar, scholis relinquimus. Ptolemæus vnius meminit, similiter & Plinius: sed Solinus duos ponit lacus (adde Nume. caput trigesimumquartum, & primi Machabæorum vndecimũ) Genesar lacus apparet superior sed minor: Tiberiadis inferior, & maior. Tiberiadis nomẽ accepit ab vrbe Tiberiade adiacente, quã Herodes in honorem *Mar. 6.* *Mat. 10.* *Chrysost.* *Ptolema⁹* *Plinius.* *Solinus.*

Li.18.c.2 Tiberij extruxerat, authore Iosepho. Adiacebat & in proximo Bethsaida, quod ex Luca colligitur. sed à regione, in qua etat lacus, dicebatur mare Galilęę, & mysticè significat turbidum & fluctuosum mare huius mundi. 2 Euangelista porrò cõmemorat turbam plurimã secutam esse dominum, puta recipiẽdã gratiam sanitatis & escam spiritalem,
Beda. doctrinam quoq; & refectionem cęlestem, summa (vt Beda inquit) munera Siquidem etiam ex Matthęo constat, quòd audientes turbæ Christũ secessisse in desertum, secutæ sunt
Luc.4. eum ex ciuitatibus. Marc⁹ verò ex omnibus ciuitatibus tur
Ioan.6. bas accurrisse, & ante Christũ trans mare refert venisse. Tanto tenebantur ardore & desiderio salutarem Christi doctrinam audiendi, quanuis nõ idem omnibus erat in illum affectus, quòd alij ipsum ex charitate sequebãtur, alij ob necessitatem, vt infirmi: alij ex pręsumptione quadam temeraria,
Matt.22 nõnulli ex inuidia & cupiditate capiendi eum in sermone atque tradẽdi. Quod nunc quoque in hodiernum diem fieri certum est, vt non omnes ex pietate audiant verbum dei.
Ioan.6. ¶Ecce autẽ ipse quoq; euãgelista rationẽ cur secutæ domi-
Rom.12. num sint turbæ, ostẽdit, quia videbãt signa quæ faciebat super iis qui infirmabãtur. Vnde duo colligũt: alterũ, quòd
1.Cor.12. quanuis fides donũ dei est, esse tamen possunt causæ aliquę externæ, quæ nos ad credendũ moueant, sicut hîc videmus miracula Christi tãtam in hominibus fidem causasse, vt cupidissimè dominum sequerentur. Sed dicetur, cur miracula hęc non æqualiter mouerũt omnes, sed alios fortiter, alios minus, alios nihil omnino? Respondeo, quòd nõ sola miracula in causa fuerũt, vt crederẽt homines, sed ipsa quoq; videntiũ voluntas: quam cumquidã adeò habebant deprauatam, vt ipsa quoq; miracula domini calũniarentur, sicut de
Luc.11. pharisæis die abhinc octauo audiuimus in euangelio, ideo neque crediderunt. (Hoc est, fides non caret suo medio, illud tamen non est sufficiens absque imperio voluntatis.)
Ioan. 4.5 ¶Posterius quòd ex secutis dominũ propter miracula turbis colligitur, est quoniã (cum Ioãnes duo tãtùm totius hu-
Ioan.vlt. ius anni miracula descripserit, de reguli filio, & paralitico) verùm sit illud, quo Ioãnes euãgelium suum cõcludit, multa etiam alia signa fecisse dominum, quę scripta nõ sunt in hoc libro: ea nempe vidit populus, & secutus est ipsum.
3 Narrat euangelista ascendisse Christum cum discipulis

ſuis in mõtem, vt doceret eos quoque, venientẽ ad ſe populum inſpicere, quoniã ſic quoque venturi & feſtinaturi eſſent homines ad prædicationẽ illorum. ¶Erat autẽ proximum paſcha dies feſtus Iudæorum. Vbi quæret forſitã aliquis, quare iam hoc tẽpore à Hieruſalẽ ſeceſſerit dominus, quo Iudæis omnibus venire præceptũ erat in lege. Reſpondetur, mandatũ id quidem fuiſſe, ſed tamen à lege exceptos tum infirmos, tum eos qui inimicitias haberent capitales: ideóque dominũ excuſatum fuiſſe, cui iam mortẽ minabãtur & quotidie intentabant phariſæi. 2 Deinde quoque quanuis dominus venerat legẽ ſpiritualiter implere, tamen eam ad literã ſoluebat, ſicut deinceps & apoſtoli fecerunt in primo ſtatim generali concilio Hieroſolymitano, paulatim ergo legẽ domin⁹ ſoluit, cùm Iudæorũ malitia occaſionem acceperit. ſeruans autẽ legem, hominẽ ſe monſtrat: ſoluens, aliquid vltra hominẽ, deũ verũ: quãuis & hoc animaduertentibus oſtendere voluit, ceſſaſſe figurã vt aduenit veritas. Fuit autẽ hoc paſchale temp⁹ miraculo illi aptiſſimũ, quia cõuiuiũ hoc panarium, typum gerebat ſocroſancti ſacramenti altaris, quod nos adhuc tempore paſchali ſuſcipimus: ſicut eodem Chriſtus inſtituit, authore euãgeliſta per hoc totum caput, vbi grauiſſimè refert Chriſtum de ſacramento loquẽtem. ¶Eleuatis iam hîc oculis, dominus videt multitudinem ad ſe venientem, quę & deſignabat magnam illam hominũ copiã, qui ad confeſſionem fidei & nominis Chriſti venturi eſſent, atque euangelicã veritatẽ ſuſcepturi. Docere voluit hoc etiam dominus, prælatos ſolicitos & anxiè curioſos eſſe debere de neceſſitate ſubditorũ, ſicut & veteres epiſcopos feciſſe, & ipſum quoque Paulũ, certũ, eſt, qui ſolicitus ſubinde fuit de collectis pauperum. Tu quoq; hinc diſce quomodo miſericors dominus oculos ſuos attollit, ſi modo velles ad eum accedere. Cunctis enim ad ſe venire cupientibus gratia miſericordiæ cæleſtis accurrere cõſueuit, omnes clementiſſima volũtate vult ſaluos fieri, dummodo nullum in nobis vitium, nullus maneat defect⁹. Ecce enim hîc dominus in mõte docens diſcipulos arcana vtiq; fidei noſtræ myſteria, non tamen turbæ obliuiſcitur, quam erat admirabili paſcendi modo ſatiaturus. 4 Dicit Philippo, Vnde ememus panes vt manducent ij? Matthæus, Marcus & Lucas ſcribũt diſcipulos veſperi domino dixiſſe,

Matth. 5. *Act. 15.* *Chryſoſt.* *Theophy.* *1. Cor. 16* *Beda.* *1. Tim. 2.* *Mar 6.* *Luc. 6.*

vt fineret homines abire in proximas quasque villas, vbi cibum emerent. Variant quidẽ hic doctores, an idem sit hoc
Chrysost. miraculũ cum illo apud Lucã Chrysostomus enim duo, Au-
August. gustiuus vnum tantùm esse contendit. Ad scolas pertinent hæc, quanuis nõ ita magni sunt momenti. Cur autẽ prę omnibus interrogarit dominus Philippum, causa assignari solet huiusmodi, quod ille in finibus istis natus erat, & homini nibus præ cęteris notus, ideóq; magis etiam quàm alij discipuli misericordia erga turbas mouebat. Sed quia Andreas quoque & Petrus ibidem erant progeniti, alia adhuc causa redditur, cur Philippũ interrogarit dominus, quòd hic nondum cõfirmatus erat animo & intellectu & in reb⁹ diuinis: eruditione itaque adhuc indigebat, sicut & ex ipsius petitio
Ioan. 14. ne patet post cœnam, Domine ostende nobis patrem, scilicet quo ad personã suam. In vniuersum autẽ cõstat, dominum interrogasse prius Philippum, quàm miraculũ hoc tantũ exhiberet, vt illud eò magis claresceret & innotesceret, si per Philippi respõsum defectus argueretur panis: sicut & vini penuriam in nuptiis prius permisit innotescere pluribus, quàm ex aqua vinum faceret. Verùm hæc ipsa Christi interrogatio arguit, quàm ægrè hîc naturaliter licebat panem alicũde habere. Ait enim Vnde ememus panes? quasi diceret, ea sumus rerum & pecuniæ egestate, vt emẽdis etiã non sufficiat panibus. Ideóque & Marcus refert eos dixisse, Ducentis denariis ememus panes. Sunt tamen qui interrogationem hanc ad locum referũt, qui desertus erat totus, ad hæc à villis & oppidulis, vbi cõparari panes poterãt pauló
Coloss. 2. remotior. Vtrũque non malè cõuenit, & pecunię, hîc fuisse & panis defectum. 5 Euangelista quo animo hæc dominus dixerit Philippo, insinuat quia tentans eum. Neque enim interrogauit, vt ignarus quid responderet ille, cùm & omniscius esset ipse, & thesauros scientiæ ac sapiẽtiæ omnes in se habere absconditos. Sed quicquid hoc fuit quod quæsiuit dominus, in cõmodum Philippi & aliorrũ factum est, vt sic attentiùs considerarent miraculum. Quomodo &
Exod. 4 Moysen interrogauit de⁹, quid gestaret in manu: nõ inscius vtique virgã esse: ita hic cum Ppilippo similiter egit dominus, quẽ interrogauit eò maximè domin⁹, vt tarditatẽ ipse
Ebea. fidei suæ cognosceret, & per miraculũ emendaret & castigaret, prouida id totũ dispẽsatione agẽs, quoniã ille nullo

modo dubitare debebat,cõſiderans coram hic adeſſe rerum omnium conditorem,qui & panẽ educit de terra,multò fa ciliùs pauculis panibus multa hominum milia eũdem eſſe ſatiaturum.Sic Philippum Chriſtus tentauit.¶Sed quia ſuſpectum eſt illud tentationis vocabulum, quod pleriq́ue& diabolo tribuitur,& ipſi nos in quotidiana oratione aduerſari,& deprecari ſolemus,dicẽtes,Ne nos inducas in tentationem:ſciendũ eſt, tali tentatione quę prouocat ad malũ, deum neminem tentàre,ſicut Iacobus dicit,Nemo cùm ten tatur,dicat,quoniam à deo tentatur. Adhuc tamen alia ten tatio eſt,velut probatio quædam, qua periculum & experimentũ de aliquo ſumitur:ſic deus tentauit Abraham, an filium ſuũ ſibi immolaturus eſſet : ſic Dauid precatus eſt dominum,Proba me domine,& tenta me. Tentationẽ huiuſmodi ſiue probationẽ,deus facit nõ propter ſe,ſed vel in ip ſius hominis vel aliorũ commodũ.Niſi enim durũ & graue adeò mandatũ Abrahæ dediſſet deus,adhuc nos & fidem illius tãtam & ardentiſſimã erga deum charitatẽ neſciremus. Philippus quoq; hîc reſpõſione ſua iſta, fidei ſuę cognouit infirmitatem, quã deinceps miraculi tam excellẽtis virtute poſſet cõfirmare.Quoniã verò tentauit eum dominus,non quòd ex eo quicquã ſcire cuperet, verba ipſa teſtantur aper tiſſimè·quia ſciebat ille quid eſſet facturus ex ſua virtute di uina.Philippus autẽ potentiam hanc nõ agnoſcẽs,dicebat, Ducentorum denariorũ panes nõ ſufficient . vbi Auguſtin⁹ dicit,Quòd hîc Philippo Ioãnes tribuit,idẽ hoc alios euãgeliſtas in cõmuni de apoſtolis referre,iuxta morẽ ſcripturę, quę loquitur de vno in plurali numero illius multitudinis,cuius eſt pars.Philippus igitur ratus emẽdos eſſe panes, ducentos cõmemorat denarios, quod tãtum fortè pecuniæ habebant, quã Iudas vt diſpenſator ferebat.Nihil omnino omnipotentiam Chriſti attendebat. Chriſtus autem nõ diſpenſatorem ipſum Iudam hîc interrogauit , quia interrogatio hæc in bonũ cedebat diſcipulorum:verùm Iudas iam reprobatus erat totus,nec aliqua in eo ſpes emẽdationis reliqua erat:iuxta illud verbũ Chriſti , Nõnne duodecim vos elegi,& vnus ex vobis diabol⁹ eſt?Philipp⁹ itaq; nõ cognoſcens potentiam Chriſti,interrogauit dominum:qui ſtatim poſtea miraculũ exhibuit,vt fides in eo confirmaretur.De⁹ nobis quoque fidem noſtrã tum augeat,tum confirmet cõ-

Pſal. 103 · *Matth. 6* · *Iaco. 1.* · *Gen. 22.* · *Pſal. 25.* · *Aug.* · *Ioan. 6.*

tra diaboli & hæreticorum omnium insultus, nunc & in hora mortis nostræ, vt ad satietatem peruenire mereamur æternam, vbi edamus & bibamus in regno dei, Amen.

HOMILIA SECVNDA.

Digressus dominus trans mare in desertum, sedebat in monte, docens discipulos, subleuatísque oculis misericordiæ suæ, vidit populum ad se ex ciuitatibus vndique properantem: vesperi tandem misertus est super illum tanto ardore se sequẽtẽ, vt cibi quoq; iam eũ cepisset obliuio: & volens insuper fidem discipulorum erigere ad agnitionẽ diuinæ omnipotentiæ. Interrogauit Philippum, vnde emẽdi essent panes, qũi putauit etiam ducentis denariis coemptos panes non sufficere. Andreas autem dixit, Est puer vnus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Vbi Chrysostomus, Prudentior, inquit, quàm Philippus Andreas, non tamen penitus rem intellexit. nanque credidit ille tantùm posse dominũ panes istos multiplicare, sicut Eliseus viginti panes hordeaceos viri centum multiplicauerat. Verũ in tot hominũ milia tam exiguo pane pascere posse, fidem quoq; suam lõgè superabat: quanuis sunt qui putant Andream tãtundem credidisse ac Philippum: nesciebant enim etiã omnes apostoli credentis populi, cibum non esse venalẽ, sed gratuito à deo donatum, ait Ambrosius. ¶ Quicquid tamen sit hoc, constat vtrunq; illud responsum, plurimũ fecisse ad magnitudinem miraculi, quod alter respondit ducentorum denariorum nõ sufficere panes, alter quinq; illos in tanta hominum multitudine panes quoq; nihil profecturos, quos puer habebat, & ipse vtiq, vel discipulus vel discipulorũ comes.

¶ Dices hîc Christum illis prohibuisse, ne quicquam secum portarent, neq; sacculũ, neq; perã in via: cur itaq; hîc panes secũ acceperant? Respondetur, hoc illis dominũ præcepisse, ad prædicandũ proficiscentibus, & per hoc ex sentẽtia Gregorij declarasse, quòd prędicatoribus omnia sint danda necessaria. Verũ hic à prædicatione redibant iam apostoli, & rursus secuturi dominum ex consuetudine aliquid secũ acceperãt: sicut alio in loco commemoratur, eos fuisse panes oblitos. ¶ Hinc, inquit Chrysost. deliciis dediti intelligant, quid magni illi viri & admirabiles comederint, quàm vilis & modica eorũ mensa fuerit. Intueãtur in omnibus eorum

Chrysost. *4. Reg. 4* *Ambro.* *Mat. 10.* *Gregor.* *Mat. 16.* *Chrysost.*

abstinentiam. Tantùm panes habebãt hordeaceos, cibùm vtique pauperũ,& pisces duos. hic totus erat apparatus. Super hac fidei, quam habebant discipuli, paruitate induci potest infidelitas Iudæorum, clamantium in deserto, Quis poterit nobis dare carnẽ ad vescendum?& apud Dauidẽ, Malè locuti sunt de deo, dixerunt, Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? *Num.11.* *Psal.77.*
2 Iussit deinde dominus discipulis, vt facerent homines discumbere. Innata, ait Cyrillus sibi mansuetudine nec increpat dominus, nec vllo modo reprehendit discipulos tãta pusillanimitate affectos, sed rebus ipsis ad fidem inducit. Facite, inquiens, homines discumbere, & cognoscetis omnipotẽtiam meam in panis istius multiplicatione. Vbi tu cõsidera, quonã pacto ex omnibus mentes erigit,& differentiam demonstrat. siquidem nondũ visis panibus, vt intelligas quæ nõ sunt, sicut ea quæ sunt, ei subdita esse: vt Paulus testatur, Vocans ea quæ non sunt, sicut ea quę sunt. Vide etiã quàm subito apostoli in fide creuerint, quoniam iubẽte domino vt homines facerent discumbere, nõ iam amplius interrogârunt, quid inde futurum esset, quando quod ederetur nõ aderat: sed statim domino paruerunt. Et dum audis quòd apostoli fecerunt homines discumbere, cognosce prælatorũ & eorũ qui in magistratu positi sunt, esse officiũ, ordinationes in ecclesia cõstituere, leges sancire. neq; id laïcorum est, vt & Paulus Corinthiis præcepit, debita ordinatiõe inter ipsos omnia fieri debere. ¶ Commoditatem quoq; sedendi in hoc loco euangelista insinuat, cùm ait, fœnum multum fuisse ibidẽ, idque ex magno regionis illius calore, quo celeriùs omnia maturescunt. neq; enim mirum est, fœnum ibi iam fuisse tẽpore paschali quo frumenta noua offerre etiã in lege pręceperat dominus. Theophy. tamen hîc gramen intelligit. Cogitabant vtiq; ipsi apud se discipuli, quomodo Elias viduæ isti vrceolum olei & vasculũ farinæ benedixisset, vt nil desideraret in victu, donec dominus iterũ pluuiã daret super terram: & sicut Eliseus plurima illa vasa viduæ ipsius prophetæ impleuit, vt debita exsolueret: similiter vt ex viginti panibus homines centum satiasset, remanẽtibus etiam adhuc reliquis. Hinc omnino credebãt apostoli simile quid miraculi operaturũ esse Christũ, cũ homines iuberet discũbere. *Cyrillus.* *Chrysost.* *Rom.4.* *1.Cor.14* *Leuit.23* *Theoph.* *3.Re.17.* *4.Re.4.*
3 Discubuerunt itaque, vt in euangelio sequitur, viri nu

mero quasi quinq; milia. Ita Marcus quoq; & Lucas testantur. Sed Matthæus ait, Manducantiũ fuit numerus quinque milia virorum, exceptis mulieribus & paruulis. Quoties enim, inquit Hieronymus, sacerdotes atque Leuitæ & exercitus vel turbæ pugnantium describuntur, serui & mulieres & paruuli & vulgus ignobile absque numero prætermittitur. ¶Accepto autem dominus pane, gratias egit. Primùm, quòd panes in manus suas accepit, & cum iis miraculũ tantum exhibuit, hæresim infregit Manichæorũ. Hinc & Hieronymus dicit, Audi Marcion, audi Manichæe, quinque panes & duos pisciculos ad se afferri iubet Iesus, vt eos sanctificet atq; multiplicet. Quòd si à diabolo fuissét creaturæ illę corporales, nunquã iis dominus in miraculis suis vsus esset. Accepit autẽ in suas venerabiles manus, vt per hũc contactum virtus operaretur diuina. Matthæus insuper refert eum suspexisse in cælũ, vt maior ei fides daretur, quod non sit contrarius deo, sed cœlitus & à patre venerit. Aspicit in cælum, inquit Hierony. vt illuc oculos dirigendos doceat. ¶Sed qui tandẽ? cùm sanaturus esset paralyticum, cũ resuscitaturus mortuum, cùm maris sedaturus tempestatẽ, non agit gratias, hîc agit, & ita in minori miraculo gratias agit. Respõdet ad hęc Chrysost. vt ostendat ante cibum gratias deo agẽdas, more & pio & laudato: quod veteres quondam Christiani arctissimè obseruârunt, authore & teste homine ethnico Plinio: qui idem hoc in quadam ad Traianũ refert epistola: à quo cõmissum ille habebat de Christianis puniẽdis & vel extremo supplicio afficiendis: & rescripsit Imperatori deinceps, solitos illos cõuenire, carnémq; deo suo dicere, & se sacramẽto obstringere: similiter quoq; ad cibum capiendum cõuenire innoxium. Sic Paulus etiam ad Timotheũ, Omnis, inquit, creatura dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cùm gratiarum actione percipitur sanctificatur enim per verbum dei & orationẽ. Quãuis, prohdolor, mos ille, vt maximè pius erat & Christianis hominibus dignissimus, ita minimè nunc obseruatur, nõ in vulgo tantùm, sed & in ipsis principiũ aulis, sicut & aliæ cõsuetudines bonæ, pleræq; iam sunt intermortuæ: cõtra mores (vt ille ait) mali quasi herba irrigua succreuerũt vberrimè, eorũ licet iam messem metere maximam. Nec desunt tamen ex plebe homines, qui ante cibum vel pauculis verbis affectũ declarant

Mat. 14. Hieron. Hieron. Theoph. Hieron. Chrysost. Plinius. lib. 19. epi. 96. 1. Tim. 4

& animum deo gratum, dicentes, Benedicat nobis domin⁹ noster quicquid appositum est aut apponetur cibi & potus Similiter post cibum. Gratias tibi agimus omnipotẽs ęterne deus, tu quoq; animas defunctorum omnium pascere dignare. Ah quantum esset tantulum saltem præstare hominem, neq; omnino impiũ Turcã effici aut Ethnicũ? Quàm præclarè verò huiusmodi quid principũ quoq; deceret aulas, vbi nunc aulico inuenias, qui si tale quiddam meditaris pium & sanctũ te subsannent & explodant. O secula ô mores! ¶ Aliam adhuc causam Cyrillus reddens, Gratias, inquit, agit partim vt exẽplo se nobis præbeat, partim vt naturæ deitatis, virtutem miraculi sicut homo attribuat. Orauit enim vt homo, nõ vt deus. Et fuit iste modus sibi cõueniẽs, vt more humano ante passionis tempora, dignitatem suæ deitatis occultarẽt, & simul seculi huius principem omnia ista laterent Satis hoc erat Christo. fidem hanc populo persuadere: se verum esse messiam à deo missum: sicut & in resuscitatione Lazari dicebat, Propter populum qui circunstat dixi, vt credant quia tu me misisti. ¶ Tertiam rationem Chrysostomus addit huiusmodi, Quoniam multitudo magna aderat, quam persuaderi oportebat, diuina id fieri volũtate, suspexit itaq; in cælum, gratias agit, panem benedixit, vt sic omnis tolleretur suspicio pharisęorum, miracula tanta authori diabolo attribuentium, ipsumq́; adeò dominum insimulantium velut deo patri cõtrarium. Verùm si quando Christus miraculum solus exercebat, nõ tantùm oratio nis nec gratiarum actionis faciebat, nobis in exemplum, vt nos hinc discamus corã hominibus sanctè exhibere, & nullum inde quęrere illicitum & arrogantem honorem, instar pharisęorum: qui videri tantùm cupiebant coram hominibus: sed ad proximi ædificationem, qui deum immortalem quàm facilè ostẽditur, si ex te boni nil videat, sicq́; te cæteris, non viuere conformẽ in moribus totóq; conuictu aspicit. Sic, inquit dominus, luceat lux vestra corã hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificẽt patrem vestrum qui est in cælis. ¶ Quarta etiam hæc causa esse potest, quia si semper & in omnibus suis miraculis orasset Christus, cogitare quis posset, eũ illa non propria fecisse virtute: ideóq; maxima quęq; miracula sine gratiarum actione fecit, in minoribus tantùm orauit & gratias egit, hoc modo declarans

Cyrillus. *Ioan.* 11. *Chrysost.* *Luc.* 11. *Io* 5 & 7 *Mat.* 6. *Mat.* 5.

se nō necessitate orare:quia si necessariò oratione opus habuisset in paruis miraculis, multò magis in magnis. Et minora itaq; & maxima miracula ille ꝓpria sua fecit virtute.
4 Euangelista Christum distribuisse panes refert, sed apertiùs Matthęus dedisse eum illos iam fractos, ait discipu-
Hieron. lis, qui eos deinceps proposuerint turbis Hieronymus miraculum hoc in ipsa factum putat fractione, ita vt panis ille
Chrysost. quem fregit dominus, fuerit seminariū escæ. Et idcirco ex subiecta quoq; materia operatus est, ne imaginatio quædā existimaretur, contra Iudæos Atq; vt intelligatur eum materia vsum non propter necessitatem, nec quod ea pro fundamento indigeret, sed vt hæreticis silentium imponeret: quamobrem reliquias quoq; voluit esse superfluas, quæ colligerentur. Omnium horum sensum & intellectum mysticum in iustam homiliam differemus. ¶ Similiter, inquit, & ex piscibus quantū volebāt: scilicet turbæ, vt sic pro desiderio suo satis haberent pisciū, ea enim est cœlestis sibi natura, vt cuiq; pro sui palati dispositione sapiat. sic ait Dauid,
Psal.77. Desideriū eorū attulit eis, nō sunt fraudati à desiderio suo. Sicut de māna referunt doctores, quòd magis voluntati cre
Sapien.6. dentis, quàm quisquā alius cibus inseruiat: vnde & Sapiens de eo loquens, sic inquit, Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnem suauitatem. & pauló pòst, Deseruiebat vniuscuiusq; voluntati, ad quod quisq; volebat conuertebatur. Ideóq; qui voluntatis erant peruersæ, illis insipidū erat manna, dicebant enim,
Num.21 Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. bonis autē
Psal. 64. cibus gratissimus erat: iuxta illud Dauidis, Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius. Verùm super hac re aliâs plura, in materia sacramēti. ¶ Quæstio tamen hîc oritur, Cùm auditum sit à principio huius euangelij, panes tantum hordeaceos hîc affuisse, cur nō ex illis triticeum quoq; panem fecerit dominus, sicut in nuptiis ex aqua vinū fecit
Ioan.2. nobilissimū? Sanè ad hoc respōderi potest, quòd in nuptiis aquam in vinum cōuertit optimum, factum id esse ad lætitiam & recreationem conuiuantium: ideóq; meritò vinum illic à Christo ex aqua factū nobile, quò discumbentes alacriores redderentur. Verùm hîc necessariam tantum turbæ egestatem iuuare voluit, quæ contenta erat satísque omni-

no habebat in panibus hordeaceis, quos quisquis edere nõ poterat, famelicus vtiq; non erat. Panis quoque formam in nihilo immutauit, ne vtiq; gulæ deseruire videretur.

¶Postremò, quãdo dictum iam est, miraculum hoc esse factum inter manus domini in ipsa panis fractione, cogitare posses, quomodo id acciderit. Augustinus inquit, ille in manibus suis multiplicauit quinq; panes, qui de paucis granis multiplicat segetes. Panes isti quinq; vt semina fuêre, non tamen in terram proiecta, sed ex iis quæ terra produxerat, multiplicata. Verùm vnde Christus materiam tantæ multitudinis panis crearit ille qui ex sua omnipotẽtia hoc mirabile magnum fecit, dominus omniũ nouit vtiq; in altissima sua sapientia. Legimus in Genesi, deum ex dormientis Adę latere costam desumptam in mulieris formam præparasse, locũq; costæ carnib' impleuisse. Qui itaq; costã in totã muliebris corporis potuit conformare imaginẽ, viuumq; adeò & iustæ magnitudinis habitũ pducere, multò facili' hic potuit ex quinq; panibus tantã satiare hominũ multitudinẽ, vt etiam fragmẽta manerent reliqua. Aut nónne maius est multò, quòd ex nihilo creauit cælũ & terrã, quàm quòd ex quinq; panib' aliquot mille panes faceret? Sed quid hîc vel miremur vel longiùs immoremur? eius potius omnipotentem laudemus misericordiã, qui sanctos suos in æterna felicitate sine omni cibo sustẽtat: in gaudio & exultatione, in lætitia & suauitate: quibus ille nos quoque coniungere & associare dignetur, qui est in secula benedictus, Amen.

Chrysost. *August.* *Gen. 2.* *Gen. 1.*

HOMILIA TERTIA.

QVod alibi in euangelio legitur, dominum dixisse Iudæis, gaudium esse in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente magis, quàm super nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentia: hodie quoque comperitur esse longè verissimum, si enim tantopere gaudent angeli in cælis super vno peccatore pœnitente, quanta erit eorum tum lætitia tum exultatio super tot conuersis & confessis? qui cum paulò antè peccatores fuerint, Luto vitiorum demersi profundissimo, pœnitentia nunc acta, tam sancto ieiuniorum tempore vitam cœperunt viuere sanctam & piam, de quorum conuersione tota hodie exultat, & velut triumphat ecclesia cum filiis suis: quibus, nimirum deo, reconciliatis, gratulatur, proponens nobis in matutinali

Luc. 18. *Exod. 1.*

statim officio liberationē Iudæorum ex captiuitate AEgypti: non autem aliud designat AEgyptus, quàm tenebras, in quibus captiuati omnes seruiunt peccatores durissimā sanè & acerbissimā seruitutem. Verùm ab ea per pœnitentiam & confessionem liberantur. Ideóq; supremus ecclesiæ prælatus pōtifex maximus, hodie rosas benedicit: vnde & dominica hæc rosarum appellatur, à gratissimo vtique odore iis saltem quorum mentes & animæ odorem bonum conceperunt omnium gratiarum & virtutum. Tanta fuit maiorum nostrorum pietas, vt nefas dicerent & piaculum, ante hanc dominicam non confiteri: quòd si vos quoq; faceretis, gaudij tanti támq; immensæ lætitiæ fieritis vtique participes. Verè enim animū habet liberum. quisquis pondus & sarcinam peccatorum per synceram confessionē deposuit. Atq; in huius lætitiæ signum ecclesia hodie missam auspicatur
Esai. 66 illo prophetico, Lætare Hierusalem, ecclesia sancta vel anima fidelis & pia, & conuentū facite omnes qui diligitis eā: gaudete cū ea gaudio vniuersi, qui lugetis super eā, vt sugatis & repleamini ab vbere cōsolationis eius. Hinc sequitur
Psal. 121. Psalmus, Lætatus sum in iis quę dicta sunt mihi, in domum dñi ibimus. Gaudio hoc priuantur quotquot indurati sunt & obstinati, neque dum à peccatis auertūtur, nec confiteri volunt, qui etiam scienter aliquid in confessione tacent. &
Ioan 6. ideo ecclesia ordinauit statuítque euágelium hodie legi de quinque panibus, quibus dominus satiauit turbam, & exhilarauit: eodem nanque modo spiritualiter ille quoque animam tuam pascit, dum cōuerteris ad eum per pœnitentiā:
Ioan. 20. cuius gratia claues etiā post se reliquit in ecclesia, vt sic certum in hoc sacramento signum habeas, per absolutionē sacerdotis peccata tibi remitti. ¶ Cum igitur quinque tantū
Ioan. 6. panes. & duo pisces hîc adessent, accepit illos domin⁹ benedixit, fregit, dedit discipulis, vt ipsi distribuerāt turbæ: qua saturata, iussit rursus fragmēta colligi, ne perirent. Vbi miraculū manifestatum esse euangelista insinuat, dū eos ait esse satiatos: quia inde colligitur, plus panis dominū dedisse turbis, quàm Philippus ducentis denariis empturus erat, vt etiam quisque modicum acciperet. Atq; hîc liberalitas nobis commendatur, & quasi magna voce dicitur, Quāto plura dabis liberaliter atque misericorditer, tanto tibi largiùs
Cyrillus. plura cōfluent. Nā & discipulis dominus pro panibus hor-

deaceis copiosissimam fragmentorum multitudinē largit⁹ est. Ita docemur propter minima que ad gloriam dei cōsumimus, ditissimā nobis à Christo gratiā esse præparatā. Piscium enim reliquię nullæ superfuerunt, inquit Chrisosto. *Chrysost.*

¶ Quæstio hinc emergit, si ad hominum necessitatem hoc factum à domino est miraculum, cur tantum fuit reliquum? Respondet Chrisostomus, superasse quidē fragmenta, verùm ea non fuisse superflua: sed & ideo factū, ne imaginatio vel phantasma esse videretur. Ratio etiā assignari alia potest, quoniā hæc panis multitudo non vitiosa fuerit, sed euidens, maximæ virtutis declaratio, quando quod māsit reliquum, pauperibus erogatur, iuxta illud Nehemiæ, Comedite pinguia & bibite mulsum, & mittite partes iis qui nō pręparauerūt sibi, quia sanct⁹ dies domini est. Apud se quisque cogitet, si multa bona ipsi donet deus, id eo fieri vt ex iis quæ sibi sunt reliqua bene faciat pauperibus, ad remissionē peccatorū suorū, iuxta illud domini, Quod super est date eleemosinā, & omnia munda erunt vobis. Ex illis etiam asseruatis præcipiēte domino reliquiis, discāt patresfamiliâs prouidētiam. Quantum enim sæpe perit in neglecta domo, quod nemini cedit in bonum? quòd si asseruatū daretur pauperi, iuuaret illum plurimum, essētque beneplacitum deo, sicut Dauid ait Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum secuii. Quisquis es itaq; familiæ tuæ studiosus, & de illa solicit⁹, impera idē quod hîc dominus, Colligite fragmēta ne pereant, & date pauperib⁹. Sed quanā, inquit Chrisosto. gratia non dedit turbæ, vt ferrent, sed discipulis? Quòd scilicet hos magis erudiri volebat, qui totius orbis erant futuri magistri, & vt ij omnipotentiæ illius non obliuiscerentur, voluit eos subinde corbium istorum meminisse, quamobrē apud Matthæū quoque exprobrauit eis, dicens. Quid cogitatis inter vos, modicæ fidei, quia panes nō habetis? Nondū intelligitis, neq; recordamini quinque panū & quinque milia hominū, & quot cophinos sumpsistis? quāuis mystico etiam non caret intellectu, sicuti alibi explicabimus. 2 Collegerunt, inquit porrò euangelista, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus. Vnde colligi potest piscium quoque aliquid reliquum māsisse, quāuis non refert. Chrisostomus tamen putat de pisci-

Margin notes: *Chrysost.* (beside "Respondet Chrisostomus"); *Neh. 8* (beside "Nehemiæ"); *Matt. 12* (beside "Quod super"); *Psal. 112* (beside "Dispersit"); *Chrysost.* (beside "inquit Chrisosto."); *Mat. 16.* (beside "Quid cogitatis")

b⁹ nihil superasse, sed plus mihi apparet hoc dignitatē Christi magnificare, si de piscibus etiā aliquid superfuerit. Græcus quidem contextus hîc de piscium reliquiis, nihil habet, neque Vaticanū, quod & permouit forsitā Chrysostomum. Cophinos itaque duodecim reliquiis plenos seruârunt apostoli, arguētes, quatenus nos quoque libenter, sæpe & multā dare debeamus eleemosynam, vt vicissim deus nobis hîc & in futuro retribuat abundāter: iuxta illud Pauli, Qui ad-
2. Cor. 9. ministrat semen seminanti & panem ad manducādum præstabit, & multiplicabit semē vestrū, & augebit incrementa frugum iustitię vestrę. Tu si largiter distribuas pauperibus, & reddet tibi deus abundanter: quia beat⁹ qui intelligit su-
Psal. 40. per egenum & pauperē, siquidē in die mala liberabit eū dominus, sed & qui dat pauperi, nō indigebit. Paulus quoque
Galat. 2. Hierosolymā profectus ad apostolos, discessionis suę mandatum Galatis refert, tātū, vt pauperum memor esset, quod etiam solicitus fuit hoc ipsum facere. Et quanuis toto anno eleemosynas dare opus piū est & salutare, hoc tamen tempore præcipuè: quisquis vel mediocriter per facultates suas potest, debet quotidie aliquid erogare pauperi, missas audire, diligētiùs ieiunare, & abstinere etiam ab iis quę aliâs li-
Tob. 12 cēt. Bona enim est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inue-
Chrysost. nire vitam æternā. ¶ Admiratur hîc Chrysostomus immensam domini sapientiam, quod tantum omnino reliquiarum superfuit, vt cophini adimplerentur duodecim, quod
Theophy. sanè mirari oportet, non tantum quoniam superfuerunt panes, sed etiam quia nec plures, neque pauciores, quàm qui numero pares essent apostolis cophini reliquiarum: vt omnes gestent: & neque Iudas ipse expers, relinquatur. Ideo meritò ex hoc miraculo debebat didicisse, magistrum suum esse deum, & ex hoc profecisse: quanuis etiam hoc propter maliriam eius in condemnationem ipsius cesserit, eū enim qui tātas reliquias fecerat, de quibus & ipse cophinū portauit, prodidit. Aut certè mysticè saltem hoc designare voluit dominus in cophinis, vbi licet ministerium suum nō peregerit Iudas, locum tamen ipsius Matthias suppleuit, sicut &
Psal. 108 Dauid iam olim in spiritu prouiderat, dicens, Episcopatum eius accipiet alter. 3 Miraculum illud tantùm, quomo-

do non velut attonitæ admirentur turbæ? dixerunt enim, Hic est verè propheta qui venturus est in mundum. O gulę (inclamat Chrysostomus) incredibilem auiditatem! Maiora iis miracula & quidē innumera operatus est Iesus, neque hoc vnquam confessi sunt, nisi nunc exsaturati. Nō iam cogitabant ipsum transgredi legem sabbati, obliti erant enim Moysi aduersari, nihil horum curabant iam saturi: propheta ipsis habebatur, imo & regē illum iamiā erant creaturi. O instabilitatē, ô incōstātiam gulæ! Veruntamē verborum illorū primo aspectu sensus facilis est, illos iam hoc miraculo cōfirmatos, plus tribuere Christo, quā cuiuis alteri ex plebe homini: sed & prophetam vocabant eū, quanuis plus quam propheta fuerit. si enim ipse dominus Ioannem plus quàm prophetam appellauit, quantò magis & digniùs hoc de Christo prophetarum omnium domino dici debebit? Pulchrè hoc idem Augustinus explicat, Sicut angelus, inquiens, ab Esaia vocatur dominus, Et vocabitur nomē eius angelus magni consilij, secundum Septuaginta, rex tamen angelorum existit, & hic in prophetia angelus dictus, quòd pręsentem nobis annunciauit salutem: ita etiam, quia futura prædixit nobis infallibili veritate, propheta appellatur. quomodo dixit etiam, Cœlum & terra trāsibunt, verba autem mea non transibunt. Christus autem in quantum filius erat & verbum patris cœlestis, dominus quoque erat angelorum & prophetarum. Et sic intelliges quomodo propheta sit Christus futurorum omnium conscius, simúlque prophetarum dominus. Nanque & secundum animam suam contemplator erat essentiæ diuinæ, vnde & omniscius fuit: non ex visione vel inspiratione, sicut cæteri prophetæ. Prophetam tamen eum appellârunt discipuli quoque illi duo, potentem in verbo & opere coram deo omníque populo.

Matt. 11. *Augu.* *Esaia 9*

Mat. 24.

¶ Attentiùs tamen paulò turbæ huius verba considera habeut enim aliquid in se energiæ, dum non simpliciter prophetam, sed eum qui venturus erat in mundū, insinuant. Eò enim hoc declarare volebant, quanuis ante hunc prophetæ plurimi fuerant, officiū tamen tantùm habebant prophetā illum annunciandi, qui venturus erat in salutē & redēptionem hominum: hic cū iam venisset, vtique meritò prophetarum omniū propheta summus, & erat, & dicebatur Messias ille iā olim in lege promissus, Dixerat enim de illo de-

Luc. 24.

Deut.18. ad Moysen in lege, Suscitabo illis prophetã de medio fratrum suorum, similẽ tui. Sicut ergo legislator antiquæ fuit Moyses, ita succedere illi oportebat prophetã alium nouæ legis authorem: huiusmodi nimirũ prophetã hîc dominũ turbæ confessæ sunt, hunc enim expectabãt, in Christo iam vtique videntes omnem de Messia prophetiã impletã. Atq; ideo alibi discipulos suos domin' interrogauit, Quẽ dicũt
Mat.16. homines esse filiũ hominis? Qui respõderunt, Alij Ioannẽ
Theoph. Baptistam, alij Eliam: nõnulli alium prophetarum, vt testatissimum sit, plebem eum habuisse pro propheta. Postremò pro altera cõclusionis parte, dicẽdum quoque hîc nobis est ex euangelio, ne pusillanimes simus in angustiis & paupertate, neque timidi simus in hospitalitate & cõmunione, sed credamus quòd & si vnum habeamus panem illum multiplicaturus sit, nec vnquam nos in necessitate destituturus. quapropter solicitudinem etiam nimiam prohibuit apud
Matt 6 Matthæũ. quãdo & superflua appetere non rarò incommodat magis, quàm quod prosit. Vt rectè omnino duo hæc si-
Prou. 30. bi dari petierit à domino Sapiens, cùm diceret, Vanitatẽ & verba mendacij lõge facà me, mendacitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tãtũ victui meo necessaria. Id vos quoque petatis à domino deo, quem nunc oremus omnes, &c.

HOMILIA IIII.

Beda. QVi signa, inquit Beda, & miracula domini ac saluatoris rectè cùm legunt vel audiunt, accipiunt: non tam in iis quid foris stupeant attendunt, quàm quid horum ex-
August. emplo intus agere, quid in iis mysticum perpendere debeant, inspiciunt. Eandem regulam Beati Augustini quoque refert, Christum verbo simul & opere docuisse, atque ideo quicquid euangelistæ operum suorum descripsere, nobis accipiendum esse vt certissimè factum sit: & tamen insuper facti illius significationem mysticam, ad eruditionem & instructionem nostram esse considerandam. Quis itaque
Ioan.6 iam dubitet, euangelium hodiernum ad literam ita vt le-
Mat.14. ctum est esse factum, quod concorditer adeò vnanimes o-
Mar.6. mnes descripserunt euangelistæ, quando etiam intellectu
Luc.9. non ita difficile est, quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus satiasse dominum quinque milia hominum. pueris & mulieribus exceptis? Verùm quid hæc sibi historia mysticè velit, quídque ex ea nobis sit colligendum, hoc sanè

non

non ita apertum est omnibus, sed ex aliis aliter deducitur. Nos nõ nostro capiti, verùm ꝓbatissimis sanctorũ patrum sententiis & authoritati innixi, afferemus hui⁹ rei explanatioñe. neque immeritò sic illorũ sequemur authoritatẽ, qui & diuinitùs illuminati, & ab ecclesia deinceps accepti, quęcunq; scripserunt, sacrarum scripturarũ collatione illustrarunt, vt Augusti. Ambros. Beda, &c. ¶Principiò quòd Iudæã egress⁹ est domin⁹, significare potest hoc, quòd Iudęos dereliquit & deseruit, ꝓfectus in Galilæã gentiũ: quas scilicet in ecclesiam suã assumpsit & elegit, cùm idololatriã suã dimitterent, & dominũ sequerentur in fide virtutũ optimarum operatrice. Nõ hìc referre animus est, quomodo mare sit hìc mũd⁹, vbi trãsfretauit domin⁹ in ligno seu nauicula sanctæ crucis in vitã æternã: contenti sumus explicare tantùm, mare Galilææ designare mundũ hunc miseriis & calamitatibus vndiq; plenũ: in quo quicũque grauiter peccãdo offendũt, velut in ꝓfundo natant pisces, nõ attolũt animos suos in altitudiñe cælestiũ gaudiorũ. Quò etiã vox ipsa Galilęę deseruit, quę rotã significat, aut quicquid volubile est: sic enim mũdus homines voluptatibus inuolutos & immersos, velut vertiginosos efficit, vt nequeãt iam ampliùs meditari cælestia. sic Dauid quoq; dicit, In circuitu impij ambulant. Cũ verò iam trãsfretaret per mare hoc dominus, & fluctus voluptatũ mũdi huius infringeret, tribulationẽ simul vinceret & mortẽ: tunc nimirũ secutæ sunt eum turbæ plurimæ, ex vniuerso terrarũ orbe collectæ, euangelicã doctrinam amplexæ sunt, & dixerunt, Domine ad te cõfugi, doce me facere voluntatẽ tuam. Quia post passionẽ Christi, cùm iam apostoli & miracula operarẽtur tãta, & tam salutarem vndique disseminarent doctrinã, secutę sunt illos turbę magnæ, & crediderũt in dominum. ¶Quòd itaq; sedit in monte dominus, hoc designabat, quoniã intelligẽtibus plurima & immensa reuelat mysteria, verùm infirmos iam antè curat, inferius ad radices mõtis, quòd ij cũ variis vitiis & peccatis lãguidi ad altitudinẽ mõtis pertingere nõ possunt, eò, quò innocẽtes manibus & qui mũdo sunt corde tantũ perueniunt. Deinde quòd sublatis oculis dominus venientẽ ad se vidit turbã, argumentũ est immensę misericordiæ illius, quã paratus est occurrere omnib⁹ veniẽtibus ad se: quoniã sicut pater ille filio occurrebat perdito, ita peccatori obuiã

Theop. *Beda.* *Psal.11* *Psal.142* *Act. 5.* *Psal.23* *Luc.15*

venit deus per gratiã & innumera dona sua: modò peccator secum recogitet in corde suo, dicátq; cũ filio prodigo, Ibo ad patrem meũ & dicã, Pater, peccaui in cœlũ & corã te.
August. 2 Panes hordeacei quinque, libros quinque Moysi desi-
Hierony. gnãt: puer qui panes secum fert, Moyses ipse est. Rectè autem hordeacei sunt illi, quia & isti libri veteris sunt testamenti: & sicut hordeũ ægrè ab inuolulo seu palea, qua cõtinetur, diuelli potest, ita veteris quoq; testaméti litera cruda & crassa est, operta sacramentis carnalibus, quę spiritalis intellectus granum cõtegebant. Quanuis referri idem hoc quoque potest ad duritiem legis & mãdatorum veterũ, quã
2.Cor.5 Petrus quoque fatebatur, inquiẽs, Quid tentatis imponere
Act 15. iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neq; parentes nostri portare potuimus? ¶ Granum illud legis intimum apud Iudæos sub velamine corticis latuisse, Paulus quoque testatur, cùm ait, Vsque in hodiernũ diem, cùm legitur Moyses, velamen positũ est super cor eorum. Quando itaq; ignorãtia turbæ sub lege erat, eò faciebat, quòd dominus Philippum interrogauit, ignorãtem adhuc mysteriũ illud magnum, quod facturus erat ipse. Veniens autẽ domi
Matt.27 nus, velamen ademit iis qui conuertebantur: in cuius rei signum, velum templi quoque scissum est in morte Christi.
August. ¶ Porrò pisces duo, ex sententia beati Augustini videntur nobis significare duas illas in veteri testamento sublimes personas, quæ vngebantur ad populum sanctificandum & regendum, sacerdotes & reges. Sacerdos autem & pontifex
Hebr.7 Christus quoque est, vt qui semetipsum obtulerit deo patri sacrificium & hostiam viuam: rex etiam, quoniam ab ipso omnes gubernamur in regno fidei. Beda per pisces duos, geminam intelligit scripturam, psalmorum & prophetarum: quoniam illi canendo, hi loquendo futura prædixerunt.
¶ Panes quinq; fregit & distribuit dominus. Quãdiu puer, hoc est, populus Iudæorum panes quinque, quinque libros Moysi apud se gestauit, non distribuebãtur illi populis gentium, sed nõ intellectos etiã istos penes se seruabãt Iudæi. Verùm quamprimum natus est dominus noster Iesus Christus, panémque accepit simul & fregit, hoc est, intellectum
Luc. 24. aperuit latentẽ, quomodo discipulis duob⁹ in Emaus abeũtibus panem fregisse dicitur, cum inciperet loqui de Moyse & ꝓphetis, explicans quę in iis de se scripta essent, tũc sanè

multiplicati sunt libri Moysi:quia per vniuersum terrarum orbem diffuse explicati,atque ideo apostolis dati,qui deinceps gentibus proponerent:hoc est,quod potestatem dedit apostolis posterísque eorũ librorũ Moysi interpretationem toti mũdo prędicare. Quáuis enim Christus docere incepit euangelium,tamen ij qui illud ex ipso audiebant, profecti prædicauerũt vbique,domino cooperante & sermonẽ confirmante sequentibus signis. Quòd autẽ fœno seu gramini insederunt turbæ,ad homines referendum est,qui carnales sunt:siquidẽ omnis caro fœnum, inquit Esaias. huiusmodi hominibus panis scripturarũ & verbi dei proponendus est, vt aliquãdo carnalem tum intelligentiã tum concupiscẽtiã omittentes,voluptates quoque mundi huius velut herbam quæ iam exaruit,fugiẽtes,corpus iã redigant sub obsequiũ spiritus.Id fit,cùm quinquageni discũbunt, secundum Lucam,hoc est,cùm pœnitentiã agũt,inquit Hieronymus. Et hoc cõtra eos facit,qui bonis tantũ prædicare volũt euãgelium,quò multò magis indigent qui mali sunt,vt cõuertantur:boni verò,vt in bono cœpto perseuerant, & de virtute in virtutem progrediãtur. Neque à Prędicationis officio & diligentia sedulus deterreatur prædicator, si videat multos malos sibi esse auditores,apud quos nihil promoueat:quoniam si vnam saltem animã lucretur prædicatione sua,plus iam lucri habet,quã quotquot in mundo sunt mercatores. Atque hoc illud est quod Christus dixit,sanos nó indigere medico,sed male habẽtes: ideóq; tantũ subinde peccatores veniunt ad dominum.sed & per prophetam idem hoc ipse de se testatùr,dicens, Vt mederer contritos corde,& prædicarem captiuis indulgẽtiam,& clausis apertionem. Neque semper Christus bonos tantũ habuit prædicationis suæ auditores,imo & in magno illo miraculo, decẽ curatis leprosis vnus tantùm rediit ad Christum,qui gratias egit.

Mat.16. *Hierony.* *Esa.40* *Luc.9* *Hierony.* *Matt.9* *Esa.61*

3 Satiatis iam turbis,præcepit dominus apostolis colligere fragmenta,ne perirent. Quæ sunt autem,ait Augustinus illa fragmenta,quæ populus non potuit manducare? Intelligantur ergo quædam secretiora intelligentiæ,quę multitudo non potest capere,ea adseruanda sunt vtique & collecta iis tradẽda,qui alios etiã queant docere:cuiusmodi sunt prælati & doctores: penes illos remaneant pleni cophini fragmẽtis.quia pleraque sunt arcana diuinorũ eloquiorũ,

Luc.17 *Augu.*

quæ vulgi sensus nō capit:nonnulla quę per se quidem minus docti assequi nequeunt,sed à doctoribus exposita mox
Beda. intelligere queūt.Audiāt hoc neochristiani , audiant rudes ex plebe indoctissimo vulgo homines,audiāt vetulæ quoque garrulę,& discant nō ita temerè sacras tractare scripturas,ex quarū lectione arrogantia tantùm & inani fastu inflati,in abyssos errorum cadunt præcipites.Ecce non pręcepit hîc dominus turbis secum auferre reliquias panis,sed apostolis colligere:ex horum cophonis,quòd tibi difficilius & grauius est,tu collige. Discant hinc quoque prælati com missum sibi esse verbum dei distribuendū ex cophinis ple-
Eccle. 24 nis:nō iura ciuilia,non poëtarū illecebras: sed quicquid panis euāgelici reliquū est,turbæ enucleare,explicare,& (quò sibi vitam cōparent æternā) elucidare.Impleuerūt apostoli
Hierony. cophinos duodecim, & vnusquisq; eorum de reliquiis sal-
Beda. uatoris implet cophinū suum,vt habeat vnde postea gentibus cibos præbeat.Omnis itaq; hîc spiritualiū doctorū chorus exprimitur:qui obscura scripturarum, quæ per se turbæ
Galat. 4. nequeūt meditādo colligere,& meditata & mādata literis,
Hebr. 7 suo pariter & turbarum vsui conseruare iubentur. Hoc ipsi
8. & 9 fecêre apostoli & euangelistę,hoc sequaces eorum ecclesiæ toto orbe magistri,etiam integros vtriusq; testamēti libros diligentiori explanatione discutiēdo. Disce hinc errare omnes istos,quotquot nec credere iā, neque tenere quicquā volunt,nisi quod in scripturis Biblicis habetur expressum, Aliter nos hic docemur,panem quidem euangelicū à Christo fractū,nos quoque ꝓponere debere turbis, sed insuper etiam eorū quæ difficiliora sunt fragmenta, ex cophinis illorum qui diuinitùs sunt edocti,nō cótemnere:cuiusmo di sunt Augustin⁹,Dionysius,Cyprianus, Hieronymus,Chrysostomus & alij nōnulli.Ex iis fragmēta scripturarum nos sumere oportet,non ab Arrio,Heluidio,Vuicleff,Luthero, Zuinglio:quibus non commisit dominus colligere fragmenta,quādo nec apostolorū sunt successores, vel ab iis ad
Ioan. 10 hoc munus missi,vt sic scripturam sanctam laniēt. lacerent & reiiciant:vltrò enim se ingerunt,vt fures & latrones,ne-
Facias hic que vera ianua ingrediūtur,quo sic vocarētur ab iis,qui ius
sermonem vocationis & huiusmodi officia missionis debitę haberent.
vt placuerit. 4 Quanuis hîc doctores multum variant super expositione quinque panum & duorū piscium,tamen ex multis sunt

qui referant ad quinq; partes pœnitentiæ, ostendétes etiam quomodo singuli sint frangendi, sicut facit Robertus Anglicus. Nec desunt qui panes illos exponant potissima ista quæ ad vitam Christianã pertinent. S. Bernardus ad statum religiosorũ pertrahit. Rursus sunt alij, qui panes quinq; interpretãtur quinq; rationes siue causas, quibus ad pœnitentiam ꝓmouemur. Alij referũt ad quinque illa, quibus anima nostra pascitur. Postremò sũt qui anagogicè panes istos exponũt quinq; illa, quibus animæ siue spiritus sanctorum satiantur in æterna beatitudine. Ea omnia missa hîc facio, tantùm quæ Ambro. habet, breuiter percensebo. Ex multis circũstantiis cõstat hîc & Matth. 15. nõ vnam atq; eandem esse historiam: quoniã hîc quinque panes, illic sunt septem hîc supra fœnum, illic in terra sedent: hic quinq; milia, illic quatuor tantũ milia satiantur: hîc duodecim cophini, isthic septem solũmodo implentur: vt iam operæpreciũ sit, omnino nõ vnã hanc esse historiã. Ambro. quoq; exactiùs adhuc significationẽ illius explicans, ait, Videtur illa quinq; milia quasi quinq; corporis sensus, adhuc corporalibus proxima accepisse alimenta de Christo. quatuor verò milia, & si adhuc in corpore sint, & in hoc mũdo, qui ex quatuor constat elementis, nõ ociose tamẽ ferũtur mysticè accepisse escam quietis. Numerus enim hic quaternarius, vt ait Hiero. semper in laude ponitur: & quadrangulus lapis non fluctuat, & nõ est instabilis: atq; ob hãc causam etiã euãgelia in eo numero cõsecrata sunt. Quatuor hæc milia satiantur panibus septẽ, cibo nimirũ sancto quietis: quia sic dies septimus requietioni datus est, & omnis hęc vita nostra vicissitudine & cõtinua septem dierũ reuolutione peragitur. Quisquis igitur hîc viuit deo beneplacitus, & panes illos septẽ quiet⁹ & in omni sanctimonia vitę hic mãducat, panem tandẽ octauum in illa quoq; cœna mãducabit, quando æterna fruetur beatitudine, post resurrectionẽ. Atque ideo Matthæus ait, Christũ testimoniũ illis dedisse, quòd triduo secũ sustinuerint, sicut olim Iudæi ꝑfectionẽ triduanã (quæ pœnitentiã designabat perfectam) domino volebãt offerre in deserto.

¶ Id adeò subtiliter quoq; sanct⁹ Ioãnes insinuauit, dũ istorum quinque miliũ panẽ hordeaceũ describit, panẽ vtique horridum, sicut & homines isti duri adhuc erant & minus perfecti Verùm perfectioribus illis quatuor millibus, panis

Bernar. *Ambro.* *Ioan. 6* *Mat. 15.* *Ambro. super Lucam lib. 6* *Hierony.* *Genes. 2* *Luc. 14* *Mat. 15.* *Exo. 5. 8.*

datur mundiſſimus. Carnales quoque iſti fœno inſident, vt qui nõdum penitus voluptates carnis reliquerunt, quatuor milia autem hominũ ſedent in terra, quæ frumenta vinum, & oleum producit, vt inde plus gratiæ diuinæ acquirãt, qui
Mat. 8. ad regnum cœlorum ex quatuor mundi partibus perueniunt: iuxta illam Chriſti vocem, Multi ab oriente & occidente venient & recumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob in regnum cœlorum. Et ſicut hîc apoſtoli panem diuiſerunt turbis, ita deinceps corpus quoque & ſanguinem domini diſtribuerunt. Ad extremum Chriſtus quoque fregit vetus teſtamentum, & reliquias illius atque fragmenta apoſtolis propoſuit, quod in multis locis apud Matthęum oſtenditur de libello repudij, & apud Paulum de duobus filiis Abrahę. De perfectione porrò numeri ſeptenarij plurima ſunt in ſa
Eſai. 11. cris literis argumenta manifeſta, quia ſeptem ſunt dona ſpi
Apo. 5 ritus ſancti, ſeptem gradibus aſcẽditur in templum, ſeptem quoq; ſigillis obmunitus eſt liber dei: quibus omnibus cõſortium adipiſci poſſumus ſpirituum ſeptem, qui ſunt ante faciem throni dei: vbi tãdem cum omnibus ſanctis angelis & electis dei, deum laudemus in ſecula benedictum, Amẽ.

DOMINICA QVINTA QVADRAGESIMAE, QVÆ EADEM ET DOMINICA in Paſſione dicitur, Euangelium, IOANNIS 8.

IN illo tempore, Dixit Ieſus turbæ Iudæorum, & principibus ſacerdotum, Qui ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex deo eſt, verba dei audit. Propte-
1. Ioan. 4 *rea vos non auditis, quia ex deo non eſtis. Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei, Nõnne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Reſpondit Ieſus, Ego dæmonium non habeo, ſed ho-*
Suprà 7. *norifico patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam: eſt qui quærat, & iudicet. Amen amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi, Nunc cognouimus quia dæmoniũ habes, Abraham mortuus eſt, & prophetæ, & tu dicis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in æternum! Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt? & prophetæ mortui ſunt. quem te ipſum facis? Reſpondit Ieſus, Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia deus noſter eſt,*

& non cognouistis eum. Ego autem noui eum. Et si dixero quia nō scio eum, ero similis vobis, mendax: sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit eis Iesus, Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. *Suprà. 7.*

HOMILIA I.

SI quod est euangelium nobis ab ecclesia propositū, quò domini nostri Iesu Christi immensa benignitas innocētia, & summa mansuetudo declaratur, ac vicissim Iudæorum inuidia & malitia extrema ostenditur: hoc vtique est præsens hoc nostrum, atque ideo ab ecclesia sancta per spiritum dei sanctum quoque institutum est, vt illud hodie legatur in dominica, quæ à passione domini nomen sumpsit. Et in hoc animum Iudæorum tum inuidia, tum odio & maleuolentia exacerbatum nobis demonstrat: vnde colligamus, quomodo à verbis ad opera, à calumniis & opprobriis ad verbera, flagella & crucem deniq; deuenerint. Sed quæres hîc initio statim, vnde hęc dominica in passione dicatur, quando die ab hinc decimatertia demum quæ est ipsa parasceues, passus est dominus? ¶Responsionem ad hoc ipse nobis offert euangelij Ioannis contextus. Lazarum enim à morte suscitauit dominus prima die Neomeniæ: deinceps die quartadecima à noua luna manducabant agnum ex præscripto legis: & ea statim nocte captus in monte Oliueti dominus, sequenti die, quæ erat parasceues, mensis illius decimaquinta, crucifixus est. ferias autem agebant ex lege Iudæi in neomeniis, ideóque multi homines ibidem aderāt, quando resuscitauit dominus Lazarum. Quæ etiam ratio est, cur proximè trāsacta feria sexta instituit ecclesia legi in missa debere euangelium istud de Lazaro: quoniam totidem diebus eum ante diem parasceues resuscitauit dominus. Narrat autem euāgelista multos ibidem interfuisse Iudæos, & quosdam abiisse ad pharisæos, eísque denunciasse quæ fecisset Iesus. Hinc sequitur, collegerunt principes & pharisæi concilium, in quo quid cōclusum sit, tandem euangelista indicat, cùm ait, Ab illo die co

Ioan. 11. *Exod. 12.* *Num. 28* *Ioan. 11.*

gitauerunt vt interficerent eum. Atq; ideo iam nō amplius palàm ambulabat dominus apud Iudæos. sed abiit in regionem iuxta derſertum, in ciuitatem quę dicitur Ephrē. Quando itaq; prima die neomenię reſuſcitatus eſt à domino Lazarus, qua die phariſæi quoq; & ſummi ſacerdotes, vt ſe ſanctificarent ad imminēs feſtum paſchæ, vndique proficiſce-

Exo. 40. bantur Hieroſolymam, ſicut in Exodo præceptum erat, &

Ioan. 11. de cæteris etiam Iudæis euāgeliſta commemorat: ea quoq; ipſa die fama peruenit Hieroſolymam, quoniam inde duobus tārùm miliarib⁹ diſtabat Bethania: ſtatim illo ſabbato inito cōcilio, conſultârunt de morte Chriſti. Quo nomine heri quoque in veſperis erecto crucis vexillo . eccleſia cæpit paſſionem Chriſti meditari . Eòque magis euangelium hoc hodie proponit, quo declaratur, quàm attrociter, odioſè & impiè dominum tracterent Iudæi. Nos itaque nunc textum illius in manus aſſumamus & explicemus.

1 Primum nominum dixit ille Iudæis, Quis ex vobis arguet me de peccato? Penſate, inquit Gregorius, chariſsimi,

Greg. r. immenſam Chriſti benignitatē : peccata venerat relaxare, & tamē dicit, Quis ex vobis arguet me de peccato? Nō dedignatur ex ratione oſtendere ſe peccatorem non eſſe, qui

Ioan. 1. ex virtute diuinitatis poterat peccatores iuſtificare. Ad hoc autem dicendum quid mouerit dominum, aſſignari principiò poteſt, quoniam quęrentibus iam Iudæis ipſum interficere, ſicut ipſe eis in eodem hoc capite exprobrauit, verbis illis oſtendere voluerit, quicquid molirentur & pararent iſti, id omne facere eos nec amore, nec zelo iuſtitiæ, ſed mera quadam malignitate: quando ne inſimulare quidem ipſum alicuius poſſent peccati. Alia ratio huic non diſſimilis dari poteſt, Iactantibus Iudæis filios ſe eſſe Abrahæ, cū dominus illis diceret, Vos ex patre diabolo eſtis: iam nūc declarare vult iis verbis, eos de ipſo dicere ſimiliter nō poſſe: vt ſic immeritò eum odio proſequerētur : quaſi diceret, Si

Theoph. dei eſtis filij, vtique peccantem debetis odio habere. Me verò quando odio perſequimini, nec tamē de peccato arguere poteſtis, nō vtique eſtis filij dei, vt iactatis. Itaque ob veritatem tantùm me odio habetis. Recogita autē hîc tu pec-

Rom. 5. cator, imo nos omnes homines, dempta Maria, quòd nemo

Eph. 2. in veritate dicere poteſt. Quis me arguet de peccato? quoniam omnes peccauimus, & egemus gloria dei. Atq; adeò

natura eramus filij iræ,ficut & alij: vt fi diceremꝰ nos pecca *1. Ioan. 1.*
tum nō habere, feduceremus nos ípfos, & veritas in nobis
non effet. Solus hic dominus nofter Iefus Chriftus eft, qui *1. Pet. 2.*
peccatum nō fecit,nec inuētus eft dolus in ore eius:ideóq;
feriò dicere potuit Iudæis,Quis ex vobis arguet me de pec *Origen.*
cato?Et fi de peccato nullo accufare poteftis,quomodo mi
hi mortem intentabitis?Quando peccati nullius fcitis con
fcium,& ego tamē veritatem dico vobis, quare non credi-
tis mihi?Veritatem autē annunciaffe Chriftum Malachias *Mala. 2.*
quoq; teftatur,cùm ait,Lex veritatis fuit in ore eius,& ini-
quitas non eft inuenta in labiis eius.In pace & in æquitate
ambulauit mecum,& multos auertit ab iniquitate.

2 Quàm pulchrè iam ex illo quod nō crederent ipfi, cō-
cludit dominus aduerfus Iudæos,inquiens.Qui ex deo eft, *Gregor.*
verba dei audit:propterea vos non auditis, quia ex deo nō
eftis. Terribile valde eft,ait Gregorius,quod fequitur, ideo
vos non auditis.Penfet ergo apud fe vnufquifque veftrum,
fi hæc vox dei in cordis eius aure cōualuit,& quia iā ex deo
fit agnofcit.Ecquid in fe verba dei continent,appeti vitam
æternā,concupifcentias malas conteri debere,honores mū
di cōtemni & refpui,& aliena non cōcupifci,fed & propria
bona cum gaudio & hilaritate diftribui?Hæc in cuiufcunq;
animo & corde firmiter hærent:& qui de iis libenter audit
dici,agnofcit quia ex deo eft,dummodo opere quoq; & fa-
cto illa adimpleat:quoniam multi funt qui libenter & cum
lachrymis fufcipiunt verbū dei, fed ftatim rurfus ad vomi-
tum redeunt peccatorū.Ifti autem verbum dei nō audiunt,
qui illud opere excercere differūt:ficut in euāgelio auditis *Luc. 8.*
femen non in vnā terrā cadere,fed partim in fpinas, patim *Gregor.*
in petram,partim ad viam & femitam. Dicit itaq; Gregor.
Reuocate frates vitam veftrā ad oculos mentis, & alta con
fideratione verba diuinę veritatis timete. Ideo vos nō au- *Ezech. 3.*
ditis,quia ex deo nō eftis.Sic ad Ezechielē quoq; dixit do-
minꝰ,Domꝰ Ifraël noluit audire te,quia nolūt audire me.
Ecce contumeliā quoq; fuam reputat deus,fi tu prædicato-
res ipfius audire contēnis,fi verbū illius non amas.Vt nunc
miferè agitur circa verbi dei prædicationē, neochriftiani
iam multum gloriātur,& fuos nobis iactant prædicatores,
multis modis eos cōmendant :qui tamen calumniātur ma
gis,& vituperent cæremonias omnes,pias ordinationes, fa

cramenta, opera bona, imo & ipsos sanctos dei in cælo,
Esa.30. Neq; immeritò eos laudāt ipsi, cùm & ipsi sint huiusmodi, quales in Esaia leguntur esse qui dicunt, Nolite nobis aspicere quæ recta sunt loquimini nobis placētia, videre nobis errores, auferte à me vitam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israël. Diligentiùs attende & cōsidera, loca, in quibus non sustinere iā volunt viam sibi prædicari salutis ęternę: an non ita agantur omnia? an non ita sæuiant isti, qui sanctos è cælo, sacramēta & imagines ea templis deturbare conātur? Sed hæc aliâs. ¶ Qui ex deo est, inquit dominus, scilicet natus per fidem, bonorum operum operatricem, qui à deo prędestinatus est ad vitam ęternam, is sanè verbum dei sanctum audit: neque sonū illius tātúm
Iaco.1. & vocem, sed cum consensu etiam & obedientia: sicut alibi beatos quoq; dominus pronunciat, audiunt verbum dei, & custodiunt illud. Sic Iacobus, Estote, inquit, factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos. Atque hoc dictum Christi diligēter attendentes doctores sancti, collegerunt inde, verbum dei audire libenter certum esse prædestinationis argumentum ad vitam æternam. Contra etiam quicunque verbum dei nec curant, neque audire magnifaciunt, sed vel ad conciones sacras non veniūt, vel inde sine graui causa statim abeūt, eos à deo reiectos esse ī perpetuū.

3 Dixerunt Iudęi, Nónne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & demonium habes? Quando nullum iam pec-
Iob.25. catum Iudæi poterāt obiicere Christo, quia vt Iob ait, Non potest iustificari homo comparatus deo atq; ideo quanuis
Esa.5. deus in veteri quoque testamēto ius dixit homini, sicut per
Esa.43. Esaiā dicit, Habitatores Hierusalem, iudicate inter me & vineam meam. Et in vniuersum ad peccatorē ait, Reduc me in memoriam & iustificemur simul: narra si quid habes vt
Psal.50. iustificeris: semper tamē penes deum tanquam summū bonum sententia est: iuxta illud Dauidis, Tibi soli peccaui, & malum corā te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cū iudicaris, Non desinunt tamen furere & insanire hîc
Iob 21. Iudæi, sed blasphemias moliūtur, dum peccatū nullū exprobrare domino possunt. Quis enim arguet corā eo vias ei*? ¶ Ecce doctoris est vitā viuere inculpatam: proximum, doctrinam quoque habére sine vitio. ex vtroque illo Christus hîc optimū se profitetur magistrum, de vita nāque sua ait,

Quis ex vobis arguet me de peccato? Quo ad alterũ, si veri *Ioan.8.*
tatem dico vobis, quare vos non creditis mihi? Cõtra vtrũ-
que quando afferre nihil poterant Iudæi calumnias tantũ
intendunt aduersus vitę sanctimoniam, Samaritanũ ipsum
vocant: contra veritatem doctrinæ, clamitãt eum dæmoniũ
habere. Primum Samaritanum nominant, hominem impu
rum, neque fidei rectæ, cuiusmodi nunc quoq; temporibus
nostris cõperiũtur: quoniam Samaritani tantũ libros quin *Samarita*
que Moysi & prophetas recipiebant, cæteros nequaquam. *ni dicti.*
Et ij sunt quos Cuthæos vocat Iosephus, erátque perpetuũ *Cuthæi à*
odiũ inter eos alióśq; Iudæos Rationes autẽ tres assignant *Iosepho.*
doctores, cur eum Samaritanum appellarint, & rectè quidẽ *Lib.9.*
hîc Chrysostomus ex hoc loco intelligi dicit, Iudęos etiam *antiqu.*
sæpi⁹ eo in Iesum vsos vocabulo, quãuis nõ meminerit ad *cap.1.*
huc euãgelista Samaritanũ Iesum ab ipsis vocatũ. nanq; cũ *Chrysost.*
dicunt, Nõne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, in
sinuãt se vtiq; & sæpius & meritò dominum Samaritanum *Ioan.8.*
dicere. Ex rationibus verò, prima hæc est, quod apud Sama
ritanos fuerat, illóśq; docuerat. Secunda, quia in parabola *Ioan.4.*
Samaritanum laudauerat magis, quàm vel sacerdotem, vel *Luc.10.*
Leuitam. Tertia, quoniam Samaritanũ illum solum gratũ *Luc.17.*
commendarat præ cæteris nouem leprosis, quorum nullus
ad dñm redierat gratias acturus. Præcipuè quoq; eò Sama-
ritanũ vocabant, quòd dominus ex eorũ sentẽtia & iudicio
legem nec totam nec constanter satis seruaret, sicut Sama-
ritani. Quamobrẽ toties Moysen adducebãt cõtra eũ, apud
Ioannẽ etiã clamabãt, Nõ est hic homo à deo, qui sabbatũ *Ioã 5.6.7*
nõ custodit. Postremò dñm calumniãtur, quasi qui dæmo- *Ioan.9.*
niũ habeat. Ecce qui ipsi erãt demoniis pleni, ex patre etiã
diabolo nati, benedictũ in secula dominum nostrũ insimu
labant dæmoniũ habere. Qui diabolo potẽter imperat, ip-
sumq; adeò ex hominibus expellit, pro dæmoniaco accusa
tur. An nõ hæc Iudæorũ insignis tũ impietas est tũ malitia?
Dæmones ipsi Iesum dñm suũ esse fatẽtur, & Iudæi negãt, *Matth 8*
dęmoniũ ipsum habere clamãres. Gesaraseni isti duo clama *Marc.5.*
bãt ad dñm, Quid nobis & tibi Iesu fili Dauid? quid veni-
sti ãte tẽp⁹ torquere nos? Similiter & dæmoniac⁹ ille apud *Luc.4.*
Lucã dicebat, Sine. quid nobis & tibi Iesu Nazarene? veni
sti pdere nos? Scio te qui sis sanct⁹ dei. Vsq; adeò dęmonio
magis impij lõgeq; sceleratiores erãt Iudæi. Et quia dæmo

nium habere dominum insimulabant, faciebant duplici de causa: primùm, ob sublimitatem suæ doctrinæ, quoniã multa eis referebat de deo patre occulta illis & latentia, intellectúmque eorum longè superantia, & quòd de cælo descendisset, quòd carnẽ suam eis daturus esset mãducandam. Deinde, quia videbant tanta ipsum operari miracula faciliùs fiebat vt dæmonium ipsum habere dicerent, sicut alibi expellente eo dæmonium, dicebant in Beelzebub hoc ipsum facere Theophylactus quoque refert Iudæos cùm viderent Christum cogitationes sibi suas toties manifestare, id tribuere dæmonio, quod tamen opus est soli deo proprium.

Ioan. 6. *Mat. 12.*

Et hîc Augustinus solicitè considerare nos admonet, vt ipsi quoque patientes simus, vidẽtes nos Christum habere virtutem & maiestatem dei immensam, & quãdo quilibet homo potens esse cupit, nos quoq; imitari debemus ante omnia patientiam Christi, si potentiæ illius volumus esse participes. An quis nostrum sustineat patienter, si sibi dicatur, quod dæmonium habeat? quod tamen ei dictum est, qui & homines saluat, & dæmoniis imperat. Dominus noster Iesus Christus per meritum amarissimæ suæ passionis & mortis, nobis gratiam suam concedere dignetur, qua suffragante, in prosperitate non efferamur, & in aduersis simus patientes: atque in ea ipsa patiẽtia possidẽtes animas nostras, vita tandem perfruamur æterna, Amen.

Luc. 11. *Mat. 9.* *Marc. 2.* *Luc. 11.*

HOMILIA II.

Ecclesia.

Dominica septuagesimæ, qua ex more ecclesiæ sanctæ interceptum fuit Alleluia, audistis dilectissimi in Christo, quomodo ecclesia ordinauit dominicas septem continuas ante hanc hodiernam de passione & morte domini. Priores illas quibus & Bacchanalia festa peregistis, volens prætermitto: quoniam iis carnis operibus magis quàm spiritui vacastis, quæ deinceps secutæ sunt, eas paucis ad animum reuocare lubet. Prima enim quadragesimæ dominica ecclesia nobis Christi ob oculos posuit ieiunium, vt illius exemplo nos quoque ieiunare moueret. Secunda, exemplũ nobis statuit mulierem istam Chananæam, quę nos doceat sedulò, constanter & perseueranter simulátque humiliter pro nobis nostrísque orare deum. Tertia verò dominica euangelij lectione declaratum est, quomodo Christus dæmonium eiecerit mutum, quo obsessus qui prius mutus erat

Mat. 4. *Mat. 15.*

loqui cœpit. Vnde doceantur ignaui & tardi; vt confiteantur *Luc.*
peccata sua,& dæmonium mutum quo occupantur, eiiciãt
per pœnitentiam:& sic loqui incipiant,confitentes peccata
sua Dominica porrò quæ media est in Quadragesima, con
solatur ecclesia filios suos iam confessos, vt lætentur, eò
quòd deus eos pascere velit gratia sua & virtute diuina. Et
ne qui iam tunc bene cœperunt,subitò nunc à bono propo
sito resiliant,vexilla passionis dominicæ,erigit,velut excla-
mans iam ecclesia cum sancto Bernardo, Si Christus tanta *Bernard.*
patitur pro alienis peccatis, quanta nos patiemur pro pro-
priis,Deinde vt gratiæ quoq; diuinæ efficiamur participes·
quoniam opera nostra,ieiunia, eleemosynæ pœnitentia &
confessio,nihil omnino profutura sunt,nisi virtutem & ef-
ficaciam omnem haberent ex passione Christi,qui dixit,Si *Ian.19.*
ne me nihil potestis facere. Imo & sacramenta omnia, ip-
sumq; adeò sanctum missæ sacrificium,omne meritũ suũ &
virtutẽ omnẽ,habẽt à Christo.Proponit etiã ecclesia hîc in
euãgelio nobis, quõ Iudæi persequuti sunt & contempsẽre
dominũ,quẽ & Samaritanũ appellárunt,& dæmoniũ habe
re dixerũt. Sed ad hęc omnia mitissimam Christi audite &
mansuetissimã responsionem.Ego enim, inquit, dæmoniũ
nõ habeo,sed honorifico patrem meum. Ecce hîc domin⁹,
quãuis duo sibi à Iudæis obiecta erant,alterũ tantùm refu-
tat:ad primũ nihil respondet,neque id vtique frustrà.Nan-
que & Augustinus idipsum obseruans, dicit, Samaritanum *August.*
se non negauit Christus,nõ temerè hoc fratres. Samaritan⁹
enim interpretatur custos,sicut & Christ⁹ vniuersę ecclesiæ *Psal.120*
est custos,iuxta illud Dauidis,Nõ dormitabit neq; dormiet *Psal.126*
qui custodit Israël.& in alio loco,Nisi dominus custodierit
ciuitatem,frustra vigilat qui custodit eã.Christus itaq; de⁹,
noster cõditor,redemptor,custos etiam est& Samaritanus.
Quod in illa parabola euangelica idẽ ille dominus docuit,
quando Adam à Hierusalem descendit in Hierico,& in via
in latrones ,plapsus diabolos,spoliatus est ab ipsis & priua-
tus gratia sancta dei,vulnerat⁹ insuper in donis naturalib⁹.
Quẽ nec sacerdos Mosaïcus iuuare poterat, neque prophe
tæ donec Samaritanus ille veniret Christ⁹ dominus, qui il-
lum deniq; imposuit iumento suo gratiæ suę diuinę,vel su
per crucẽ passionis suæ, & in ecclesiam sanctam detulit, at-
que ideo Samaritanũ appellari se passus est. Quanuis & ra-

Psal. 117 tio illa reddi potest, quod Christus, cũ lapis ille esset angularis, qui faceret vtraque vnum, qui Iudæos simul & Gentes in vnam adduceret fidei atq; ecclesiæ communionẽ excludere se noluit à Samaritanis. ¶Causam nonnulli tertiam assignant huiusmodi, qm̃ Iudæis omnibus constabat, Christum natum esse Iudęum, ideóque opus non erat, apertũ adeò & manifestũ mendaciũ refutare, c. nónne. de præsumptio. ¶Calumnia altera, quòd dicebant dæmonium eum habere perinde erat iniqua, atque ideo & paucis & mitissimis verbis ad ipsam respondit dominus, inquiens Ego dæmomoniũ nõ habeo. Quibus verbis, ait Gregorius, quid aliud nisi superbia nostra cõfunditur, quæ si exagitata vel leuiter fuerit, atrociores iniurias reddit quã acceperit? Hîc quãuis dicere poterat dominus, Vos ipsi dęmoniũ habetis, id tamẽ noluit facere, vt nos sic doceret, si quando contemptũ & calumnias sustinemus, pro necessitate nostra tantũ vti respõdeamus, famam nostram & nomẽ bonũ defensuri: iuxta illud Sapientis. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quã mille thesauri preciosi & magni. Quãuis etiã bona nobis sufficeret conscientia, tamen & fama bona necessaria est propter ꝓximũ. Hinc liquet, famæ nostræ integritatẽ tueri nos posse, nunquã verò licere contrà calumniari: quod quàm nunc est in vsu, tam iniquũ est & impium, siue iustam tu habeas causam, siue iniustam, nisi fortè id facias amore & causa reipublicæ. An quid aliud hîc nobis innuitur, nisi vt eo tẽpore quo à proximis ex falsitate contumelias accipimus, eorum etiã vera mala taceamus, ne ministeriũ iustæ correptionis in arma vertamus furoris? ne itaque tu ab alio etiam fur increpatus, illum rursus increpa contumeliosè latrõnem, siquidem id ciuilibus etiam cautũ est legibus, l. eum qui nocentem. ff. de iniur. & lib. fa.

Gregor.

Eccle. 41.

Prou. 22.

Gregor.

2 Pulchrè hîc expendit beatus Chrysostomus, qđ Christus cũ habere dæmoniũ insimulatur, lenissimũ se exhibet, & mansuetudine vtitur. Et paulò antè in eodem capite reprehendit eos acriter adeò & plurimis verbis, quãdò filios nunc Abrahæ se esse iactarent Hinc discendum nobis proponitur, vt & ipsi si quando res nostra agitur, simus modestiores: sin verò honor & gloria dei vertatur, ibi verò vel maximè seriò agamus. Simili exemplo quomodo & qualẽ in tentatione diaboli se gesserit dominus, require in domi-

Chrysost.
Ioan. 8.
Mat. 4.
Ioan. 8.

nica prima quadragesimæ. Rationem iam porrò subiungit dominus, dicens, Quoniam ego honorifico patrem, & vos inhonorastis me. quasi diceret, Nō magni istas vestras facio calumnias: tantùm gloriam dei quæro, atque ideo frustra me insimulatis, quasi contrarius sim & repugnem deo patri. Atque interim vos adeò resistitis, & eundem patrem vestrum affirmare non dubitatis. Deo autem in hoc repugnatis, quod me inhonoratis. Quisquis enim apostolos & ministros dei contemnit, deum ipsum contemnit: sicut ipse discipulis dixit dominus, Qui vos spernit, me spernit, & qui vos audit me audit. Sed & in die nouissimo dicturus est, Quicquid minimo ex meis illis fecistis, mihi fecistis. Hîc iam dominus excusationis suæ causam esse docet, non mūdanæ gloriæ cupiditatem, dum suam se gloriam non quærere insinuat, neo honoris appetentem se esse confirmat, sicut superbi & arrogantes facere solebant Iudæi, de quibus euangelista dixit, Dilexerunt gloriam hominum magis quàm gloriam dei. Non autem sic honorem priuatum quærebat dominus, cuius etiam exemplum ille, nō malus vtiq; optimi magistri discipulus Paulus imitatus, Mihi, inquit, absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Multa hîc dici possent de fastu, superbia & ambitiōe quorundā, quibus nunc totus pene abundat mundus, quorum iniquitas eò vsque peruenit, vt in pessimis etiam rebus glorientur, atque adeò exultent cùm malè fecerint. Christus non honorem suum, sed gloriam quærit dei, cui soli honor & gloria, vt ait Paulus. Cōtrà autem faciant homines, qui omissa gloria diuina, suam rantùm quærunt, opere vtique diabolico, quoniam tentator iste sicubi aliâs, hîc sanè diligentissimus est, vt quacunq; via gloriam dei imminuat, suā verò astruat, quod in idolis Gentiliū fecisse cernitur, & nunc rursus attētare idē incipit in Neochristianis istis, qui cultū dei omnem neglectui & contemptui habēt, qui authorē & suasorem sequentes diabolum, Missę sacrificium, horas septē, processiones, Litanias, & quicquid canticorum est & pietatis, tollunt, & pro omnibus illis furibūda Bacchanalia, omne genus insaniæ, conuiuia, ebrietates & pompas exercent, idq; diligentiùs, quàm omnibus retro sit factum seculis.

Luc. 10.

Mat. 25.

Ioan. 12.

Galat. 6.

Prou. 2.

1. Tim. 1

3 Dices, An ne gloriam Christus nulllā habet, dum nullam quærit? Id refutans & sibi quoque gloriam esse demō-

Ioan.8. ſtrans, cõſequẽter dicit, Eſt qui quærat & iudicet. Vox hæc electorum omnium eſt, qui gloriam nullã quærũt, ſed deus tamen eorum loco quęrit. Ecce, Petrum tibi piſcatorẽ propone & Paulum apoſtolum. quid vnquam mũdanæ gloriæ quæſierunt? nónne cum Chriſto illud ſemper dixerunt, Eſt qui quærat & iudicet, deus ille pater cæleſtis? Et ecce in maiori adhuc hodie illi ſunt honore, quã omnes iſti quotquot tũc glorioſi hominib' vixerũt, & maximi habiti ſunt. Aut quid potuit inuenire imperator, quod non potuit inuenire piſcator? Imperatorũ, conſulum, & virorũ fortium, qui orbẽ armis domuerunt & ſubiugauerũt, ſepulchra ſunt Romæ. At quantò plures Romam profecti ſunt, qui ſepulchra Petri & Pauli inuiſerent, quàm qui pulueres & cineres Iulij, Auguſti aut Neronis viderent, eorúmque marmora

Iulius. & corroſa vetuſtate epitaphia? Quî ſic? quoniam Iulius vt erat arrogantiſſimus, ita primas vbique tenere voluit, nulli que cedere. Vnde & cũ oppidũ quoddã aliquãdo pertranſiret, interrogat' à quodã ex ſuo comitatu, an in eo quoq; de principatu eſſent diſſidia, reſpondit, malle ſe hîc primũ, quàm Romę eſſe ſecundum. Itaque cũ priuatæ gloriæ fuerit appetẽtiſſimus, quicquid omnino habuit, tum honoris, tum maieſtatis, præteriit vt vmbra. Id Chriſtus quoq; notauit, dicẽs Iudęis, Quomodo vos poteſtis credere qui gloriã ab inuicem accipitis, & gloriã quæ à ſolo deo eſt non quæ-

Ioan.5. ritis? Iulius ergo quãdo infidelis fuit, in eadem ſua infidelitate periit, & nunc flãmas ſuſtinet gehennæ. Cõtra autẽ Petrus & Paulus, quãdo nullã quæſierunt ſibi gloriã, à deo in tantũ honoris & vere gloriæ euecti ſunt apicẽ, vt nunc per vniuerſum celebrentur orbem, ſintq; beati in perpetuum. Huiuſcemodi quędã apud ſe recogitent, qui ſuperbiæ faſtu inflati ſunt & turgidi, atq; deinceps omnẽ ambitionẽ & arrogantiã omittant. Nanq; & pro mẽbris ſuis hoc dixit dominus, eſt qui gloriã meam quærat, deus ille pater cœleſtis ſimul ac iudicet, qui vnicuique gloriã & coronã meriti ſui

1. Tim.4 retribuat. Cuius certũ ſe Paulus profitebatur, quoniam redditurus eſſet deus ſibi coronam iuſtitiæ, ſicut & Chriſto tri-

I.an.12. buerat, quãdo audiebatur vox de cælo, Et clarificaui, & adhuc clarificabo. Quod ipſe etiam peracta cœna, dominus

Ioan.17. coram diſcipulis teſtatus eſt. Sed iã hîc quęſtio incidit, quo

Ioan.5. modo hoc loco patrẽ iudicare dicat, quẽ paulò antè neminem

nem

nem iudicare,sed omne iudiciũ filio dedisse asseruit? Vbi lu ce clarius videant oportet,quantumuis cæci hominis isti & Neochristiani nostrates : quomodo opus sit distinctionib⁹ in literis sacris,quod ipsum quã nolebant primũ nobis permittere,tam nũc multis nostris rationibus impulsi fateri co guntur,& eò tamen multum abutuntur ad dilaniationes sa crarum scripturarũ.Multas hîc ambages facit,& per lõgum procedit B.Augustinus: & tamen in eo tandem illius consi stit sententia , quòd Christum cùm diceret patrem neminẽ iudicare,asserit locutũ esse de extremo iudicio:vbi impij iu dicati & cõdemnati suppliciis deputabuntur æternis,idque Christo ita iudicante . Aliud adhuc autem iudicium est discretionis,quò boni secernuntur à malis,atque hoc deus pa ter subinde exercet ab ipso iam inde mũdi initio,vsq; ad finem eiusdẽ. Et illud à deo expetẽs Dauid,inquit Iudica me deus,& discerne causam meã de gẽte nõ sancta,ab homine iniquo & doloso erue me.Eodẽmq; hîc modo Christ⁹ dicit esse,qui gloriam suam, & quærat & iudicet:vt hîc appareat quãtũ illa ad reliquorũ hominũ vana & inani gloria distet. Distare enim eã multísq; modis ab ista differre,iã olim Da uid quoque in spiritu præuiderat,dicens,Vnxit te dñs deus oleo lętitię pręcõsortib⁹ tuis.Testatur idẽ Hieremias etiã, cùm ait,Tu domine Sabaoth,qui iudicas iustè & probas re nes & corda:videã vltionẽ tuã ex eis:tibi enim reuelaui cau sam meam.Hoc itaque illud est, quod mãsuetissimus domi nus noster Iesus Christus calumniãtibus & cõtemnentibus ipsum Iudæis omne iudiciũ patri suo cælesti relinquit, nec quicquã sibi vel iudicij vel vindictæ reseruat . Quo exẽplo nos etiam docuit patientiam obseruare, non vltionem quę rere , sed eam omnem deo tanquã propriam & peculiarem dimittere. Quod aliâs nos Paulus quoq; monuit diligẽter, dicens,Non malum pro malo reddentes , non vosmetipsos defendentes,sed date locum iræ.sciptũ est enim, Mihi vindictam,ego retribuam,dicit dominus . Id etiam ipsum est, quod legimus secundũ trãslationẽ nostram in Deuteronomio,Mea est vltio , & ego retribuam in tempore suo. Nos quoq; iam cõiunctis omnes precibus supplices deprecemur deum,vt ille gratiam nobis suã cõcedat benignus: qua suffulti nec odium neque rancorem aliquẽ radices agere sinamus in cordibus nostris : sed vt munda libera mente orare

August. *Psal. 42.* *Psal 44.* *Hiere.15.* *Gregor.* *Rom. 12.* *1.Pet.3.* *Deut. 31.*

Mat.6. possimus omnipotentiã dei, quatenus debita nostra nobis dimittat, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: nec alicuius efficiamur vindictæ cupidi, sed vltionem omnem & vero & summo atque adeò vnico iudici relinquamus deo: *Sapien.11* qui vt cõstituit, ita omnia quoque in mensura, pondere & numero certo cognoscit. Deinceps vt eiusdem etiam gratię diuinę præsidiis adiuti, nosmet quoque exerceamus iugiter in operibus bonis, in humilitate, in rerum mundanarũ contemptu: quatenus tandem deus pater nostrã etiam quærat gloriã cum omnibus sanctis in vita æterna. Id adeò nobis tribuat clemẽtissimus ille gratiæ bonorumq; omnium dator, qui & benedictus est in æuum, Amen.

HOMILIA TERTIA.

SIgna sua toto anni circulo volare per omne vitij flagitiique genus finit diabolus, quibus prohdolor, innumeros homines malitiæ suæ adiungit. Decet itaque, & id sanè nimium decorum tum æquum est, quod hodie ecclesia sancta dei vexillum erigit Christi Iesu, vexillum sanctæ crucis, vexillũ illud nobile precioso Christi sanguine aspersum & rubricatum: idque non sine acclamatione gratulabunda fidelium omnium. Statim enim conspectis signis illis, concinunt pij homines, Vexilla regis prodeunt, fulget crucis mysterium. Et deinceps erumpente affectu prostratísque in terra genubus, acclamatur ab omnibus, O crux aue spes vnica hoc passionis tempore: auge piis iustitiam, reísque dona veniam. Et hoc Christiana requirit disciplina, vt quoties per hoc tempus passionis dominicæ versus hic canitur, genua flectantur. Legit præterea ecclesia iam hodie epistolam il- *Heb.9.* lam Pauli, qua apostolus Hebræis enarrat, quomodo Christus per sanguinem suum propriũ ingressus sit in sancta sanctorum, vt sic aliquo modo pia mater & benigna filios suos ad crucem Christi adducet. Quid quòd omnes versus, antiphonæ, respõsoria & cantica omnia, tam in matutinis quã cæteris diuinis officiis eò tendunt, vt passionem Christi nobis inculcẽt? de cuius fructibus & commodis multa dici solent in die parasceues. Verùm hîc iam vel tandẽ omnis desinat leuitas, cesset & fugiat omnis vanitas, à peccatis & malis omnibus sibi caueãt omnes homines, offensiones etiã proximorũ & speciem quamlibet horreant peccati. Quis enim superbiat, videns Christum regem glorię miserè adeò con

temptum? Quo ore etiam impudentiſſimus quiſque gulam ſectabitur, cõſiderans ſaltem felle & aceto dominũ potatũ? Et ſic de ſimilibus quoque vitiis dici poteſt. Quamuis autẽ toto hoc quadrageſimali tẽpore deceat nos honeſtatẽ ſanctiorémque vitã viuere, tamen & hoc poſtremũ tempus diligentiùs adhuc reliquo eſt obſeruandũ, ieiuniis, eleemoſynis, orationib⁹ & reliquo cultu diuino, atq; piis exercitatio nibus: quatenus ſic nos quoque meriti amariſſimę paſſionis Chriſti efficiamur participes. Quo nomine legere nunc eccleſia incipit prophetã Hieremiã, qui plurimis & ſignis & argumentis paſſionẽ Chriſti prędixit Eò quoque hodiernum totũ vergit euangeliũ, quò audiuimus Chriſtũ à Iudeis extremè cõtemptum, & pro Samaritano habitum, qui & dæmoniũ habeat. Verũ ad hæc opprobria omnia mitiſſim⁹ do minus tantũ, & id quoque ſimpliciter, negat, Ego, inquiẽs, dæmoniũ non habeo, neq; gloriam quæro meam. Deus ille pater eſt qui non quærat tantùm, ſed & iudicet. Nos iam porrò reliqua euangelij huius verba breuiter excutiamus.

1 Dicit dominus, Amen amen dico vobis: ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem nõ videbit in æternum. Attende & vide hîc mirabilia Iudæi Chriſtum cõtempſerant, vt qui maximè: cõtrà iam dominus doctrinam eis proponit ſalutarem. Vnde diſcendũ nobis eſt, quod cùm malorũ peruerſitas creſcit, non ſolùm prædicando frangi nõ debet cõcionator, ſed & augeri: id enim ſuo nos hîc exẽplo domin⁹ admonet, qui poſtquã habere dæmonium dictus eſt, prædicationis ſuæ beneficia largiùs impendit. Quæſtionẽ de gloria ſua remittit ad patrem, ipſeque ad prædicandũ accingitur, quaſi dicturus, vos me, Iudæi, dæmoniũ habere dixiſtis, ſed ego interim ad vitam vos voco æternã. Sermonẽ itaque meum ſeruate, & non moriemini in ęternũ. Hic iam Samaritanũ ſe eſſe verũmq; adeò cuſtodẽ declarat, qui ſolo verbo ſeruare eos queat, ne moriantur vnquã. Si quis, inquit, ſermonem meum ſeruauerit, mortem nõ videbit in æternum. Vbi Chryſoſtomus dicit, nõ modò intelligendã eſſe fidem, ſed vitæ etiam puritatẽ. Audite hæc, audite inquã, neochriſtiani, & diſcite fidẽ iſtam nudã non ſufficere, quos vos ſubinde clamatis, & ſimplicẽ credulamq; plebẽ ſeducitis. Ecce & vitæ puritas neceſſaria eſt, porci, nõ homines, hirci ſquaidi & fœtidi, aſini ignauiſſimi. Ecce fides ſola vobis nil ꝓ-

Ioan. 8. *Gregor.* *Auguſti.* *Theoph.* *Chryſoſt.* *Iaco. 2.*

derit, quia ſine operibus mortua eſt tota. Quia tūc quiſque doctrinam ſeruat Chriſtianam, cùm tādē operibus implet.

Theoph. ¶Theophylactus hîc quoque nos cōſiderare admonet, quo modo omne Iudæorum propoſitū infringat dominus. Illi enim diu noctúque aliud ne cogitabāt quidē, niſi vt aliquo modo Chriſtū perderent & occiderent. Viciſſim dominus oſtendit eos fruſtra cōtra ſe furere & inſanire, velut dicēs, Quid me paratis occidere, quando qui ſermones meos ſeruant, non morientur? multò minus ego moriar, qui vitā præbeo ſeruantibus verba mea. Aut quæ vos agitant intēperię, quòd nolenti mihi eripere vitam cogitaris? ¶ Verùm hîc tu quæres, quis horū ſit verborū ſenſus, Mortem non videbit. Quis enim etiam moriens eſt, qui mortem videat, quando iamiā morituris oculos ipſa mors claudit, vt amplius videre nil queant? Deinde quomodo Chriſtus adhuc mortalis adeóq; cum mortalibus hîc cōuerſatus & locutus, dicere potuit eum, qui ſermones ſuos ſeruaret nō moriturū, quando & ipſe domini exitus per mortē factus fuerit, iuxta antiquū

Pſal. 67. illud Dauidis oraculū? Præterea electi quoq; æternā iſtam

Eſa.66. viſuri ſunt mortē damnatorū teſte, Eſaia qui dicit, Egredientur & videbūt cadauera virorū, qui præuaricati ſunt in me.

Auguſt. ¶Auguſtinus ad hæc reſpondens, Videte, inquit, locutiones ſcripturarum, mortem nō videbit, id eſt, guſtabit & experietur. Quo vno verbo prima ſimul & tertia ſoluitur obiectio nam vt maximè quis mortē nō videat ſuā, tamē experitur vtiq; : ſed ſancti mortem non experientur damnatorum, quanuis eandem ad beatitudinis ſuæ augmentum ſint

Pſal 57. viſuri: ſic Dauid, Lætabitur, inquit, iuſtus, cùm viderit vindictam. Deinceps mors quoque gemina eſt: altera temporalis de qua hîc Chriſtus non loquitur, quando ea diſſolutio tantùm corporis & animæ eſt, abiectio & depoſitio corporis huius non grauantis, Hęc etiam cuiq; peccatorum onere & ſarcina carenti, via eſt ac medium ad vitam æternam. Mors altera animæ eſt in ęterna dānatione, mors perpetua, mors inferni: mors à qua vt redimeret nos, venit dominus, hanc non viſurus eſt in æternum: quiſquis verbum dei non memoria tantū, ſed per charitatem & operum bonorum adim

Eccle.8. pletionem ſeruat. quoniā etiam Sapientis teſtimonio, Qui cuſtodit præceptū, non experietur quicquam mali, eo quod conſeruatio legis incorruptionis perfecta cōſummatio eſt

& quandiu lumẽ secũ ardens retinet quispiam, tandiu ei tenebræ non superuenient, vt ait Origenes. Inde quoque responsio patet ad verba prophetæ, Quis est homo qui viuit, & non videbit mortem? Ille nimirum qui verba dei seruat. *Origen.*

2 Sed iam ad tam salutarẽ Christi doctrinam, inuidẽtium audite calumniam Iudæorum. Nunc enim, inquiũt, cognouimus, quia dæmoniũ habes: Abraham mortuus est & prophetæ, & tu dicis, Si quis sermonẽ meum seruauerit, nõ gustabit mortem in æternum. Vbi Greg. dicit, quòd sicut bonis necesse est, vt meliores etiam per cõtumelias existãt, ita semper reprobi de beneficio peiores fiunt. Et hîc quoq; cõsiderandum venit diligentiùs, quã omnino veracissimus historiæ euangelicæ scriptor sit Ioannes: quem etiam non puduit tantas describere cõtumelias, quas de Christo Iudęi cogitârunt & protulerunt. Deinde fastum quoque Iudæorum expende & supercilium: ita enim inquiunt, Nunc cognouimus quia dæmoniũ habes. id antea certò nesciebamus, nũc verè scimus. Vbi & stupiditatem eorum vide, eò ꝙ dum sibi videntur certissimi, turpissimè labuntur & errant, non intelligentes dominum de morte loqui damnationis æternæ: ꝙ ipsi, qua erant in cognoscendo vero tarditate, ad mortem corporis referebant. Siquidẽ & tunc quanuis iam mortuus erat Abraham corpore, gratia tamen dei viuebat adhuc: sicut alio in loco euãgelij dominus aduersus Saducæos probat, cùm ait, Non legistis quod dictum est à deo dicente vobis, Ego sum deus Abrahã, & deus Isaac, & deus Iacob? Nõ est deus mortuorũ, sed viuẽtiũ. En Abrahamum tibi etiam tunc maximè viuentem, cùm corpore iam mortuus erat: & vicissim (vt hîc de vita & morte dominus loquitur) Iudæos tum, cùm sibi maximè viuere videbantur, omnino demortuos Sic ergo, ait Augustinus, morte ista, quã dominus vult intelligi, nec Abraham mortuus est, nec prophetæ illi enim mortui sunt, & viuunt: Iudæi autem viuebant, & mortui erant, neque mortem illam tamen videbãt, in qua iam sepulti iacebant: sed potius, dum suæ mentis præ furore nõ erãt, maioris etiam se stultitiæ reos profitentur: quia si dominus dæmoniũ, vt insimulabant isti habuisset, quomodo nõ stolidi & fatui omnino fuissent, qui illũ diligenter adeò obseruabant? ita Chrysost. Verùm id omne ex germana sua malitia faciebãt, quod ex multis adeò Abrahã domino obiiciũt: *Ioan. 8.* *Gregor.* *Augu.* *Mat. 22.* *Exod. 3.* *August.* *Chrysost.*

ideo nimirum, vt vel sic eum vulgo magis redderent odiosum, si ille se maioré Abraham assereret, quem Iudæorum gens tota maximi faciebat, vt erat sanè honore magno dignissimus, quãuis Christo multis modis inferior. Quoniá
Gen. 17. Abrahæ circũcisio data est, Abrahæ Christus promissus est,
22.& 12 in cuius semine quoq; futurũ vt benediceréturomnes tribus terrę. Abrahę terra illa promissionis primum oblata est. Odiosè ergo dño exprobrant Iudæi, Qué teipsum facis? & sic tanquã arrogantẽ atq; superbum reprehendebant, qui se
Ioan. 8. etiam Abrahæ anteponeret & ꝓphetis: sed malè in hoc loquebãtur, quod dicebãt Christum sese tantũ facere, atq; sic
Origen. cæcutientiũ fuit hæc prolatio: quoniam nõ se fecit Iesus id
Ioan. 17. quod est, sed à patre recepit, iam inde ab æterno: sicut & dicebat ipse, Nunc clarifica me tu pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquã mundus esset, apud te. Magnus itaque fuit, nõ quòd ipse semet fecerit magnũ, sed quia talem eum ab ęterno genuit pater: quãuis & ipse cùm tantus erat semet humiliauit, & in forma dei existens, nõ rapinam arbitratus est esse æqualẽ deo: sed semetipsum exinaniuit,
Philip. 2. formam serui accipiens, in similitudinem hominũ factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum, &c.

3 Quando in postrema sermonis sui parte Iudæi ambitionem domino exprobrauerant, illam prius hîc à se declinat, deinde ad argumentũ de Abrahã respondet. Primúmque dicit, Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.
Ioan. 8. Quibus ille verbis non hoc voluit, authore Chrysostomo,
Cyrillus. quasi non ipse quoque semet glorificet: sed tantũ falsis ipsorum respondere voluit cogitationibus & suspitionibus: sicut & alibi in Ioãne negat se de seipso dare testimoniũ, eò nimirum, quo Iudæi modo putabant. Ostendit ergo, vt
Beda. inquit Beda, iis verbis nihil esse gloriam vitæ pręsentis, cuiusmodi ille sanè honoré nec habebat, nec appetebat: verũ omnis sua gloria vna & eadẽ erat cum illa, quã habet pater suus cœlestis, gloria æterna & immortalis. Omnis autẽ glo
1. Mac. 2 ria mũdi instar fumi est, qui ex igne ascẽdit, sicut Matathias iamiam moritur⁹ dicebat filiis suis, A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus & vermis est. Hodie extollitur, & cras nõ inuenietur: quia conuersus est in terrã suam, & cognitio eius periit. Ecce quã propriè & expeditè senex ille iam morti proximus, filiis suis depinxit verã su-

perbi hominis naturam & proprietaté,omnémq; eius euen tum. Paucis hoc idé dominus insinuat, dicens gloriã suam nullam, imo nihil omnino futurã, si semetipsum glorificet. ¶Verùm vt omnem impiorum etiam suspicionem euerte ret, nec vllam amplius illi ignorãtię suæ possent excusatio- né prætexere, audire quid sequatur, Est pater meus qui glo- rificat me, qué vos dicitis, quia deus noster est. Ecce hic ad- uersus impios, & malitia sua induratos adhuc sese aperit do minus, & claré diuinam suam maiestatem ostendit, docens eum sibi patrem esse, quem illi suum profitétur & affirmant deum. Hîc iam locum nullum istorũ amplius habet igno- rantia. Quomodo ab æterno deus pater filium suum secun dum diuinam naturam honorauerit, secundum humanam quidé ipsum in suo statim baptismo clarificauit, voce dela- psa & audita cœlitùs, Hic est filius meus dilect⁹, in quo mi- hi complacui. Similiter quoque clarificauit eum in illa glo riosa transfiguratione super montem excelsum, ibi etiã ex nube audita voce, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui, ipsum audite. Insigni insup claritate & glo- ria illustrauit eũ Hierosolymis pauló ante passioné suam, quando vox de cœlo lapsa dicebat, Et clarificauit, & adhuc clarificabo. An non sunt hæc testimonia magnifica dei de Christo Iesu? quomodo adhuc non pauló manifestiùs splé- didiúsque clarificauit in sua passione, cùm moueretur terra, sol & luna obfuscarentur, & caligine sua condolerent crea tori, petræ scinderentur, aperirentúrque sepulchra. Et dein ceps in gloriosissima illi⁹ resurrectione, gloria hæc manife- stior adhuc & illustrior apparuit, quãdo rursus mouebatur terra, quando instar fulguris descendens de cœlo angelus, remouebat ab ostio monumenti lapidem, aliíq; angeli ap- parebant mulieribus, & Christus ipse discipulis suis, dicens omnem sibi traditam esse potestaté in cœlo & in terra. Ec- ce quomodo clarificauit deus filium suum in ipsa quoque ascensione gloriosa & magnifica: quam & Lucas descripsit, & in spiritu vidit Ioannes, dicens in Apocalypsi, Habet in vestiméto & in femore suo scriptum, Rex regum, & domi- nus dominantium. Chryso. ait, Non peregrinũ pro se testi- moniũ aliũde adducit dominus, sed cõtentus est illo pater- no, quãdo & pater ille suus quò fretus est, deus erat Iudæo- rum: ne isti suspicarétur alienũ deum ipsum inducere velle.

Ioan.8 *Matt.3.* *Matt.17* *Ioan.12* *Mat.27.* *Mat.28.* *Act.1.* *Apoc.19.* *Chrysost.*

4 Defectum tandem proptium eis indicat,cùm ait, Et nō cognouistis eum:ego autem noui eum. Dices & Iudęos a-
Psal. 75. gnouisse deum:iuxta illud Psalmi, Notus in Iudæa deus,in Israël magnū nomen eius. Ad hoc respondetur,cognouisse quidem Iudæos deum,sed vt conditorē tantùm & administratorem mundi,non vt eum qui per vnigenitū filiū suum Iesum Christum miracula operaretur. Et in hoc quidē dubium nullum est,quanuis ex sententia Chryso.& Theoph. voluisse dominum mihi videtur,quòd nō cognouerint dominum Iudæi,vt patrem suū, quia sic filium ipsius non cru
Chrysost. cifixissent:idq; tamen intelligendū est more scripturarum,
Theoph. vbi impij agnoscuntur & appellantur quasi qui nō noscant deū:hoc est,ita viuūt,ita agunt omnia vt qui deū nō agnoscunt:sicut nostrates nunc faciunt neochristiani,de quibus dici meritò potest,quoniā nō cognoscunt deum: sic Esaias dicit,Israël me nō cognouit, & populus meus non intellexit.
Esaie 1 xit.In vniuersum autem,quisquis viā dei nō ingreditur,in sacris literis perinde habetur,ac si neque deum cognoscat, neq; vicissim noscatur ab illo Cuius rei si è sacris literis testimonium requiris,en hîc tibi quod in historia Regū scri-
1. Reg. 2. ptum legitur, Fili Heli, filij Belial nesciētes dominum,neque officium sacerdotum ad populum. vnde satis liquet,eò filios Heli ignorasse dominum, quòd malè vixerint, sicut ibidem clarè paret in textu. Sed & hoc ipsum est quod Paulus de eis refert qui cùm affirment se nosse deum, factis ta-
Titū 1. men negant Huc pertinet etiam illud Ioānis, Qui dicit se
1. Ioan. 2 nosse deum,& mandata eius non custodit,mēdax est,& in eo veritas nō est.Rectè itaq; de Iudæis deum factis suis negantibus,ait dominus quòd nō cognoscant deū, quem tamen verè cognoscebat ipse,sicut apud Matthæū quoq; ait,
Mat. 11. Nemo cognoscit patrē nisi filius,& nemo filium nisi pater. Et vt quod dixerat verisimile & credibile reddat, adiungit insuper,Sed scio eum,& sermonē eius seruo.Ecce sigillum erga deū,& optimū & tutissimū est,seruare mandata illius. ¶Ne tamē hîc quoq; prætereas illud, quod deinceps ait, Si dixero quia nō scio eū,ero similis vobis mendax. Vbi Au-
August. gustinus dicit,Arrogantia non ita caueatur,vt veritas relinquatur.& certum est,neminem celare debere veritatē vbi res expostulat, quia huiusmodi silentium apud deum pro mēdacio cōputabitur. Sed quàm hoc est turpe & vitiosum

tam frequens nunc est, adeò vt in describẽdo illo iustũ insumi posset volumẽ. in aulis autẽ principũ nihil visitatiùs, nihil eo cõmuniùs est, si modo eius exẽplũ aliquod requiris. Deus optim⁹ maximus verã nobis in bona & sancta fide cognitionem dei donet, atq; in omnibus virtutibus: quatenus à caliginosa & obscura ista dei, quam in hac vita habemus, cognitione, perueniamus ad clarissimum illũ diuinæ essentiæ aspectum & intuitum in æterna patria, Amen.

HOMILIA IIII.

EX multis & immensis operibus dei illud longè maximum est quod filium vnicum suum misit in hunc mundum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. Magnum & pulchrum sanè illud erat, quod ille qui viuit in secula, creauit omnia, cœlum simul & terram. Sed quantò maius est, quòd filius dei exinaniuit semetipsum factus homo? Quoniam & hæc charitas multò maxima fuit, vel Christo id asserẽte, Maiorem charitatem nemo habet, nisi vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Et hoc ipse fecit in ara crucis iuxta promissum suum, quãdo dixerat animam suam ponere se pro ouibus suis. Eiusmodi dilectionem dei immẽsam & ineffabile beneficiũ nobis ob oculos hodie ponit, & in memoriam reuocat ecclesia, admonens ne illius vnquã obliuiscamur, sicut & Paulus nos exhortatur, dicens, Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum cõtradictionem, ne fatigemini animis vestris deficientes. Et ne obiter saltẽ & oscitanter hæc omnia animo cogitemus, sed seriò concipiẽtes gratias agamus deo, ecclesia sancta primo statim mane vexillum crucis erigẽs, nobis illud ostẽdat: mõstrat lanceam, qua vulneratus saluator mũdi, sanguinis & aquę fluẽta ex pectore suo effudit: docet impletũ iam esse illud Dauidis, In nationibus regnauit à ligno deus. In omnib⁹ capitulis vtitur variis de passione & morte Christi scripturis, & locis epistolę Pauli ad Hebręos: quomodo nos ille redemerit in sanguine suo, & dederit semetipsum holocaustũ pro vniuerso mundo: quoniam ipse est agnus ille, quem Ioannes vidit occisum. Et nos itaq; totis animi nostri virib⁹ passionem Christi recogitemus, & quãta ille pro nobis peccatísq; nostris sustinuerit à vanissimis Iudęis qui & Samaritanum eum appellârũt, & dæmoniũ habere dixerunt, calum-

Galat. 4.
Eccle. 18.
Philip. 2.
Ioan 15.
Ioan. 10
Heb. 12.
Ioan. 19
Hebr. 9
Apoc. 5. & 13.

niati sunt insuper eum tanquam arrogantẽ & ambitiosum? quod ille refutans, gloriam se propriam non quærere affirmauit, quãdo alius esset qui quærat & iudicet. Verùm quia Abrahamũ ei obiicerunt, qui mortuus iam fuerat, & tamen maior ipso extitisset, in hac etiam parte respõdens, inquit.

1 Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum,

Theophy. vidit, & gauisus est. Hoc loco ait Theophy. docet quòd maior sit Abrahamo. quia enim illi dicebant ei, Num tu es maior patre nostro Abraham? dicit hîc, Etiam maior sum. et enim ille exultauit vt videret diem meũ, hoc est, desideratũ & optatum habuit illũ, & gaudij authorẽ scilicet, eò quòd in beneficium crederet nõ parui alicuius cõmodi, neq; vulgaris esset dies, sed magni. Sed ipsa etiã verba hîc altiꝰ paulò considera. Abraham, inquit, pater vester. appositè enim

Chrysost. & vrbanè hîc eos taxat, quasi diceret, ex sententia Chryso. lactatis vos filios esse Abrahæ: quàm malè igitur vos decet tristari & dolere super me, cũ tamen pater vester exultauit vt videret diem meũ? Ne itaq; me adeò vilipẽdatis, vt soletis

Luc.4. subinde dicere me & clamare fabri filium: nec videntes nec cõsiderantes patrẽ meum qui in cœlis est Abrahã quidem

Mat.13 pater vester est secundum carnẽ & promissionem, sed vos ipsos indignos facitis, dũ operibus eius nõ participatis,

¶ Quæri etiã solet, de quonam hîc die dominus loquatur, super quo exultauit Abraham. Nam quod ait, diem meum,

Augu. inquit Aug. incertum esse potest, vnde dixerit, vtrum diem domini temporalem, quo erat venturus in carne, an diẽ domini qui nescit ortum, nescit occasum. sed ego non dubito patrem Abraham totum scisse, quoniam & ad seruũ suum

Gene.24 quem ablegaturus erat, dixit, Pone manũ tuã super femur meum, vt adiurẽ te per dominũ deum cœli & terræ. Quod aliud vtiq; iuramentum non fuit, nisi quia eo ipso designatum est, ex stirpe Abrahæ venturum in carne deum cœli.

Gregor. Greg. verò ait, tunc Abraham diem domini vidisse, cùm in figura summæ trinitatis tres angelos hospicio recepit: qui-

Gene.18. bus profectò susceptis, sic tribꝰ quasi vni locutus est, dicẽs,

Chrysost. Dñe, si inueni gratiã coram oculis tuis. Porrò Chryso. diem meum, inquit, hoc loco crucẽ mihi significare videtur, quẽ in arietis oblatione Isaac præfigurauit. Constat autẽ, Christum hîc dicere voluisse Iudæos, quòd voluntariè pateretur, quãdo in hoc laudauit Abrahamum, quoniã exultauit

vidés Christi passionem. Et sic communiter doctores transeunt cũ isto intellectu, voléces Christum hîc loqui & velle Abrahã in spiritu præuidisse Christũ, de genere suo nascitu rum, & ex hac visione magnam sibi lætitiá concepisse: sicut & de Esaia inquit Sapiens, Spiritu magno vidit vltima, & cõsolatus est lugentes in Sion vsq; in sempiternũ. Ostendit futura & abscondita, antequã euenirent. Verũ adhuc inuenio quosdã intelligere verba hæc Christi non de illuminatione, qua Abraham in spiritu dei viderit Christũ věturum, quãdo & idipsum omnes à tẽporibus Abrahæ sancti crediderunt, & in sua quisq; illorum vita ardẽter desiderauit nasci Christũ: sed tamẽ nõ viderunt iuxta illud verbum Christi, Multi reges & prophetæ voluerũt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Adducuntur itaq; & persuadẽtur illi, vt credãt Abraham non tantùm in spiritu aduentum dñi præuidisse, sed & animam eius in limbo certificatam fuisse iam natum esse Christum, iámque futurum iuxta promissionem olim sibi datam, vt in semine suo benedicantur omnes gentes terræ. Certum autem super iis Abraham factum putant vel per reuelationẽ angelicã, vel per Simeonem, vel certè per Ioannem qui Abrahæ annunciarit sese iã digito demõstrasse, se baptizasse eum, quem omnes omnibus retro secu lis patres expectarent. Et inde gaudium atque exultationẽ Abrahæ prouenisse, sicut Esaias ait, videbis & afflues, mirabitur & dilatabitur cor tuum. 2 Carnales, inquit Gregorius, Iudæi, oculos à carne non subleuant: quia in eo solam carnis ætatem pensant, dicunt, Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahã vidisti! (Quanuis hîc Chrysostomus quadraginta tantùm annos legit, tamen Vaticanum quoq; exemplar in Græco quinquaginta habet.) Corpus solummodo considerabant & faciem domini, atque dicebãt, Annos (vt plurimum) habes quinquaginta, & quomodo Abraham videre potuisti, qui ante annos iã pene bis mille mortuus est? Non desunt etiam qui arbitrantur Christum continuis ieiuniis, multis vigiliis, & perpetuis laboribus emaceratum, facie visum magis senili quam pro ætate: sed benignè redemptor noster eos à carnis suæ intuitu submouet & ad diuinitatis contemplationem trahit, dicens, Amen amen dico vobis, antequã Abraham fieret, ego sum. Appende verba & agnosce mysteriũ: quia creatura erat Abraham:

Gene. 22. Eccle. 48 Luc. 10. Ioan. 1. Gen. 22. Esa. 60. Gregor. Chrysostr. Gregor. Ioan 8 August.

ideo ait dominus, Antequã Abrahã fieret, non esset. Christus autẽ non creatura, sed deus erat, non factum se, sed esse dicit declarare volẽs hoc ipso æternã suã & diuinã essentiã, quæ nulli subiaceat tẽporũ vicissitudini & permutationi. ¶Non dicit, antequã Abraham fieret, eram sed sum, quòd hoc cõmodiùs & cõuenientiùs erat ęternitati, quæ nunquã nõ præsens est. In creaturis dari potest similitudo huiusmodi palus qui in flumine fixus est, præsens manet: & quanuis aliquid aquæ iam præter lapsum est, nõnihil etiã adhuc adueniet, palus tamẽ omni isti aquę præsens semper est, & præter lapsæ quidẽ fluminis atquæ præsens aliquãdo fuit, ait aũt quæ ventura adhuc est, erit: idq; sine omni mutatione pali, solo fit fluxu & motu aquæ. eodẽ planè modo. Nũc siue illud ipsum Hodie æternitatis, immutabile, cõstans & perpetuũ est, cũ sola tẽporis præteriti & futuri vicissitudine atq; mutatione. Tempora autem ista & quæcunq; tempore cõstant, in motu perpetuo sunt ac cõtinuo quodã fluxu: nõ nulli iam præterierũt vt Abrahã, viciſſim alij adhuc instãt, deus autẽ semper pręsens est, ídq; soli deo propriũ est, neq; cũ illo alicui cræaturæ cómune. Verũ intellectu hoc quidẽ difficilimũ est, sicut & pleraq; alia diuinã naturã contigentia, nostrũ omnino refugiũt & superant intellectũ. & sicut se diuina habet essentia, ita & scientia, quia deus præsentia præterita & futura cognoscit sine omni sua mutatiõe: vtut aliquid eueniat, sciẽtiã & cognitionẽ vtiq; diuinã effugere non potest Vis huius rei & simile quid videre in creaturis? Ecce pingũtur nonnũquã imagines, sicut Nurembergæ pictus cernitur, inquit Cusa sagittarius, eo artificio, tam mira industria, vt appareat velut in omnes partes cernere: & quo quo se aliquis verterit, eo quoque imago videatur aspicere. Similiter se res habet in deitate, vbi sicut quælibet in se res mouet', seu mutatur, ita à deo sine vlla sui cognoscitur mutatione, sed & sic deus vno intuitu videt omnia, sicut effigies in omnes partes aspicere putatur: neq; ipsa tamen mutatur, sicut & deus permanet immutabilis, immot': & tamẽ omnia mota, mutabilia & caduca intuetur. Rectè ergo dixit dominus. Antequã Abrahã fieret, ego sum 3 Sequitur hinc, Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eũ. Vbi admirari, quis posset, quomodo tantũ irasci & excãdescere atq; ad uersus Christũ cõmoueri potuerint Iudæi, ex eo quòd di-

Bethius *Cusa.*

xerat, Antequam Abraham fieret, ego sum. Multò durius & acerbiùs sępe aliàs eos increpauerat, quā nunc, sicut in eodē hoc euāgelij huius capite legitur dixisse, Moriemini in peccatis vestris, hoc est perpetuò cōdēnati eritis. Itē, Nūc quæritis me interficere, hominē qui veritatē vobis locut' sum, quā audiui à deo: hoc Abrahā nō fecit. Rurs', Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio. Admirabitur itaq; aliquis non immeritò, quomodo Iudæi verbis istis durissimis nihil cōmori, nūc demū in irā conuersi lapides arripuerint. vim & impetū facturi in dominū. Verū quisquis ille fuerit, mirari sanè desinet, vbi cognorit verba hæc quauuis in nostra lingua Romana simul & Græca appareant leuissima, in idiomate tamen Hebręo, quo Christus cum Iudæis loquēs vsus est, esse grauissima. Est eīn in iis verbis verū dei nomē expressum, sicut & Chryso. illud vidit: & qui hoc audierunt Iudæi linguæ suę periti, satis intelligere potuerūt, ipsum se hîc deum appellasse, quandoquidē in exodo legimus Moysen dixisse ad dñm, Si dixerint mihi, Quod est nomē eius, qđ dicā eis? & dixit domin' ad Moysen, Ego sum qui sum. sic dices filiis Israël, Qui est, misit me ad vos. Ibi sanè ī Hæbreo habetur vocabulū Eheie, nomen illud sanctissimū dei & ineffabile habitū, sicut & Hieronymus in quadā epistola ad Marcellū scribit de decē sanctis nominibus dei, ex quib' illud quoq; Eheie vnū est. Hoc nomē, ait dominus mihi est in æternū, & hoc memoriale meū in generatione & generationē. Cæterū Rhabini quoque nomē illud Eheie caput & velut coronā faciunt omniū nominū dei, eò qđ ex essentia dei promanat & fluit, rerum aliarū omniū esse, nō sec' atq; ex quodā perpetuo fonte. Nomine hoc sancto vsi etiā sunt Iudęi, quotiescunq; in aduersitatibus aut vinculis essent detenti. Nimis acutum & subtile foret, hîc diutius declarare, quo in hoc nomine omnes tēporū cōtinentur differentiæ, quæ sanè ipsissima (vt sic dicā) est æternitas. Ad scholas hæc relegāda sunt. ¶ Et quando hîc Christus semetipsum appellauit Eheie, hoc est, ego sum, audiētes hoc Iudæi, indignati sunt dū viderēt illū sibi nomē vsurpare diuinū. Iudicarūt itaque eū quasi blasphemū, & iam in nullo resistere valētes sapientiæ loquēti ex Christo, cōuersi sunt & cōfugerunt ad lapides, ipsum lapidaturi, iuxta pceptū dei in Leuitico de blas-

Ioan. 8.
Chryso.
Exod 3.
Hieron.
Leui. 24.

Nazareth de monte, transiens per medium eorum ibat: qui conuersis iis quoque in templo ad lapides, se abscondit ab eis: qui consultantibus iisdem de nece ipsius, aufugit in Ephrem, neque amplius ambulauit apud eos palàm. Sed & aliâs iram & furorem eorum effugit: quanuis etiam tum cũ minimè fugeret, nemo vim in illũ facere audebat, eò quòd nondum venerat hora illius. Nunc verò sciens quoniam venisset hora sua, vt transiret ex hoc mundo ad patrem, vltrò ascẽdit Hierosolymam: neque id clam, sed tanto comitatu, tanto clamore, quanto aliâs nunquam, adeò vt tota iã commoueretur ciuitas: quo ostendere voluit ille se uolẽtẽ & nec inuitum, neque coactum pati, implendo cũ hoc illud Esaiæ, Oblatus est, quoniam ipse voluit. *Ioan.* *Ioan.11.* *Ioan,7.8* *Ioan.13.* *Mat.21.* *Esa.53.*

¶Et vt ingressus ille siue aduentus domini Hierosolymitis admirationem & stuporem incuteret, ascendit asinam, & ea vectus intrauit, vt impleretur quod prædixerat propheta Zacharias, atque vt sic illi non doctrina tantùm, sed & factis operibúsque ipsius admonerentur, illum eum esse, qui per prophetas toties promissus fuerat, & vt inquit Chrysostomus, Cùm illud Zachariæ veluti scriptum est, expleisset, alterius ipse prophetiæ dabat initium, quæ futura erant, ipsis factis significando: quia per asinam Iudæos designabat, euangelium Christi suscepturos: per pullum asinæ figurabat Gentes, quæ nullum adhuc cultus diuini iugum portauerant. Et quanuis sunt qui conantur affirmare Christum pullo primum insedisse, qui cùm sessorem pati nollet, tandem super asinam eum sedisse: tamen contrarium illius potiùs est credendum, dicendúmque nullam omnino creaturam deo conditori suo aduersatam, in hac præsertim tam magna significatione. Deinde tres euangelistæ, qui Christianis ex gentibus conuersis scripserunt euangelium, solius meminerunt pulli. Matthæus qui Christianis ex iudaismo credentibus euangelium natiua lingua descripsit, asinam quoque commemorat, quæ Iudæos hîc figurabat. Piè igitur credendum est, sicut euangelium, prius Iudæis, deinceps prædicatum est Gentibus, ita ablegatos hîc à Christo discipulos, qui asinam cum pullo adducerent, ad designandum per illorum prædicationem venturos ad Christi fidem Iudæos cum gentibus. Vnde discendum etiam magistratibus propo- *Zach.9.* *Chrysost.* *Hierony.* *Hierony.* *Act.13.*

nitur, ad prædicandi munus mittere non ignotos, nõ vnde cunque illotis tum manibus tum pedibus, ex proximo rutè accurrentes, sed probè & exactè cognitos, quorum perspe- *Hierony.* cta sit & probitas & doctrina. Vnde hîc Hiero. per discipulos duos, & cognitionẽ & operationem boni intelligi putat.

Beda. 2 Hoc itaque modo ingressus est Hirosolymam, idque in dominica palmarum, quæ dies erat quinta ante passionẽ domini: qua re monstratur nobis ipsum non prophetiã tan- *Ioan. I.* tũ Zachariæ, sed & veteris legis impleuisse figurã de agno Paschali, vt sic verè ostenderet se hunc ipsum esse agnum, *Exod. 12.* qui peccata mundi tolleret. Præceperat autem Moyses Iudæis, vt decima die mensis primi agnum tollerẽt, & decima quarta ad vesperam demum occiderent atque manducarẽt, in memoriam liberationis suæ ex Ægyptiis tenebris. Eodẽ quippe modo agnus noster Christus, decima mẽsis primi, hodie scilicet, ingressus est Hierosolymam, vbi deinceps transactis iis quæ ad agnum legalem pertinebant, nouóque iam alterius agni esu instituto, semet obtulit deo patri in ara crucis, in redemptionem hominum ex captiuitate & vinculis diaboli. Quod Esaias in spiritu præuidẽs, dixit, *Esaia. 53.* Sicut ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus corã tondente obmutescet. Hæc itaque de tempore passionis congruo, cui ingressus ille domini conueniret, dicta sufficiant.

¶ Adductis ergo ad dominũ asina & pullo, statim discipuli vestes suas super imposuerunt: quod temerè vtique factum non est, & quanuis iuxta literam ad honorem & gloriã dei factũ id esse constat, mysterio tamen nõ caret: quia (secun- *Hierony.* dum Hieronymũ) vestis apostolica, vel doctrina virtutum vel edissertio scripturarũ intelligi potest, siue ecclesiasticorũm dogmatum varietates, quibus nisi anima instructa fuerit & ornata, sessorem habere dominum non meretur. Sic apostoli nudam quidem asinam cum pullo inuenerũt, quia gentes nudæ erant, & omni virtutum operúmq; bonorum tegumento destitutæ: atque ideo vestiri adhuc opus habebant ab apostolis & prædicatoribus virtutum & bonorum operum habitu. neque enim vel asinæ vel pullo insidere voluit dominus, nisi prius tegerentur, eò ꝙ sine Ethnicus quis sit, siue Iudæus, Christum sessorem recipere tantisper non potest, dum sanctorum & virtutibus & exemplis nõ fuerit ornatus: sicut Cornelius tum demũ cum ieiuniis & oratio-

nibus esset intentus, dignus habitus & inuētus est, cui à deo Act.10
Petrus mitteretur apostolus. Omnes itaq; Christiani vestes habeāt apostolicas, hoc est apostolorū doctrinā, disciplinā & vniuersum eorū conuictū. Quod cū non faciāt Neochristiani, etiā Christianorū indigni sunt vocabulo: quoniā nec ieiunia, nec orationes tolerāt: sed quicquid ab ipsis iā inde Christi & apostolorū temporibus in hæc vsq; secula pfectū est, siue disciplinæ, siue pietatis, id omne impugnāt, & radicitus euulsum cupiūt. Rectiùs dicit in sua Apocalypsi Ioannes, Beat⁹ qui vigilat, & custodit vestimēta sua, ne nud⁹ ambulet. & Sapiens similiter curā vestimenti solicitè habēdā docens. Omni tempore, inquit, sint vestimēta tua candida. Apo.16 Eccle. 9.
¶ Videmus etiā vestimēta aptè & oppositè formari ad proportionē corporis humani, ideóq; cùm vestimentū homini effero & pene beluino imponitur velut asino, is quoq; mitigetur fiátq; mansuetior: iuxta illud Petri, non configurati prioribus ignorātiæ vestrę desideriis, sed secundū eū qui vocauit vos sanctū. ¶ Imposuerūt itaq; discipuli dominū super asinā. vnde nobis discendū pponitur, apostolos & prędicatores imponere & velut insinuare dnm animabus antea feris & parū māsuetis, vt sic mitescāt in disciplina fidei. Quo nomine Paulus etiā ait, Dei sum⁹ adiutores. deinceps, Hortamur vos ne in vanū gratiā dei recipiatis. Vbi nūc Luther⁹ cum suis latet, qui qua sunt temeritate, affirmare non verētur nos, nihil cooperari deo. Cur itaq; hic apostoli dominū imposuerūt super asinam 3 Nō defuit huic labori honestissimo turbę etiā comitat⁹, christū à Hiericho secutæ hucusq;. Nāque & illa in quatuor præcipuè rebus honorē domini pmouit, vestes suas subtrahit, decerptos ex arboribus ramos in viā piecit, ante & post dnm per modū pcessionis ingredientes clamauerūt, Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine dni. Primū, quod vestes pprias subiecerūt, Beda refert ad multitudinē martyrū, qui vestes suas (corpora nimirū, indumēta & vestes sanctarū animarū) tradiderūt ppter deū, vt sic plana omnibus pateret veniēdi ad Christū via, & ne quis horreret viā hanc ingredi, in qua tot cerneret sanctissimorū martyrū impressa vestigia: quomodo ipsi se quoque mutuò exhortati sunt martyres in hac via passionis & suppliciorum cōstanter ingredi, nec in aliquo à cœpta fidei cōfessione deficere. Ita factum est, vt viam hanc 1.Petr.1. 1.Cor.3. 2.Cor.6. Beda.

ingredi potuerit asinæ pull⁹,hoc est,stulta antehac & rudis gentilitas,dum exempla,miracula,& patientiam constantiámque martyrum cõsiderauit. Ita si quando tyranni videbantur sibi probè vindicasse se in vno aliquo homine Christiano,innumeri subinde alij ex gẽtibus cõuersi sunt ad dominum,sicut in supplicio Barbaræ,Catharinæ,Sebastiani & aliorum sanctorum clarè cõspicimus. ¶Sanctus Hieronymus prudenter hîc expēdit,nihil esse temerè scriptũ, ideóque nos admonet differẽtiam considerare debere vniuscuiusque personæ. Apostoli enim vestimẽta sua super asinum ponũt:turba quæ vilior est,substernit pedibus asini. Quod ipsum diuersam habeat significationẽ oportet:quoniã apostoli dominũ super vestes suas asino superstratas sedere fecerũt,eò quòd doctrina & exemplis suis immites alioquin & peccatores homines vsque adeò mansuetos reddiderũt, vt in eorum mentibus dominus sederet. Gratia enim dei se habet ad animam,sicut sessor ad equũ,inquit Augustinus. ¶Vestimentá porrò turbæ,externũ significant Christianorum conuictũ,& bona eorundẽ temporalia. si quando enim homo aliquis immitis extitit,ferus,beluinus sicut equus & mulus,in multitudine peccatorum,& ille tamen per pœnitentiam ac contritionem rursus ad deum reuertitur:ei cæteri homines nequaquã dent occasionẽ Christum vixdum susceptum reiiciendi,nec peccata illa sua exprobrent:sed si opus fuerit iuxta Gregorium,etiam vestibus suis nõ parcẽtes,eas substernant:hoc est,bona sua temporalia eis cõmunicent, & eleemosynas largiter tribuant. Nam quid aliud terrena & mundana hæc nostra bona omnia sunt,quã quędam velut corporis nostri indumenta? Domino itaque substernere vestes,est bona tẽporalia proximis nostris propter deum elargiri. ¶Facit hoc aduersus quosdã rudes & moribus incultos Christianos,ea præditos rusticitate & inhumanitate,vt Iudæos vel ex Gentibus cõuersos Christianos & baptizatos tractent inhumanissimè,Iudęos adhuc autẽ infideles increpent. Id enim fieri nec Christianę disciplinę neque humanioris est ciuilitatis,quod habẽdi illi quoq; sunt & tractandi cum omni mãsuetudine,nec cõtumaciter spernẽdi:sicut Paulus quoq; Iudæos docuit, quomodo Gẽtiles ad fidẽ cõuersos tractare deberẽt. Ea siquidẽ erat etiam Iudæorum peruersitas,vt Gentiles gratia euangelij putarent

Hierony.
August. lib. 3. hypogno.
Psal. 31
Gregor.
Rom. 10.

indignos. Verũ hoc eſt ſeſe in poteſtatem diuinã ingerere. eámq; ſibi temerè arrogare: quoniam deus eſt qui cõuertit corda hominũ, cui nota ſunt omnia priuſquã eſſent cõdita. Diabolus prouerbia cõmentus eſt huiuſmodi, & ea temerariis hominibus inculcauit, Iudæus iam ſenio cõfectus, etiã ſi baptizetur, Chriſtianus bonus nũquam efficitur. Et huic ſimilia, impia ſunt hæc. Quis enim impediat cõuerſionem ſiue Iudæorum ſiue Gentium? Verùm quidem eſt, non omnes Iudæi baptizati perſeuerant, & in fide fortes perſiſtũt Sed interim tamẽ Chriſtiani quoque nõ omnes probi ſunt. Quicunque autẽ animo bono & pio affectu ad fidẽ noſtrã perueniunt, eos ſuſcipere debemus piè, fouere humaniter, & candidè tractare: atq; ſicubi egeãt, bona etiam temporalia illis largiter ĩpartiri: quoniã magna eſt miſericordia domini, & ꝓpitiatio illius cõuertẽtibus ad ſe. Sed & alienigenas quoque tractare debemus humaniter, iuxta illud præceptũ domini in lege, Si habitauerit aduena in terra veſtra, & moratꝰ fuerit inter vos, nõ exprobretis ei. Quin potius gratiæ agendæ ſunt deo, illéq; à nobis eſt laudãdus propter magnam miſericordiã ſuam, quam etiã aduenis non negat. Et inſuper veſtes proprias illis nos conuenit ſubſternere, quò faciliùs quæ fidei noſtræ ſunt ſeruare queãt: nec in aliquam cadant impatientiam, ſi contẽnantur, derideantur & ex eo ſpernãtur, quòd inter nos egeſtati ſubiecti ſunt & miſeriæ.

Dan. 3. *Actu. 1* *Iudæi cõuerſi.* *Eccle. 17.* *Leui. 19.*

¶ Neque minus illis culpabiles ſunt craſſi quidã & mundi homines, qui cũ vidẽt aliquẽ ex imprudẽtia alicubi lapſum ſed iam rurſus emendatũ, & inter bonos bene cõuerſantem ſtatim improperant, ſtatim priſtinã ei vitam exprobrãt, inique ſanè & malè: quia pœnitẽtibus adiutores nos eſſe cõuenit & prõptos auxiliatores, imo nos quoq; cõfirmare illos decet, vt in bono cœpto perſeuerent, tantum abeſt vt horrorem eis incutiamus, quo iamiam admiſſum ſeſſorem Chriſtum rurſus abiiciãt. Similiter quoque redarguendi veniũt, qui alios in propoſitis operibꝰ bonis ſiue impediũt, ſiue ab iis deterrent. Quíque vbi primùm ſibi quis propoſuerit vel cõfiteri, vel templa ſanctiùs inuiſere, vel aliud quoddã pietatis opus perficere: ſtatim accurrũt velut moloſſi diaboli, hæc omnia deridentes, clamitãtes nihil iis opus eſſe. Quod dum faciũt, quid obſecro faciũt aliud, niſi quod veſtes ſuas non protendant nec ſubiiciunt, vt ſuper iis leuiùs ingre-

diens asellus vehat dominũ? sed horrorẽ potiùs mouẽt & offendicula ponũt, quibus motus ille, alicubi impingat & offendat. Væ autẽ istis animicidis. Nos quoque iis iam dictis cõtenti, supersedebimus. Aliâs plura, Rogem' dominũ, &c.

HOMILIA POSTERIOR.

PIo sanè & Christiano more processionem hodie celebrauimus, eámque in ipso euangelio fundatam: quia sicut gloriosè dominus ingressus est Hierosolymam, comitantibus eum antè & retrò turbis, laudésque deo cantantibus, ita hoc ipsum hodie quoque repræsentat ecclesia, quãuis obiter nonnulla de passioce domini ingerit, sicut & passionem in missæ officio ex consuetudine legit. Atque hinc nos post illam spiritalem designationem, nostram quoque accipimus instructionem. Et principiò quidem, quòd nonnulli vestimenta sua proiecerunt in viam, eos significat, qui bonæ vitæ exempla aliis ostẽdunt. Qui verò ex arboribus decerptos ramos substernunt, eos notant, qui sacræ scripturæ locis & testimoniis alios erudiũt: in comitatu autem reliquo antè & pòst cursitantes, patres signabant veteris testamenti, qui & ipsi Christum celebrârunt laudibus, & continuis eundem plausibus prosecuti, in ipsam vsque cœlestem Hierosolymam comitati sunt ascendentẽ. Vestes suas substernunt, qui exempla bona aliis relinquunt, sicut Elias pallium suum Eliseo reliquit, hoc est, argumentũ & exemplũ charitatis: sicut Eleazarus quoq; fecit, ne cõpulsus quidẽ volens, mori potiùs paratus quàm vt maiorum instituta trãsgrederetur. dicebat enim fortiter viã excedendo, senectute quidem dignus apparebo, adolescẽtibus autẽ exemplũ forte relinquã. Hoc modo & Paulus Timotheo suo pręcepit, Exemplum esto fideliũ in verbo, in cõuersatione, in charitate. Sic omnes alij sãcti exẽpla nobis probatissima reliquerunt honestatis & pietatis ac fortitudinis. Fuerũt rursus qui ramos ex arboribus diripientes subiiciebãt, vt quicquid nõ satis planum in via esset, planum redderent. Mysticè tamen per illos ij designantur, qui corda fidelium parant, vt Christus victor simul & triumphator tum vitiorum, tum dæmonum omnium, in iis habitare queat. Illud autẽ faciunt, qui sanctæ scripturæ testimonia, scripta patrum, & sanctorum exẽpla, fidelibus ꝓponunt, vt & ipsi in via dei ædificentur. Arbor enim quædam scriptura sacra est, cuius fructus cibus

4. Reg. 2
2. Mac. 6
1. Tim. 4.

animæ,folia autem illius remedia ſunt:ſicut idipſum Eze-
chiel,& Ioannes in Apocalypſi cõmemorant, Quoniam li *Eze.47.*
gnum vitæ fructus affert duodecim,& folia ligni ad ſanita *Apoc.vlt.*
tem gentium.Neq; hîc miretur quiſquã,quomodo in mẽ-
tem venerit turbæ,ramos ex arboribus ſciſſos in viam pro-
ieciſſe Chriſto ad honorẽ & gloriam. Siquidẽ quanuis ſine
dubio ad id diuinitùs ſancti ſpiritus mouebãtur inſtinctu:
tamen id quoque moris fuit apud Iudæos,in illa ſolenni &
ſplendida feſtiuitate Tabernaculorũ in Octobri,iuxta præ *Leui. 23.*
ceptum domini in lege, Sumetis vobis fructus arboris,pul-
cherrimæ,ſpatuláſq; palmarũ & ramos ligni denſatũ fron-
dium,& ſalices de torrente,& lętabimini corã domino deo
veſtro.Huiuſmodi lætitiã hîc quoq; exhibere domino vo-
lebant, quò & mouebantur ſtupendo illo miraculo, quod
iam quatriduanũ & fœtidum Lazarum reſuſcitaſſet. Multa *Ioan. 11.*
igitur turba quæ propter imminens feſtum iam Hieroſoly
mam venerat,& antè ſe purificarent,audito & inuulgato il
lo tanto Chriſti miraculo,obuiam ei ꝓcurrit venienti. Qui
vtique occurſus,phariſæorum & aliorum Chriſto inuiden-
tium animos cõcitauit & exarcebauit,magíſque ad intẽtã- *Hierony.*
dam illi necem cõmouit. 2 Quòd autẽ alij præceſſerũt, *Chryſoſt.*
alij etiam ſecuti ſunt,ad eos pertinet,qui partim ante Chri-
ſtum in mundo vixerunt patres,partim poſt eum venerũt.
Quoniam quotquot vel ſaluati vel ſaluandi adhuc ſunt, ſa
lutem oportet cõſecuti ſint, ſiue cõſequãtur in vnius illius
mediatoris fide Ieſu Chriſti,ſecundũ illud Pauli, [illegible]nus me- *1.Tim.2.*
diator dei & hominũ,homo Chriſtus Ieſus : neq; eſt aliud
nomen datum ſub cælo,in quo nos oporteat ſaluari. vt ait
Petrus, quanuis hæc ipſa mediatoris fides tempore creuit, *Act.4.*
clarióṙq; ſubinde & illuſtrior facta eſt,ſicut & Auguſtinus *Auguſt.*
in epiſtola ad Optatũ teſtatur,cùm ait,Illa fides ſaluat qua
credimus nullum hominum,ſiue maioris ſiue paruulę quã
libet & recentis ætatis,liberari à cõtagione mortis antiquę
& obligatione peccati,quam prima natiuitate cõtraxit,ni-
ſi per vnum mediatorem dei & hominum Ieſum Chriſtũ.
In cuius ſalutari fide quoque ſeruati ij ſunt, qui eum ante- *Auguſt.*
quam homo fieret naſciturum hominem credebant. Vna *de nupt.*
enim & eadem fides eſt illorum ſimul ac noſtra. S. Grego- *& concu.*
rius quoque ſuper Ezechielem ſcribens,cùm mentionẽ fa- *lib.2. Ho*
cit huius euãgelij dicit,Et qui præibant, & qui ſequebãtur, *mil.27.*

clamabant, dicẽtes, Osanna filio Dauid. Quia omnes electi qui in Iudæa esse poterant, siue qui nunc in ecclesia sunt, in mediatorem dei & hominum crediderunt & credunt: quia ab ipso salutẽ quæsierunt antiqui & præsentes, cùm vna sit tum fides, tum spes & præcedentium hominum & sequentiũ. Tantùm hoc ibi est diuersum, quod cùm illi in vniuersum ceciderunt Messiam venturum, nos iam propriè & expresè credimus eundẽ esse dominum nostrum Iesum Christum, ex Maria virgine natum, sub Põtio Pilato passum & mortuum: ita vt quanuis vna & eadẽ sit fides implicita, nos tamen iam sub lege gratiæ teneamur ad plura credẽdũ explicitè quã patres. Et ecce, quomodo operarij, diuersis quidẽ horis in vineam vocati, vnam tamen fidei suæ mercedẽ acceperunt. 3 Docemur hinc quoq; processiones, quas solennes certis quibusdã splẽdidis ceremoniis obseruat ecclesia, deo placere & nõ ingratas esse, quoniam signa quædam & testimonia sunt externa internę nostrę fidei. Illas autem nõ est quòd dubites instituisse ecclesiam instinctu spiritus sancti, quando hæc errare nequit, fides eius deficere nõ potest, eò quòd cum ea mansurus dominus est vsq; ad consummationem seculi. Et cùm arbor illa sit bona, nõ potest non ferre fructus optimos. Vt iam turpiter se in maximis erroribus fluctuãtes iniiciant nostrates neochristiani, qui processiones atq; id gen' alias ceremonias, pias sanè & sanctas cõtemnunt, solàm requirentes deuotionem internam: quæ bona quidem per se est, sed non adeò vt prę hac omnia illa externa sint reiicienda: quãdoquidem anima hominis pro hoc præsenti statu alligata est sensibus, & ei quæ ex illis est cogitationi astricta. Hinc fit vt rebus sensibilib' subinde erudiamur, & in euangelio quoq; videamus dominum frequẽter rerum corporaliũ vti similitudinibus, & ab iis animos nostros ad sublimia & cælestia auocare, adeò vt nihil plerùmque nisi parabolas loqueretur. Cùm itaq; nec angeli sumus, neq; intellectus noster adeò est eleuatus, vt in paradiso aliquando fuit, mouemur iam per ea quæ tum videmus, tũ audimus, vt discamus in intellectu, seruem' in memoria, ardẽter amemus in charitate per hęc ipsa signa exteriora: sicut hodie tam solenni & amplo comitatu. Christus processit & ingressus est Hierosolymam. Apostoli quoque processionem habuerunt honorificam in diem dominicæ

Marginalia: *Mat. 20* (beside "explicitè quã patres"); *Process.* (beside "sia, deo placere"); *Luc. 22.*, *Mat. 28.*, *Mat. 2.* (beside "sancti ... mationem seculi"); *August.* (beside "mus, tũ audimus").

ascẽsionis, cùm ad eos dixisset dominus, Vos sedete in ciuitate quoadusq; induamini virtute ex alto. Et sequitur, Eduxit eos foras in Bethaniam, & eleuatis manib⁹ suis, benedixit eis. *Luc. vlt.* Omnia hæc per modũ processionis: quæ & ideo die illo solenniter in ecclesia obseruatur; ad significãdum, vt & nos ordine composito Christum in sua sequamur ascensione. Vnde & in quibusdã locis mos obtinuit, vt sacerdos missæ officiũ cantaturus, in processione primus eat, sicut Christus ante nos primus omniũ cælos ascẽdit, Vado, inquiens, vobis parare locum. *Ioan. 14.* ¶ Verũ quòd singulis dieb⁹ dominicis ꝓcessiones huiusmodi obseruantur, ab ipso sanctissimo die paschę profectũ est, sicut & dignitas & omnis sanctitas diei dominicæ est à Paschali solẽnitate, loco sabbati Iudæorũ. Atq; ideo processiones dieb⁹ dominicis fieri solitæ sunt cũ triumphali signo crucis, cũ vexillis: quia ipsa dominica gloriosæ resurrectionis die, dominus triumphauit de morte. *Mar. 16.* Hinc etiam cum gaudio cantãdo egredimur chorum, profitẽtes in nobis Christianis impletũ esse quod dixit Esaias, In lętitia egrediemini, & in pace deducemini. Mõtes & colles cantabũt corã vobis laudẽ, & omnia ligna regionis plaudent manu. *Esa 55.* Sed & illa ipsa paschalis diei processio, ex euangelica authoritate est desumpta, eò quòd angelus dixit mulieribus, Ite, renunciate discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. *Mar. 16.* *Mat. 18.* Deinde quoque quia redeũtibus à sepulchro mulieribus obuiam venit dominus, dicẽs, Ite nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. Quod sanè primum extitit pręceptum à domino datũ post resurrectionem suam, vbi mercedẽ illam magnam discipulis promisit, visionem sui. Vbi & rationem subesse oportet, quare Christus in Galilæam illos venire iusserit, non Hierosolymam: vbi tamẽ eodem quoque die illis apparuit, pedes suos & manus ostendit, & deinceps etiam post octiduũ. *Ioan. 20.* Vt iam necessarium sit, illam apparitionẽ in Galilæa, aliquid mysterij præ se ferre: idque est huiusmodi sanctorũ patrum sententia: quia, Galilæa trãsmigrationem sonat, & domin⁹ iamiam à Iudæis ablaturus erat templum, sacerdotium, sacrificium, & id genus alia quædam insignia, diuinæ maiestatis mysteria, cõmunicaturus ea vniuersis hominibus. Tãtæ huius gratiæ cõmissum ac præceptũ apostolis suis dare voluit in Galilæa, vt iam porrò baptizarent omnes in nomine

patris & filij & spiritus sancti Hoc itaque innuere voluit & insinuare illo præcepto dominus, apostolos quoq; á Iudęis transituros, & Gentibus euangelium prædicaturos salutis. Atq; ideo de tanto beneficio grata deo existēs ecclesia, illū honorat processione; quod & gentibus resurrectionis suæ gloriam cōmunicari: quā hoc pręcepto dominus designare voluit, cùm apostolos iuberet ad se videndū venire in Galilęam, quod etiā per modū processionis fecerunt. Et nos igitur spiritualiter cū apostolis egrediamur in Galilęā ad Chri-
Iosua 6. stùm renouari per gratiā illius. ¶ Neq; aliter etiam sacerdotes & populus septies circūierunt vrbē Hiericho cū arca & tubis. Sic quoq; Dauid cum septē choris, cum citharis & tu-
2. Reg. 6 bis solenni processione arcā dei deduxit ex ædibus Obediē dum in ciuitatē Dauid. Cum processione quoque apostoli virginē matrē sepelierunt, qui mos in funeribus adhuc ob-
Mat. 27. seruatur. Ordine quodā procedentes mulieres cū paucis viris, sepelierunt Christum. Hinc fluxit consuetudo ecclesiæ in ꝓcessione hodierna cū palmis, in qua gratias agere debemus deo & domino nostro Iesu Christo, mētis nostrę affectum erigere in deū, & cū filiis Iudæorū clamare, Osan-
1. Cor. 10 na filio Dauid. Quando enim ex pręcepto Pauli facere nos omnia decet in gloriā dei, cur non in processionibus quoq; glorificabimus & laudabimus deum? Cęterùm gestatio palmarum vsitata fuit Iudęis, ob argumentum & signum læti-
1. Ma. 13 tiæ. Quomodo Simō Machabęus ingressus est Hierosolymam cū hymnis, ramis palmarū & citharis. Romani quoq;
lib. 3. c. 6. & Græci palmis vtebātur, in signum triumphi & victoriæ,
li. 13. c. 4. Plinio & Gellio authoribus: quo nomine hîc quoq; palmæ agnoscūtur quędā veluti vexilla fuisse victoriæ Christi & signa triūphi. Et deinceps per vniuersum Christianismum
Apoc. 7 hodie palmæ circunferuntur, ad designandā victoriā Christi triumphalē. Sic Ioānes quoq; in spiritu vidit sanctos stare ante faciem agni, vestitos stolis albis & ramos palmarū in manibus eorum: vnde fortè consuetudo fluxit, martyres sanctos ita pingere, vt palmā ferant in manibus. Atq; ideo quisqs hodie palmā manu gestare erubescat, nec particeps erit victoriæ Christi, nec Christum tali dignatur honore.

4 Clamauerūt autem turbæ, Osanna filio Dauid. Iubilatio hæc factą est vtiq; diuinitùs, á spiritu sancto ita disponēte, & linguas eorū mouēte in laudē dei: sicut olim linguam

Saulis cōmouerat ad prophetādum, & asinam Balaā ad loquendum. Quid igitur clamabant? Osanna. Vox hæc penes nos remansit in ecclesia tā Latina quā Græca, ex fonte Hebræo deriuata, valida plurimum ad concitandum animum. tantundē autē sonat, ac si dicas, Eia, age, salua nos. Vel, Obsecro, salua nos: (quia osa est Ziuui in hiffil, à verba ihasa, vnde venit Iesus, & interpretatur saluifica. Na, autē particula est obsecrandi. Quotquot autē annotârunt corruptè dici Osanna, & debere dici Osianna, vt Stapulen. Erasmus, Capnion, Clichtouæus, Bebelius, &c. errârunt per imperitiam Hebraici sermonis, cū vtrunq; dici possit, & Osanna & Osiāna, vt in Kimhi de defectiuis liquet, vbi agit de quiescēte Iob in pepoal. & pro vsu ecclesię adduco Psal. 86 hosā af decha. Hiere. 31. hosa adonai emecha, & Esa. 63 hosa li sero gi, Saluifica seruum tuum. Saluifica domine populū tuum. Saluifica mihi brachium meū. Et mirū est de Hieron. quòd ad hoc non penetrauit, & putauerit in ecclesia corruptè dici Osanna, in epistola ad Damasum: cū ecclesia rectè & ex arte dicat Osanna, Eia, vel age, vel obsecro saluifica. Verùm quod Hilarius super Matthæum, & Ambros. super Lucā. c. 19. non rectè interpretantur hanc voculā secūdum idioma linguę Hebrææ. Osanna itaq; clamabant Iudæi, Christum in hoc verum cōfitentes Messiam, qui saluū faceret Israëlē: sicut angel⁹ dixerat ad Ioseph, quoniā ipse saluū faciet populum suum. Vocāt insuper & filium Dauid, eius etiam fatētes humanitatē, secūdum quā natus ille est ex stirpe Dauid, sicut legimus in Psalmo, Iurauit dominus Dauid, & nō frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponā super sedē tuā. Addunt quoque, Benedictus qui venit in nomine domini, quod Hiero. deducere conatur ex illo Dauidico, O domine saluum me fac, benedictus, &c. Quidquid autem id est, cōstat illos, eò ipso diuinam Christi naturam esse confessos. ¶ Et obserua notanter eos clamare & dicere, quoniā in nomine domini veniat ille? & sic conformem faciat se volūtati diuinæ, non sicut pharisæi iniquè & iniustè calumniabantur Christū velut contrarium deo, in Beelzebub eiicere dęmonia Multò rectiùs hîc sentiēs turba, ait eum in nomine domini venire: sicut & ipse dixerat se in nomine patris sui venisse. Bene itaq; benedictum vocant, quoniam è diuerso maledictus est qui venturus est Antichristus, Messias ille fi-

1. Re. 10. Num. 22. Osanna. Mose. Kimhi. Psal. 86. Hier. 31. Esa. 63. Hierony. Hilarius Ambro. Mat. 1. Psal. 131. Hieron. Psal. 117 Ioan 7. Luc. 11. Ioan. 5.

ctus Iudæorum siquidem nō in nomine patris veniet: iuxta
Hierony. illud Christi. Veniet alius in nomine suo, hunc accipietis.
¶ Sed quòd denuò iam reperitur Osanna, & additur, in ex-
Philip. 2. celsis, perspicuè ostenditur quòd aduentus Christi non tan-
tùm hominū salus, sed totius mundi sit, terrena iūgens cœ-
lestibus: vt omne genu ei flectatur, cœlestium, terrestriū &
Beda. infernorum. Idipsum quoque Beda insinuat, perspicuè in-
quiens hîc doceri aduentum domini in carne, nó solùm hu
mani generis in terra, sed & angelorum in cælis esse saluté:
quia dum nos redempti ad superna perducimur, eorū pro-
fectò numerus, qui Satana cadente erat minoratus, imple-
Psal. 109 tur: iuxta dictum Psalmi, Iudicabit in nationibus, implebit
Eph. 1. ruinas. & iuxta Paulinum illud, quoniam deus instaurat o-
mnia in Christo quæ in cælis & in terra sunt, in ipso. Ioan-
Ioan. 12. nes insuper addit, quomodo illi regem quoque appellarint
Mar. 11. Christum. Marcus verò ait eos dixisse, benedictum quod ve
nit regnū patris nostri Dauid. Est enim credibile, alios aliâs
laudes attulisse. Cęterùm quàm honorificè hîc dominū am
plissimis laudibus acceperunt, tam impiè & turpiter eū die
ab hinc sexto tractârūt, sicut infrà in passione singula singu
lis opponemus & cōparabimus. ¶ Postremò iā hîc in Chri-
sto dilectissimi fratres admonitos vos volo, vt quando ma-
ioré sancti huius quadragesimalis temporis parté transegi-
mus, vtinam hoc modo vt placuerimus & recōciliati simus
deo, sanctæq; ecclesiæ vos in omnibus obedieritis, ne à bo-
nis operib⁹ & cœpto proposito deficiatis. Verè enim quòd
adhuc iam instat tempus, omnium sanctissimum est, in quo
væ illis quisquis cōcupiscétiis, appetitui & cupiditatib⁹ suis
non frenum imponit, suúmque ipse geniū nonnihil defrau
dat in omni cōtinentia, ad honorem passionis & mortis do
minicę Redigite itaque asinum, hoc est corpus vestrū indo
mitum, ad obsequium Christi vestes vestras bonorū exem-
plorum & sanctarum virtutum Christo substernite, & per
abstinétiam carnis ex arboribus ramos decerpite: ad animi
cogitationes reuocate, quàm seriò, quàm piè, quā sanctè &
religiosè maiores nostri tempus hoc sanctissimum trāsege-
rint. Mementote quibus quantísque ieiuniis, vigiliis, preci-
bus & eleemosynis, corporis quoque propriį macerationi-
bus in flagellis & virgis, in omni cultu diuino, in virtutibus
sanctis, in operib⁹ bonis sese assiduò exercuerunt sancti dei.

Et vos igitur clamate ad dominum, Benedictus qui venit ad nos in gloriosissimo corporis & sanguinis sui sacramento, Osanna, Salua nos domine: qnia ad te clamamus, salua nos in sublimibus & excelsis patris cælestis, Amen.

¶SVPER EVANGELIVM IOANNIS XIII. IN DIE COENÆ DOMINICÆ.

IN illo tempore, Ante diem festum paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta cùm diabolus iã misisset in cor vt traderet eũ Iudas Simonis Iscariotis, sciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à deo exiuit & ad deũ vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonẽ Petrum, Et dicit Petrus, Domine, tu mihi lauas pedes? Respõdit Iesus & dixit ei, Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea. Dicit ei Petrus, Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit Iesus, Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus, Domine, non tantũ pedes meos, sed & manus & caput. Dicit ei Iesus, Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum. propterea dixit, non estis mundi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum accepit vestimenta sua: & cùm recubuisset iterum, dixit eis, Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister & domine, & bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

Luc. 22. Mat. 11. Luc. 10. Suprà 6.

HOMILIA PRIMA.

EVangelium hoc sanctum eò in ecclesia catholica hodie legitur, quòd historia illa eodem hîc die contingerit, & quia hodie Christus corporis & sanguinis sui instituit sacramentum. multíque adeò illud laudato sanè & Christiano more solent accipere, vt idipsum digniús aliquantò, magísque piè facerent, in hoc eodem euangelio docentur. Docentur enim hîc lauare pedes animarũ suarũ, ne illud in iu-

dicium suscipiant & condemnationem, sed potiùs in salutem animarum. Ideóque textum euangelicum breuiter placet ad literam declarare, & deinceps de felici sumptione tãti sacramenti paulò copiosiùs disserere. ¶ Principiò hîc dicit Ioannes, Ante diem festum paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius, vt trãseat ex hoc mundo ad patrem: nõ quòd antea ignorarit, semper enim & hoc sciuit, quem nihil latet *Ioan.13*
Cyrillus. Ideóque omnes euangelistæ, inquit Cyrillus, velut ex industria sæpius descripserunt, quód mortem passionémque suam præsciuerit Christus, ne quis hæreticus exurgens, illum calumnietur tanquam ex infirmitate nõ vltrò demortuum, sed Iudæorum laqueis irretitum, crucis patibulum nõ sponte sustinuisse. Deinde vide quàm ciuiliter hîc euangelista Christi mortẽ transitũ vocat, vt transiret, inquiens, ex hoc mundo: ita enim conueniebat etiam tempori paschali, ipsíque adeò nomini, quod Hebræis transitum (authore etiam Chrysostomo) sonat. ¶ Porrò euangelista sic ait, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Suos vocat apostolos, quos ex vniuerso mundo elegerat: eósque dilexit in finem: quoniam propter ipsos totiúsque etiã mũ-
August. di homines mortuus est. Augustinus hoc ad altiorem euocat intellectum, putans exiguum illum esse amorẽ, qui cum morte moritur, & definit: cùm tamen Christus suos semper & sine fine diligat: ideo intelligit Christum dilexisse suos in finem, hôc est in seipsum: cum Christus finis est legis ad
Rom.10. iustitiam vnicuique credenti: ipse pascha nostrum est, ipse noster finis est, in eo sunt omnes gressus nostri cogitationes quoque omnes & sensus. 2 Facta cœna, non illa corporis & sanguinis Christi Iesu, sed paschalis agni secũdum consuetudinem Iudæorum in lege positam. Tũc postquam lauit discipulis suis pedes, demum altaris sacramentum instituit. Figuratus enim ille paschalis agnus, non tanta indigebat præparatione & munditia, quãta nostrum hoc sacramentum. Hinc aduerte. Cùm Iudæi tam diligenter se præ-
Ioan.11 parauerint ad paschalis agni esum, vt Ioannes ait, Proximum erat pascha Iudæorum, & ascenderunt multi Hierosolymã de regione ante pascha, vt sanctificarẽt seipsos. Cum etiam Christus ante institutionem sacramenti prius pedes lauerit, quò satis apertè iudicauit, quam multò maiori præparatione nos debeamus sacramẽtum suscipere. Quid ita-

quae nostri faciunt Neochristiani,qui tam turpiter impara-
ti,inconfessi,à foro redeuntes,accedunt sine deuotione, &
ore polluto sacramentum sumunt,sicut Iudas?Non mirum
si terra dehiscens,illos deglutiret vt Core,Datan & Abirō.
Neque tamen impunes euadent,sed de hoc aliâs. Ioannes *Num.16*
inquit,Cœna facta non intellige finitam esse prorsus.Nam *Ioan. 12.*
vt Augustinus rectè colligit, Christus interim discubuit à
pedum lotione,intinctum quoque panem Iudæ dedit. Ad-
uerte hinc cœnam non omnino peractam esse,sed solum a- *Augu.*
gnum Paschalem comestum,quem secundum legem festi- *Ioan.13.*
nanter & properè edere oportebat. Cum diabolus immisis-
set in cor Iudæ vt proderet eum. Intellige diabolum com- *Exod. 12*
mouisse sensualitatem Iudæ per impressam imaginem,qua
deinde ad malū eiusvoluntas est prouocata. Ipse enim non
potest sine medio operari in nostram voluntatem,nisi in
sensum nostrum:sicut Augustinus dicit, Ideo nobis scien-
tia boni & mali datur,quia sunt spiritus mali & boni. Hîc *Augu.*
verò plurimū refert cui se voluntas hominis applicet,quod
Dauid ait,Immissiones per angelos malos. Sed malitiā Iu-
dæ vide,inquit Chrysostomus,à qua eum non conuiuium, *Psal.77.*
non cōmunio mensæ potuit reuocare. Mouere tamen pote *Chrysost.*
rat,quòd omnia à patre Christo tradita erāt. Vnde etiā Iu-
das inChristi potestatem à patre erat traditus,vt diuus Au- *Augu.*
gustinus ait. sed piscatoris hîc artificium considera, qui ma
gnā Christi humilitatē descripturus,prius magnā eius ma-
iestatē indicat,omnia in potestatē sibi suam à patre esse da-
ta inquiēs:sed vide hîc,qui ex altissimis à patre egressus est, *Cyrillus*
sese humiliat:qui verò à diabolo, se supra dei filiū extollit,
inquit Theophylactus. Christus surrexit à cœna, & posuit *Theoph.*
vestimenta sua. Quater vestes suas deposuit Iesus, iā in lo-
tione pedum,flagellādus,illudendus,crucifigendus. Signifi
cat hoc quatuor hominū genera, Nōnulli homines facilè *Hierony.*
ad deū cōuertūtur,alij difficulter,alij vix in fine vitæ,alij nū
quam,vt dānari. Euegelista quinque describit maximæ hu-
militatis in Christo indicia. Deposuit vestimēta sua,intelli
ge superiora illa,nā seipsum exinaniuit ī forma dei existēs
Deinde linteo se præcinxit,formam enim serui induit,quia
humanitas linteū fuit. Tertiò aquā in peluim fudit. Effudit
enim in cruce suū sanguinē super terrā in peccatorū remis-
sionem. Postremò pedes lauit,& linteo extersit. Quid sibi

hæc velint, mox audiemus. Dubitant doctores in quo apostolo cœperit lauare. Origenes eum à minimo cœpisse sen-
Origenes. tit, sicut in parabola paterfamiliâs ab vltimis incipiebat: sic
Mat. 20. quoq; Christus omnes lauerit, & postremò ad Petrũ peruenerit, qui amoris ardore solito renuit. Chrysosto. existimat
Chrysost. Iudã primũ lotum esse, qui id hominis stulti & stolidi more perpessus est. Christum nãque nihil reuerebatur. August. vult eũ in Petro apostolorum principe cœpisse. Qui vt Cy-
August. rillus ait, solita reuerentia renuit, quod ille quem confessus
Cyrillus. erat dei viui filium, sibi lauaret pedes: quasi diceret, Tu domine mihi lauabis pedes manibus iisdem, quibus cælos cõdidisti, leprosos mundasti, mortuos resuscitasti! Non lauabis mihi pedes in æternum. sed modestè hunc Christus reprehendit, nescire dicens eum iam quid faciat, sciturum autem postea, cùm ad humilitatẽ eos iam admoneret, siue cũ sacramentum institueret. Minatus quoque huic est, Si non lauero te, non habebis partem mecum. Cyrillus inquit, Nisi admirabilem meam de humilitate doctrinam accipias, ni-
Cyrillus. hil mihi tecum cõmune erit: & si nõ gratia mea sordes peccatorum tuorum lauero, non erit cœlestis regni particeps.

4 Audiens sententiam domini Petrus, hinc amore, isthinc metu distinebatur, maluit tamen Christum corã suis pedi-
Theoph. bus humiliari, quàm sua se portione carere: dicebat ergo, Domine, nõ tantũ pedes, sed & manus & caput. hoc est, omnia mẽbra mea. vnde docemur magistratuũ mandatis non resistere, sed obediẽter eis parere: tunc etiam, cùm putamus nos illos iniqua imperare, cogitare debemus potius eos melius nobis rẽ intelligere, atq; sic in optimam partẽ aliquod faciendũ mandare. Pertinax satis erat primùm Petrus in recusando quod offerebatur, sed seriã audiens domini senten-
Chrysost. tiam, facilè admisit, vtrunq; adeò illud ex charitate fiebat, quomodo sapiẽtis esse agnoscitur, ex rationabili causa mutare propositũ. Qui lotus est, inquit Christus, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Sermo hic obscurus est, & satis inuolutus, Doctores hinc colligunt aposto-
Ioan. 13. los esse baptizatos, nõ tantùm à Ioãne, qui baptismo suo etiam ipsius testimonio non mundabat: sed etiam à Christo priusquã cõmissionem baptizandi ab eo acciperet. & quan-
Augu. uis ipse per se Christus turbas nõ baptizabat, vndecũque ad ipsum confugientes, apostolos tamẽ creditur baptizasse, si-

cut hîc innuit. Sed hîc mouetur fortaſſe quis, & dicit, Imo ſi mũdus eſt totus, quid ei opus eſt vel pedes lauare? Aut nõ pedes etiam mundat baptiſmus? Ad hoc ſanè reſpondetur, Quia tres ſunt in hominis anima partes, ſuprema illa mens ſeu ratio, & eiuſdem rationis pars inferior, atque corporea iſta ſenſualitas. Quanuis igitur hominem emundat baptiſmus, tamen quandiu ille in hoc mundo viuit, tantum ſibi cauere non poteſt, quin aliquando peccet vel cõcupiſcẽtia ſaltẽ in hoc mortali & peccatis obnoxio corpore, ſubinde áffectibus malis veluti fumis ex incẽdio carnis exurgentibus. Quapropter & Ioannes dicit, Si dixerimus quia peccatum non habemus, ſeducimus noſipſos. quod & Paulus nõ ſemel conqueritur. Pedes itaque illos lauare debemus ſemper, ſine quibus in terra viuere non poſſumus: atque hoc eſt quod ſponſa ait, Laui pedes meos, quomodo coinquinabo illos? Hoc etiam illud eſt, quod de palmitibus in euangelio narrat dominus, dicens eos continua purgatione indigere, in hoc vt fructus afferant. Sic ergo diſcipuli mundi iam antè erant capite, quo vniti deo inhærebant per fidem & charitatem Mundas quoq; manus habebant per opera ſua bona. Verùm pedes eorum ipſius ſenſualitatis, quando vitio non carebant, iugi & aſſidua emundatione opus habebant. 1. Ioan. 2 Rom. 7 Cant. 7 Ioan. 15.

50 Lotione pedũ iam peracta, reſidet dominus, reſumptis, quas antea depoſuerat, veſtibus. Sedẽs ergo ad doctrinam, ait, Scitis quid fecerim vobis? hoc eſt, magnũ illud humilitatis opus perpendite. Dominũ deinde ſe & magiſtrum vocat, nõ vtiq; ex ſuperbia aut ambitione, ſed in beneficiũ & doctrinã noſtram: vt ſciamus cùm ſit neceſſarium, conditionem, dignitatémque officij non celare, ſed indicare, modò ne id fiat per arrogantiam, ſed vt inde alij, quid facere debeant, admoneantur. Sic Paulus inquit, Si voluero gloriari non ero inſipiens: veritatem enim dicam. Dauid ait, In domino lætabitur anima mea. quod ſi igitur anima ſerui lętatur in domino, quanto potius anima domini? vt iã nec malè nec immeritò coram diſcipulis ſuis ſe Chriſtus & dominum profiteatur & magiſtrum: quin magis videant illi exemplum humilitatis, quod ipſe dominus & magiſter eorũ lauerit pedes: vt ſic illi exemplum hoc imitantes, eandẽ humilitatem facto & opere exprimãt: quoniam ſcire bonum, omnium eſt: facere autem, non omniũ, ait Chryſoſtomus, 2. Cor. 11 Pſal. 33 Chryſo.

Lauare, inquit dominus, etiam vos debetis alter alterius pedes per quod intelligi vult. quodlibet opus bonũ proximo nostro exhibendũ. Quotiescũque enim proximo homini remittimus, quę aduersus nos commisit, pedes ei abluimus. Quandocũq; pro peccatis aliorũ deum deprecamur, pedes eorũ lauamus: cui etiã absolutioné peccatorũ à deo deprecatur & petit sacerdos, eidé pedes abluit. Ad literã quoque seruarũt hoc sancti homines primitiuę ecclesię, lauantes a-
1. Tim. 5. liis pedes humilitate atque exemplo Christi. vnde & Apostolus cùm viduam bene meritam commendaret, si hospi-
Augu. tio, inquit, recipit, si sanctorũ pedes lauit. Idcirco B. Augusti. admonet etiã, & hortatur ad corpoream pedum lotioné quãuis præstet spiritualiter implere, & subinde pedes affectuũ & concupiscentiarũ abluere, ut sic penitus emũdati in hac vita, mundi, sine ruga, omníque labe & macula ingredi possimus in vitam æternam. Quod nobis donare dignetur dominus noster Iesus Christus per meritum suæ amarissimæ passionis & mortis. Qui est in secula benedictus, Amé.

DE VERA PRÆPARATIONE AD SVCIPIENDVM VENERABILE CORporis Christi sacramentum, in die sancto cœnæ dominicæ.

NOtandum hîc est prædicatori, vt si forte de susceptione sacramenti dicturus sit alia die, quàm hac ipsa cœna domini, vt ferè fit feria quarta proximè præcedẽti, euangelium accipiat de tempore, vel aliud de corpore Christi.
Part 3 ¶ Deinde plura super huius sacramenti materia & de veneratione eiusdem, require in ordinario illo festo corporis Christi. ¶ Similiter contra hæresim de vtraque specie, & de errore quo asseritur remanere hîc panem & vinum, vide homilias in parte de sacramentis, & alia multa inuenies in locis iam citatis.

HOMILIA I.

TRansiturus dominus noster Iesus Christus ex hoc mũdo, & corpus suum illaturus sideribus, in memoriã sui dilectissimis discipulis & charissimæ sponsæ vniuersę eccle-
Augu. się hoc venerabile instituit sacramẽtũ sacratissimi corporis & sãguinis sui, vt sic quotidie offerretur in mysterio, quod semel oblatum est in precium: & vt quemadmodum semel omnes homines redemerat dominus, quæ etiã perpetua futura

tura esset redẽptio, ita illius sacrificium quoddam iuge foret & perpetuum. Atque vt amici boni si quando discedunt ab inuicem, memoriã sui prius mutuò inter se firmant, firmatámque relinquũt, & muneribus vltrò citróq; datis stabiliunt: ita Christus quoque in sui cõmendationẽ & memoriam cum discipulis suis manducauit hanc cœnã: quod ipse etiam non reticuit, dicens, Desiderio desideraui hoc pascha mãducare vobiscum antequã patiar. Dedit insuper illis corp⁹ & sanguinẽ suum in cõmemorationem & memoriã sui, sub speciebus panis & vini, Hoc facite in meã cõmemorationem. qua voce testatus est se præsentem perpetuò fore apud nos in hoc venerabili sacramento: sicut & post resurrectionem promisit, dicens, Ecce ego vobiscũ sum omnib⁹ diebus vsque ad cõsummationẽ seculi. ¶ Sacramentum hoc sæpius accipere debent Christiani, sicut in primitiua ecclesia fiebat, iuxta illud Lucæ. Quotidie perdurabãt vnanimiter in templo frangẽtes circa domos panes, quãuis hæc deinceps communicandi frequentia non parum refrigescentibus paulatim animis hominum, cœpit intermitti, quãdo solis diebus festis communio obseruabatur, & id quoque non diu dehinc enim, quãdo iam solẽnibus festis vix paucis ad cõmunionem veniebãt, statuit ecclesia, ter in anno suscipi debere hoc sacramentũ, sicut ex Agathẽsi & Elibertano cõciliis satis liquet: adeò, vt quisquis hoc nõ faciebat, ꝓ Christiano nõ haberetur. Postremò extincta iã omni pietate, & vix scintilla aliqua pristinæ disciplinæ remanente, per vniuersum Christianũ imperiũ in amplissimo quodam cõcilio ex vniuersa tam Græca, quã Latina ecclesia cõgregato, decreuit catholica ecclesia, vt quilibet Christianus tẽpore Paschali sacerdoti ꝓprio cõfiteatur, cõfessúsq; venerabile sacramẽtũ Eucharistiæ suscipiat. Idque adeò omnes pij & catholici homines hactenus in hæc vsq; nostra tẽpora sanctè & religiosè obseruarũt, tantúmq; factiosi & schismatici isti Neochristiani illud iam violare attentant. Quãuis nõ pauci adhuc inter Christianos supersunt, qui vltrò sæpi⁹ in anno se ad hoc sacramentũ religiosè parant, & piè suscipiunt illud: vt die sancto Pentecostes, festo assumptionis Mariæ, Omnium sanctorum. Natalis domini, & quandocunq; pio aliquo ad illud mouentur affectu. ¶ Sed nos iam dicere aggrediamur, quo quisque modo præparare se debeat ad hoc

Luc. 22.

Mat. 28.

Act. 2.

De conse. dist. 2. ca. Omnis homo. c. seculares.

C. omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss.

gloriofiſſimum Euchariſtiæ ſacramẽtũ dignè ſuſcipiendũ.
1 Et principio quidem obſerua ſacramentum hoc quadrifariam conſiderari poſſe. 1 Vt ſacramentum ſiue ſignum externum & ſenſibile, ſub quo verum Chriſti corpus verúſque ſanguis continetur, quomodo vſurpatur in ſolenni illa feſtiuitate corporis Chriſti, quando magnificè circũfertur.
2 Conſideratur etiam in quantum ſacrificium: & ſic vtitur eò ſacerdos in officio miſſæ, poſt conſecrationem, offerens illud pro viuis & defunctis. 3 Vt cibus & cõmunio, quo pacto nunc & aliis quibuſdam tẽporibus vſurpatur. Quartò & vltimò, pro viatico, & ſic dari ſolet morituris, & iamiã ex hoc exilio migraturis.
2 Quiſquis hoc venerabile ſacramentum ſuſcepturus eſt, cauſas prius expendat ſecum & ponderet diligenter, cur illud velit intendátque ſuſcipere. Et ſunt quidem cauſæ potiſſimum quatuor: quarum prima eſt, vt id faciat non tantùm in commemorationem, ſed etiã gratiarum actionem paſſionis & mortis Chriſti: quoniam hoc ipſum cõmiſſum eſt à Chriſto, cùm diceret, Hoc facite in meam commemorationem. In cuius rei figuram agnus quoq; ille typicus nõ niſi aſſus manducabatur, ad deſignãdũ ignem deuotionis. Et ſi deuotè ſuſpiciendum eſt hoc tantum ſacramentũ, non poteſt vtique hoc fieri cõmodiùs, quàm cum commemoratione paſſionis dominicę. Quamobrem cõſultum eſſe exiſtimauit eccleſia eodem tempore ſacramentũ ſumi debere, quo paſſio Chriſti recolitur. Id enim ſignificatũ quoque iã olim eſt in figura, quando Moyſes virga percuſſit petram & fluxerunt aquæ: ſic etiam tu petram cordis tui durã percute virga crucis Chriſti, & effluet inde aqua deuotionis, quando ex omnibus rebus non eſt quod magis efficaciúſq; nos cõmoueat, affectúmq; excitet & erigat in deum, quàm paſſionis dominicę frequẽs meditatio. Quod & Bernardus ille magnus paſſionis Chriſti cõtemplator agnouit: ideóq; & dixit, O piiſſime domine Ieſu, ſuper omnia te mihi reddit amabilem calix quẽ bibiſti, opus redemptionis noſtræ.
¶Neq; verò paſſionẽ Chriſti tantũ recolere debet quilibet homo pius, verumetiã beneficia omnia ſibi diuinitùs collata, creationem tum noſtri, tum vniuerſi mundi propter nos illam potentem rerum omnium gubernationẽ, charitatem quoque ſupereminentem, qua vſque adeò feruenti proſecu

Luc. 22 *Exod. 12* *Exo. 17* *Bernard.*

tus est nos, vt filio etiam vnigenito suo non parceret. Huc accedat diligens passionis Christi per omnes partes cõtemplatio: & quomodo ille semper & vbique, siue prædicarit, siue ieiunarit, siue orarit. quid multa? in omni vita cõuictũque suo nostri meminerit, & recordatus subinde fuerit in optimam partẽ: sed tacito adhuc instinctu loquitur in cordibus nostris, quę quantáq; nobis exhibuerit beneficia Secunda ratio, quæ ad tam preciosam tanti sacramenti thesaurum suscipiendum mouere debet, hæc est, Vt memineris susceptrum te pignus tum charitatis, tum misericordiæ dei. Reliquit enim nobis sacramẽtum illud Christus in memoriale sui perpetuũ, & in pignus summæ suæ erga nos charitatis: vt iam nos dicere queam⁹ cũ Dauide, Quã magna est domine multitudo dulcedinis tuæ. Et meminisse itaque & non ingratos nos esse oportet de tãta charitate Christi, quã erga nos habuit, vt corpus quoque propriũ & sanguinẽ nobis relinqueret abiturus, iuxta quod promiserat. Panis quẽ ego dabo. caro mea est, pro mũdi vita. Aut quod tandẽ nobis vel preciosius vel sanctius amoris sui pignus relinquere potuisset deus, quã corpus proprium? ¶ Tertia porrò causa est, vt recorderis te remedium acceptutũ animæ tuæ, quando verus ille medic⁹ noster est Christus, vel suo ipsius testimonio, dum Samaritano se cõparat, vinum & oleũ infundẽti vulneribus illius: nãque simili etiam modo ille animabus nostris mederi volẽs, hoc sacrosanctum instituit sacramentum. Vnde & ecclesia beneficium istud agnoscẽs orat, Purificent nos quæsumus domine sacramenta tua quę sumpsimus, sint ablutio scelerũ, fortitudo fragilium, cõtra omnia mũdi pericula firmamentũ. Postremò ratio quarta assignatur ipsa sancta obedientia, vt sic cogites suscipiendo, sacramentũ te facturũ quod obediẽtẽ sanctæ matris ecclesiæ filiũ decet, quę illud tibi ad hoc tẽpus facere mandauit. Atque hoc modo sequaris illud Sapientis cõsilium, nec dimittas legem matris tuæ: quia melior est obediẽtia, inquit Samuel, quàm sacrificium. Quid multa? sit hęc constans apud te sententia, quòd hoc sacramentum suscepturus sis in gloriam quidem dei, sed simul quoque in animæ tuæ commodum & salutem.

Ioan. 3 *Psal. 30.* *Ioan. 6* *Matt. 9.* *Luc. 10* *Ecclesia* *Prou. 6.* *1. Reg. 15*

3 Quandoquidem sacramentũ hoc sumunt boni & mali, quãtumuis inæquali sorte, vt ille cecinit, vitæ, vel interitus:

quilibet apud se prius consideret & expendat diligenter, vt illud sibi in vitam suscipiat, & non ad mortem, sedulò obseruans illud Pauli, Probet seipsum homo, & sic de pane il-
1.Cor.11. lo edat, & de calice bibat. Quisquis enim mãducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit nõ diiudicans corpus domini. Caueat itaque & summopere sibi prospiciat quilibet Christianus, ne hîc sibi iudicium manducet. id autem fiet, cùm se pro viribus præparare studebit, vt non tantùm deuotè illud suscipiat, sed deinceps quoque à peccatis
Hebr.11. abstineat. Et quia fides, teste Paulo, rerum sperandarum est substantia atque argumentum non apparẽtium, omnis illa præparatio à fide incipere debet & proficisci tanquam fundamento. Quomodo Christus etiam virum sapientem ædi
Matt.7 ficare docuit super fundamentum illud, non super arenam.
¶ Quid autem sit circa hoc sacramẽtũ Christiano homini credendum, quãuis ampla sit materia propter neochristianorum simul & veterum hæreticorum innumeros errores: cùm verò vos stabiles & firmi sitis catholici, iis omissis, nos breuiter ea vobis explicata dabimus, quę multis retro seculis de hoc sacramẽto per vniuersum Christianismũ credita sunt & obseruata, eáque consistunt in iis quatuor membris
1 Primùm omnium firmiter credere te oportet. sub illa quam cernis specie panis, verum esse corpus Christi, totum inquã illũ Christũ, vt est ex virgine matre natus, cũ hominibus in terra conuersatus, flagris cæsus, in crucem suffixus mortuus & sepultus, vt deinde resurrexit, ascendit, in cœlum, & nũc sedet ad dexterã patris. Eius rei quod habere cupis testimoniũ certius, quàm verissimũ illum veritatis ipsi⁹
Ioan.6 sermonem, quando dixit iam Iudæis. Caro mea verè est ci-
Matt.26 bus, & sanguis meus verè est potus nec multò pòst discipulis quoque, Hoc est corpus meũ. Quòd si incredulus adhuc clamas, qui fieri possit, vt sub tantula panis forma totũ lateat corp⁹ Christi, quod qua est magnitudine, pedes & manus habet? Ad hoc sanè respõdetur, naturaliter id fieri non posse: verũ si rursus omnipotẽtiã cõsideremus dei apud quẽ
Luc.1 non esse impossibile omne verbũ, Gabriel testatus est cedit omne iudiciũ rationis humanę verbo dei: captiuatur etiam
2.Cor.10 intellectus noster in obsequium fidei, quæ vtique meritum
Gregor. nõ habet, vbicũque humana ratio prębet experimẽtũ quãuis hîc quoque nõ desunt signa & indicia quædã naturalia,

de quibus aliâs. Ecce enim anima tua nihilo nũc est maior sub illa quãtitate & magnitudine, quã olim, cùm puer eras.
2 Deinde crede totum Christi corpus esse sub hostia & qualibet etiam illius parte, sicut & iã vnum idémq; Christi corpus sub multis hostiis est, quãtũuis nihil interim minus illud rorum in cœlo manet ad dexterã patris. Idq; totũ præstat omnipotentia diuina, quæ etiã facere potest, vt corpus vnum in multis locis simul existat totũ, quẽadmodũ & anima in qualibet manu est tota: quãuis etiã id nobis est incõprehensibile: vtur sit naturale, atq; ideo Aristotelẽ etiã non latuerit. Nec multò aliter deus accepit de spiritu Moysi, & dedit viris illis septuaginta: neque tamen spiritũ Moysi vel ademit vel imminuit. Similiter quoque Eliseus & domi suę erat, & apud Giezi, quando munera accipiebat à Naaman. 2. de ani.
Sic Ambrosius Mediolani existens in cathedra sua, Turone *Augu.*
quoque fuit in funere sancti Martini. Sequitur ergo, laicos 6 de trin.
nõ minùs sub parua accipere hostia, quã sacrificus suscipit *Nume.* 11
sub magna, quãdo sub vtraque Christus est torus. Præterea 1. *Reg.* 5.
colligitur ex illo, fracta iã à sacerdote in tres partes hostia *Ambr.*
sub sacrificiũ missæ, sub qualibet illa particula nõ minus totũ esse christi corpus quã antea sub vnica ista magna fuerat eò quòd totum illud corpus sub quacũque data hostiæ parte est tota, quanuis fractio quoque suo nõ careat mysterio.
3 Firmiter item crede substantiam panis, per verba sacerdotis ad hoc à Christo instituta, trãsmutari in corpus Christi per omnipotentiam dei, remanentibus tamen deinceps adhuc omnibus accidentibus panis: cuiusmodi sunt albedo suauitas, figura, durities, & similia plura Si enim potuit de⁹ ex Adæ costa iustum cõficere corp⁹ mulieris: si ex muliere, vxore scilicet Loth, statuã salis facere potuit: ex virga Moysi serpentem, ipsósq; adeò Ægypti fluuios in sanguinẽ vertere, si diuinæ nõ restitit potestati, sicut ex aqua vinum facere: quis iam terminos & limites certos omnipotẽtiæ diuinæ cõstituere volens, nõ permittet etiam illi hoc, vt ex pane corpus Christi possit facere? Quàm verò impiè credere hoc nolunt hæretici, quod credidit iam olim diabolus, dicens Christo, Si filius dei es, dic vt lapides isti panes fiant? Ecce diabolus non ignorauit filium dei verbo posse ex lapidibus panes facere, & neochristiani credere nolunt illum posse panem in corpus suum transmutare: quanuis autẽ na-

Ge. 2. 19. *Exo.* 4. 7 *Ioan.* 2 *Mat.* 4.

turaliter non fiant ex lapidibus panes:quotidie tamē & naturaliter quidē panis,licet temporis successu,in corpus nostrum cōuertitur. Sequitur etiam inde,quomodo in confirmationē fidei nostræ,deus naturales actiones omnes relinquit hîc simul cū accidentibus panis,quæ aliâs in pane fiūt. pascit enim hostia,& ni conseruetur,putrescit:aut bene aut malè sapit,cadit,&c.simile quoque de specie & actionibus vini iudicium est. 4 Constanter crede,quando & corpus
Rom.6. Christi præcipuè sub hostia latet, & Christus cum resurrexit semel,iam amplius nō moritur, corpus Christi hîc non esse sine anima,velut mortuū. & cōsequēter illud exangue nō esse,si modo verū est,vt est sanè verissimū, quod dicitur sanguinē sedem esse animæ. Deinde nō abesse crede ipsam
Damas. quoque deitatē Christi:quia iuxta regulā Damasceni,quicquid deus semel assumpsit,nunquā dimisit. Aliâs quoq; re-
Luc.1. gnū illius non esset sempiternū,sicut annunciauit Gabriel. Quatuor itaq; suscipis,dū sacramentū hoc suscipis, corpus Christi,animā,sanguinem,& deitatēChristi. Deinde laicus quilibet minus nō suscipit sub parua panis hostia,quàm sacerdos vel sub magna,vel vtraque etiam specie. Vt iam turpiter errent neochristiani omnes,dum sacramentū hoc sub vtraq; tantùm specie habere & suscipere volunt, quāuis sacerdos tenetur sic tantùm sub vtraque celebrare. Qua de re aliâs. Præterea cùm calicem tibi post sumptū sacramentum porrigit sacerdos,non est quod putes sanguinē ibi te bibere Christi,sicut in missa sacerdos, sed purū id noris esse vinum:nō est itaque cur reuerentiā aliquam aut honorē exhibeas calici,ne putent simpliciores huiusmodi cultu se venerari sanguinem Christi. 5 Ex iis iam vltrò sequitur,quàm preciosum,magnū atque adeò nobilissimū suscipias in hoc sacramento thesaurum, quanuis enim sacramēta omnia vt sunt preciosissima,ita efficaciā quoq; suam habeant ex passione Christi, è cuius etiā latere velut vino quodam latice promanârūt:sicut Augustinus super Ioānē declarat:hoc ta
Ioan.19 men reliqua omnia longè superat,quę signa tantū sunt gratię diuinę,cùm interim hîc ipse sit Christus corpore,anima quoq; & sanguine. In hoc sacramēto potissimā donat deus gratiā,quamobrē & illi solitô magis gratias agimus : vnde veteres etiā eucharistiā appellârunt,ac si tu dicas,bonitatē, gratiam seu gratiarū actionē. Tu itaq; quisquis Christianā

fidem profiteris & religioné,ardenti animi tui affectu propera ad thesaurum hunc tantū dignè suscipiédum. dic cum Dauide, Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te deus. Sitiuit anima mea ad deum fonté viuum, quādo veniam & apparebo ante faciem dei? Nam quisquis sacramētum hoc dignè & reuerenter suscipit, multis modis in eo augetur gratia dei, tādémq; copiosi⁹ in ęterna patria remuneratur, sicut ait per prophetam dominus, Exęquabit gratiam gratię eius: gratiā scilicet huius vitę in proportione, adæquābit isti gratiæ beatitudinis & gloriæ æternæ. Deus & dominus noster omnibus & singulis nobis misericordiam donare dignetur, qua freti dignè suscipiamus hoc sacramentum, & post hanc vitam læti appareamus ante faciem dei in æterna patria, Amen. *Psal.* 41. *Zach.* 4.

HOMILIA II. DE VENERABILI *sacramento altaris.*

Bona magnáque pars fidei nostræ in articulo huius sacramenti posita est, quanuis articulus ille de vna trium personarum essentia potior est aliquantò & maior, quomodo genito ex patre filio, & procedente ab vtroque spiritu sancto, personæ illæ tamen tres coæternæ sint & coæquales. Deinde si naturalem intellectum nostrum & rationem quæramus, impossibile esse videbimus, hominem ante sex mille annos demortuum, cuius putre cadauer non in terræ puluerem tantùm, sed herbas etiam & pecorum corpora versum iam sit, rursus in singula membra coalescentem reuiuiscere. hoc inquam natura ne tantillum quidem assequitur, verùm quæ vltra naturam eleuata est fides, hæc intelligit. Omnia illa videre vtique non potes oculis & lumine intellectus tui, sed aliunde oportet petas, & vel ex mutuo sumas, vel emas conspicilla veluti quædam, siue oculos fidei: eósque inuenies penes ecclesiam catholicā. inde quoque petito, quò hîc maximè opus est, scutum fidei, dū proprio captu assequi hæc tanta mysteria non potes, ecclesiam sequere, huic te adiunge: quod illa de isto sacramento credit, tu crede: quæ sanè & præsentanea & potissima est medicina, aduersus omnes diaboli inquietationes & suggestiones. Atque ideo dominus quoque cæcis ad se venientibus dixit, Creditis quia hoc possum facere vobis? & dicentibus illis, Vtique domine, iniunxit ipse, Secundum fidem *Ephe.* 6. *Mat.* 9.

vestram fiat vobis. Sic & Marthę dixit dominus, Nónne di
Ioan 11. xi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam dei? Ad eundē modū dici potest cuilibet Christiano, quia si crediderit videbit mirabilia dei: siquidē illud ipsum sacramentū, cibus
Psal. 110. quidē est miraculorum & esca: iuxta illud Dauidis, Misericors & miserator domin' escā dedit timētibus se, in memoriam suorum mirabilium. Vbicunq; firmum illud fidei fundamentum positū non est, omnia corruūt. Itaq; in fide aliquis iā bene eruditus & institut', quo pacto deinceps in tā arduo & serio negotio gerere se debeat, porrò expediam'.

1 Principiò ad mensam sacratissimi illius cōuiuij accessurus, se prius paret diligenter & probet, neque illotis (quod aiūt) pedibus irruat in rem sanctā adeò & magnam nihilo brutis existens inferior. Quin potius antequā quis accedat sacrosanctū illud suscepturus sacramentū, cōcepta iā recta fide, sicut eandem habet catholica ecclesia, deinceps suam probationē sic instituat Et primùm quidē, ciuiliter loquēdo, nullus ad magnorum virorum cōuiuia accedit, nisi probè purgatus & mundus, lotis etiam manibus, & purioribus indutus vestimētis, solicitus omnino, ne quid minus ciuile & vrbanum committat, quanto magis anxiè diligentē esse decet, qui ad mēsam hanc dominicam venire properat: in qua salutis suæ summa cuiq; vertitur, ne pollutus accedat & immundus? prima itaq; præparationis huius pars in emūdatione cordis consistit & purgatione, non tātū ab omni peccato, verūetiam peccandi voluntate. Ita enim deus per Hieremiam, Laua, inquit, à malitia cor tuum. & Sapiēs, ad eum qui sacramentum hoc suscipere cupit, ait, Ab omni peccato emunda cor tuum. ad idem cohortās nos Paulus, admonet mundare nos ab omni inquinamento carnis. Ea verò purificatio quomodo fieri debeat in sacramēto pœnitentiæ dici solet: quādoquidē quilibet homo apud semetipsum diligēs esse primū debet in recogitādis peccatis suis, in examināda conscientia, deinde in cōtritione & cōfessione desuper instituendis: quia quisquis nō ex animi sui affectu pœnitētia ducitur peccatorum, ita vt velit nullum se cōmisisse vnquā, nec dignè, neq; ad salutem sibi māducat corpus Christi. Similiter quicunq; non omnia perfectè peccata cōfitetur, sed aliqua ex iis reticet, vel ea leuitate oscitabundus cōfitetur, vt facilè aliquid omittat, itē sacramentum hoc in peccatum

Purgatio cōscientiæ

Hiere. 4.

Eccle. 18.

2. Cor. 7.

ſumit ſibi vt Iudas: Commonefaciẽda igitur hîc præcipuè eſt iuuentus,quæ tũ pudore & verecundia.tum metu percita atq; timore leuiter aliquod peccatũ celat,nõ cogitãs interim dãnũ iſtud immẽſum & ſalutis animæ ſuę detrimentum,inde ſibi enaſcẽs & proueniẽs,ex iſta indigna ſanctiſſimi ſacramẽti ſumptione, vt integrè confiteatur, nihil celet,nihil taceat:& ſic corpus Chriſti manducet ad vitã:aliâs ſibi futurũ eſt quod ſcabioſis cõtingere ſolet,qui cũ manus habeant purulẽtas & ſanie madẽtes,perſuaderi etiã nõ poſſunt vt proferãt.Exhortetur inſup & admoneat hîc quoq; pater liberos ſuos,paterfamiliâs familiã omnem,vt cũ exactæ vitæ ſumma pœnitentia confiteantur, quãdo fieri ſolet non raro,vt priuata huiuſmodi ſiue parentũ,ſiue patris aut matris familiâs admonitio plus ꝓficiat apud ſubditos, quã magni prædicatoris grauis & valida in frequenti concione prædicatio:faciat hoc idem quilibet ludimagiſter inter pueros & iuuenes diſciplinæ fideíque ſuæ commiſſos : faciat id quiſque etiam manuarij operis artifex cum pueris & ſeruis ſuis,vt ſic omnes illi expurgato,quod in ſe habebãt fermẽto veteri,in nouitate ſpiritus paulatim ambulare diſcant. 1.Cor.5.

2 Neque ſic nuda illa ſatisfacit confeſſio,inſuper quoque diſpliceant cuilibet oportet peccata cõmiſſa,& cõſtans bene obfirmato animo cõcipiatur propoſitum porrò peccata vitare,& in bonis operibꝰ ſedulò ſe exercere,quia niſi à peccatis auerſi fuerimus & omnino peccati occaſionem quoq; & cauſam reiecerimus,nec cõfeſſio etiam integerrima, neque cõtinua ieiunia, neq; in vniuerſum omnia nobis quicquam proderunt ſacramenta:iuxta illud Augu Niſi pœniteat aliquẽ veteris vitæ,non poteſt nouã inchoari.Pręterea ocioſa quoq; blaterandi vanitas vitanda, & ridẽdi fugiẽda laſciuia eſt, quando in multiloquio rarò deerit peccatum. Omnino itaq; talẽ quiſq; ſe hac ſeptimana præbeat , tã ſeriò omnia agat, tanta præditus ſit in omnibus maturitate, quaſi rẽ habeat præ manibus(ita vt verè eſt) maximi põderis & præiudicij:faceſſat hinc omnis leuitas,cedat quicquid eſt vanitatum mũdi,quia bonum eſt in ſilẽtio expectare ſalutare domini.¶Et quẽadmodum à verboſa petulãtia ſibi iam cauere debent omnes Chriſtiani,ita & à malis vaníſq; cogitationibus (in quibus multũ ſanè eſt periculi) tẽperare debent:quoniã ideo pręcepit dominus, Lauamini, mũdi

Auguſt.

Pro.10.

Thre 2.

Eſa.1.

estote, auferte malũ cogitationũ vestrarum ab oculis meis. Declinandum itẽ est quicquid est conuictus externi, ad peccatum prouocantis, conuiuia non agitāda, sodalitates relinquẽdæ, vitandæ quoq; personæ quibus cũ peccaris, aut vnde peccādi tibi causam sumpseris: quod hæc omnia eiusmodi sunt, quæ impedire possunt & solent cōsciētiæ puritatẽ. Quia quisquis picem cōtractauerit, coinquinabitur. (Vide de omnibus illis in sermonibus de sacramento pœnitẽtię.)

¶Tale propositum firmũ vtiq; & cōstans habere decet peccata vitandi, ídq; esse cōuenit adeò stabile & fixũ, vt vbi primùm retrospicere pergat ad pristina peccara, instar vxoris

Gene.19. Loth, statim immũdus efficitur: quoniā quisquis missa iam

Luc.9. ad aratrum manu, aspexerit retrò, aptus nō est regno dei: vt iam sit hæc certa & cōstās regula, quia omne peccati propositum, peccatum est. In hoc veluti speculo se vitámq; suam contemplentur omnes cōcubinarij, omnes qui vel mẽsuras iniquas vel alia vasa habuerint deprauata, quotquot clauibus vtũtur adulterinis, & incātationib' gaudẽt: oppida quoque & ciuitates, quę consuetudinẽ aliquā prauā retinent, nec abrogāt, vsurarij, lusores, & id genus reliqua fex hominum. Quid multa? omnes qui cùm sint & viuant in peccatis, animum nullum habent desistendi ab illis, aut desinãt, aut sciāt se sacramentũ nō aliter ac Iudas sumpsit, accipere.

3 Ad dignā huius sacramenti sumptionẽ pertinet, vt quilibet suscepturus illud antea cōpositè in omni quiete corporis & ĩ bono se ordine gerat: adeò vt etiā abstineat illicitis, vt coniuges à thoro maritali: quādo multi etiā à lecto quocunq; & somno sibi tẽperant, plus vigilantes quā dormientes. Si enim Achimelech sacerdos noluit panes propositio-

1.Re.21. nis Dauidi, & pueris illius porrigere, etiā in necessitate mā ducandos, nisi essent sancti & mundi à mulieribus: quantò minus Christiani accipere debẽt panẽ illum viuum, panem qui de cælo descendit, nisi à mulierũ contactu liberi & im-

1.Cor.7. munes? Quomodo & Paulus docet cōiuges ad tẽp' ab opere cōiugij & thori maritalis iure abstinere, vt vaccent orationi. Itaq; hîc etiam ad escā hanc spiritalẽ manducādam, committendum nō est vt caro dominetur: & quanuis opera illa coniugij sine peccato fiant, ista tamen innata cōcupiscentia & cōgenita lex carnis siue membrorum, insipidum reddit animum, carnalem, planéq; ineptum ad producenda

opera spiritus. ¶ Quilibet igitur Christianus hoc maximè tempore missis oĩbus huius cõmerciis, in virtutibus tantũ & operib⁹ bonis sese exerceat. Atque vt Augustinus ait, V- nusquisque cõsideret conscientiã suã:& quando aliquo crimine vulneratũ se esse cognouerit,pri⁹ orationib⁹,ieiuniis & eleemosynis studeat mũdare conscientiam suã, & sic eucharistiam pręsumat accipere:quod nisi fecerit,dicturus est ad eum paterfamiliâs,Amice,quomodo huc intrasti,nó habens vestem nuptialem?Et vt multa paucis cõplectar,quisquis pius & Christianus haberi vult,hoc iam in primis tempore,omni euitato vitio, virtutes sequatur, animamq; suã exornare studeat:vt sit omni bonorũ genere redimita, nec aliqua labe infecta, q̃ faciat vt indignus ipse tãtũ suscipiat sacramentũ,in sui iudiciũ & cõdẽnationẽ.Vigilia,& erigere in deũ anima sancta & deuota.Exurge,exurge Sion, induere fortitudinẽ,Hierusalẽ ciuitas sancta, hoc est, anima Christiana,indue te vestibus gloriæ tuæ,virtutibus nimirũ & operibus bonis,indue & vestimentũ supremũ,quod reliquum habitum omnẽ cõtegit,id est,charitatem,quę operit multitudinẽ peccatorũ.¶Recordare,quisquis es homo,diligenter & expẽde,quid sis hîc suscepturus:recogita quantũ tibi in eo positũ sit.audi clamãtẽ Paulũ, Probet seipsum homo,& sic de pane illo edat,& de calice bibat. quisquis enim manducat & bibit indignè,iudiciũ sibi mãducat & bibit.Ecce sanctissim⁹ ille & in ipso etiã matris vtero sanctificatus Ioannes trepidabat accedere dñm, & verticẽ capitis illi⁹ tãgere indignũ quoq; se iudicabat,cui vel corrigiã calceamenti soluere procũbens in terram. Euangelista ille S. Marcus adeò vsq; indignũ iudicauit mysteriorũ tantorum administratione,vt ipse sibi pollicẽ pręsciderit,ne esset celebrando missæ sacrificio aptus. Vides vasa,imo omnia quæcũq; vsui altaris deputata sunt,purgata & mũdicissima? Vides calicẽ probè tersum?vides nitentẽ patinã? vides corporale niueũ candidissimũmq;? Hæc quid sibi velint,ambigis & scire cupis? Id nimirũ,vt eodem tu quoq; modo,non nisi mundus & velut cũ reliquis discipulis lotus accedas?quia in hoc Christus illis prius lauit pedes, quã corpus suum manducandum daret,vnde & Petro recusanti lotionem dixit,Si nõ lauero te,nõ habebis partẽ mecum:designãs per hoc necessariũ esse lauari prius & mundari eum,qui sacramentum

Aug.
Matt. 22
Esaie 52.
1. Petr. 4
1. Cor. 11.
Matt. 3.
Ioan. 5.
Ioan. 13.

Luc.1. hoc ſit ſuſcepturus. Panis ille viuus, quem hic ſumere præſu
Cant.4. mis, in vterũ deſcendit ſanctiſſimæ virginis Mariæ, quæ tota pulchra erat, omniſq; expers maculæ. Et tu igitur caue, ne panem hunc vitæ ſuſcipias indignus: aliàs qui cibus tibi vitæ futurus erat, cedet in mortem ſempiternam, à quo nos cuſtodiat & cõſeruet Ieſus Chriſtus dominus noſter, Amē.

HOMILIA III. DE PRÆPARATIONE ad ſanctiſſ. Euchariſtiæ ſacramentum.

QVicunque titulo & appellatione gaudet Chriſtiano, diligenter & exactè ſe probet, acceſſurus ad menſam dulciſſimi illius conuiuij corporis & ſanguinis domini, ne in iudicium & cõdemnationem accipiat, ſed ad cuſtodiam corporis ſimul & animæ in vitam æternam. Examinet igitur ſe & emundet prius per contritionem & confeſſionem peccatorum ſuorum, exerceat ſe in virtutibus & operibus bonis: quorum nec poſtremum utique nec infimum eſt, pia & ſedula precatio, quàm laudata ſanè conſuetudine ante cibum præmitti iam olim apud maiores noſtros receptiſſi-
Ioan. 6. mum fuit, tracto more illo ab exemplo Chriſti, qui grandi
Marc.14 miraculo magnam hominum multitudinem panculis ſaciaturus panibus, eleuatis in cælum oculis, bene dicens illos,
Gregor. gratias egit. Eſt autem omnis actio Chriſti, noſtra inſtructio, authore Greg. Et ſacerdotes quidem eò magis illa ob-
44.diſ.c. ligat conſuetudo, quod huc decretum etiam acceſſit eccle-
non liceat ſiæ, in concilio Romæ ſub ſancto Martino pontifice habito. ſic enim habet, Non liceat aliquando clericos non dicto hymno comedere panem, & poſt cibos gratiã authori deo referre. Et ſi quilibet iam Chriſtianus orare tenetur antequam cibum illum quotidianum corporis manducet, quanto magis ante ſanctiſſimam hanc animæ noſtræ eſcam ora-
2. Cor.1. bimus? Atq; cùm ſufficientes non ſimus quippiam boni facere ex nobis, tanquam ex nobis, ſed ſufficientia omnis noſtra ex deo pendeat, maiori tum affectu, tũ feruore clamare debemus ad dominum, ipſumq; orare, vt dignos nos myſte-
Pſal.50. riis tantis efficiat, & dicere cum Dauide, Cor mundum crea in me deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Diſce ex paruulis Iudæorum clamorē illum, quo ingredien
Matt. 21 tem dominum in Hieruſalem exceperunt: & tu quoq; clama, Benedictus qui venit in nomine domini, Oſanna in excelſis. ô dñe, miſerere mei. Quid aũt tibi potiſſimũ ſit orã-

dũ passim iam in omnibus libellis piarum precationũ habe tur. verùm hîc deum immortalem quàm commodum esset omnes nunc homines scire legere, propter orationes saltẽ, quas sanctissimi quique patres Augustinus, Ambrosius, Bernardus, Gregorius. & alij composuêre. Qui autem legere non nouit, tamen laudet deum, gratias agat illi pro omnibus beneficiis, dicat cum Dauide, Benedicam dominum in omni tempore Ad memoriam reuoca amarissimam passionem Christi, dolores Mariæ feruentissimos, gaudium angelorum, lætitiam & exultationem beatorum, miserandam conditionem damnatorum, & admirãda illa gratiarum dona ecclesiæ collata: ipsaq; adeò omnium sanctissima sacramenta, humilia te cum Centurione, & dic, Domine, nõ sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tãtùm dic verbo. & sanabitur anima mea. Dic cũ Dauide, Introibo in multitudine miserationum tuarum in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Et quãuis nõ multa subinde repetas verba, tamen vide ne cesset animus, nec pia elãguescat cogitatio, quin potius cum Anna Samuelis ingemisce: & sicut illa tãtum loquebatur in corde suo, ac solùm labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur, ita tu ne defatigeris spiritum erigere in deum. Rursus ingemisce cum Iob antequam mãduces cibum. Ora dominum deũ tuum, vt illuminans ille tenebras tuas, reuelet tibi quid sibi displiceat in te: ne fortè accedas in iudicium tuum & condemnationem, firmiter & perfectè tibi propone, te neutiquam accessurum, nisi omnia illa præstiteris quæ a te exigit deus. Ita effunde coram deo omne cor tuum cum Dauide: & sine dubio gratiam dabit ille tibi, atque peccata quorum fortè te cœpit obliuio, aut ad memoriam tibi reducet, aut per suam immensam misericordiam remittet & delebit nec vnquam exprobrabit: quia deus respicit orationem humilium, & non spernit preces eorum.

Psal. 33. *Mat. 8.* *Psal. 5.* *1. Reg. 1.* *Iob 3.* *Psal. 17.* *Psal. 61.* *Psal 101*

¶Hoc modo si quis non sufficienter se antea præparasset operibus bonis, id omne nunc sedula oratione resarcire potest, cuius rei insigne habemus argumentum in historia regũ Iuda & Israël: vbi cùm bona populi pars non esset iuxta verbum domini sanctificata, tamen mãducauerunt Pascha, orante pro illis Ezechia & dicente, Dominus bonus propiciabitur cunctis, qui in toto corde requirunt dominum deũ patrũ suorum, & non imputabit eis quod minus sanctifica- *2. Pa. 30*

ti sunt. Et mirũ, in idipsum quoque significantes mulieres
Lucæ 24 illæ, quæ cũ Maria Magdalena venerunt ideo ad sepulchrũ Christi cum aromatibus: vt nos quoque admonerẽt, si operibus bonis & ieiuniis sedulis minus essemus cõmẽdati aut placeremus deo, id omne rependeremus redolentibus istis radicibus piæ & sanctæ orationis. Docuit hoc nos quoque
Augusti. in magnam consolationem nostram beatus Augustinus, in quiens, Quanuis quis peccato mordeatur, peccandi tamen decætero non habeat voluntatem, & cõmunicaturus satisfaciat lachrymis & orationibus, & confidens de domini miseratione, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus.

2 Deinde cùm iam ita quis animum suum, seque totum instituit & præparauit, vt causas probè expenderit, quare ad illud sacramentũ accedat, confessus iam & contritus post peccatorum actam pœnitẽtiam & ieiunia, mentẽ suam per orationes in deũ erexit, norit se pro officio Christiani omnia bene transegisse: quia si veteris etiã legis præceptũ ha-
Num. 18 buit, ne quis de sacrificiis dei manducare præsumeret, nisi mundus. Quãtò magis qui immũdus est, nõ audebit sacrosanctum Christi corpus sumere? Restant nũc aliæ quędam circunstantiæ explicãdæ, quas cõsiderare quoque debet sacerdos, in hoc vt alicui sacramentũ illud sumere indulgeat, eas sub breuitate transcurremus, quãdo materia hæc & passim cõmunis & ab omnibus doctoribus concorditer est tractata. Primũ itaq; omniũ, est quòd nemini hoc porrigi debet sacramentũ, nisi vsum rationis habenti, & credenti, nõ infideli, non fatuo, non infanti: sed quando primũ dandum vel dari incipiendum sit paruulis, non potest ex annorũ numero statui, sed colligi debet ex cuiusq; dispositione & intellectus maturitate, quando inuenias puerum in decennio prudentiorem alio, qui decimũtertiũ ætatis annum expresserit. Non itaq; & annis & ætate, sed intellectu ac discretione iudicandũ hic est, ita vt cũ iam institui queat paruul⁹, vt discernere possit inter hostiam cõsecratam & non cõsecratam, vt credere valeat corpus redẽptoris sui mirabiliter hic esse sub specie panis, iamq; affectũ pium concipere paulatim sibi incipiat erga sacramentum, modis omnibus porrigi illi debet & administrari. Quapropter inconsultum non est, vt parentes liberis suis paruulis adhuc domi hostias nõ consecratas ostendant, illósq; quętant & edoceant, quid di-

scriminis sit inter panem hunc pistorium,& illum qui à sacerdote in officio missæ & dispẽsatione fidelium tractatur. Neque malum est,paruulum,dum innoxius est & ab omni peccati labe immunis adhuc,sic institui, instructumq; probè cum omni pietate sacramentum suscipere:quia bonũ est homini portare iugum domini ab adolescentia sua.Spetandum insuper est, deum huiusmodi paruulo plus gratiæ daturũ,vnde& hîc rectius viuat,& vita tandẽ potiatur ęterna.
Quòd si autem furiosus quis sit vel à dæmone obsessus,cõsilia habeantur eruditorum,quia in casibus quibusdam dari sacramentũ huiusmodi hominibus potest,in quibusdã nõ: & ita habere obsessus aliquis potest, vt si illud sumat, non tantùm commodi multũ sentiat. sed à dæmone quoque liberetur. 2 Accessurus ad sacramẽtũ illud corporis Christi sumendum,sit ieiunus,nec cibum nec remedij, nec potionis quicquam acceperit, nisi fortè vel aquæ guttula in ore eluendo,vel aliæ reliquiæ casu traiiciantur per modum saliuæ, debetque illud ieiunium à media nocte computari: quia placuit (inquit beatus Augustinus) spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti prius in os Christiani intraret corpus dominicum, quàm cæteri cibi & sic panis viuus qui de cælo descendit, prius manducaretur illo materiali. Verùm in hoc casu nulli regulę subiecti sunt infirmi. Quin potius eorum causa paratas semper hostias consecratas habere debet,qui sacramentorum administrationem sibi concreditam seruat, ne quisquam infirmus sine illo sacramento decedat ex hac vita,iuxta canonicam concilij sanctionem.
¶ Quid autem si miraculosa aliqua accideret hîc in sacramento apparitio, sicut in forma digiti contigi beato Gregorio,vel in figura & specie pueri, vt sæpe factum est? Tunc sanè sacramentum in huiusmodi miraculosa specie sumi non debet:presbyter tamen quomodo se in casibus illis gerat,cõsilio vtatur doctorum, quia & casus ipsi diuersi sunt, & plerunque ita obseruatũ est,vt eiusmodi hostiæ miraculosæ ad requisitionem eruditorum custodirentur.
¶ Necessarium hîc esse,vt quis sit sine peccato, iam suprà ex Paulo docuimus Et quãuis nemo scit iuxta dictum Sapientis,odio ne an amore dei dignus sit, satis tñ hoc est, si quis probet seipsum pro humana fragilitate, ea tamen diligentia,quam adhibiturus esset in re vel maximè seria & ardua.

Thren. 3.
Augu.
7. quæst. 1 nihil.
1. Cor. 11.
Eccle 9.

Porrò siue in peccato mortali sit aliquis, siue non,& coram sacerdote constitutus,est suscepturus sacramentum,nō negandum est ei,nisi sit publicus peccator. Huiusmodi enim ad altare procumbenti porrigi non debet, quia hominibus infamia notatis prohibitum est dare sacramentum,vt publicè excommunicatis,scortis,vsurariis,homicidis publicis,& similibus: qui licet conuertantur,licet pœnitentiam agant, etiam confessi, non merentur adhuc suscipere sacramentum,nisi pœnitentiam quoq; pro ratione delicti publicam facient aut solennem. Attamen si qui vltimo supplicio sint afficiendi, confiteri prius & sacramentum suscipere debēt, nisi vel in excōmunicatione vel in interdicto sint ecclesiæ, vel pertinaciter in hæresi perseuerent: quibus nec per absolutionem remitti debent peccata, nec fas est porrigere sacramentum, maximè si sub vtraq; tantùm specie suscipere velint,quod nostrates Neochristiani solent.

3 Qui ad sacramentū cupit accedere,nòn in anima tantùm,sed etiā corpore mundus sit & impollutus. Sunt enim aduenientes quædā extrinsecus sordes,& immūditiæ, quas ablutas prius oportet. Quid enim ineptius,quàm vel fabrū ab incude & igni squalētem, totūq; fuligine & fumo obsitū,ad altare Christi accurrere, vel sutorem attramento suo olentē ad sanctas aras properare? nónne uterque id faciens, parum, imo nihil honoris deferre videretur sacramento & corpori Christi? Quoniā sic quoque ad Moysen dixit dominus, Facies labium æneum cum basi sua ad lauādum, ponésq; illud inter tabernaculū testimonii & altare. Et missa aqua, lauabunt in ea Aaron & filij eius, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare,vt offerāt in eo thymiama domino, ne fortè moriātur:& sequitur deinceps, quomodo specula quoque adiunxerit labio huic. Ecce quomodo corporalem etiam munditiem habere voluit,& requisiuit deus ex sacerdotib⁹ suis, si quando ministraturi erant in templo, idque cum iniūcto mortis supplicio. quanto mundiores corpore quoque nos esse conuenit, accessuros ad sacramentum suscipiendum? Vt non sit ista consuetudo illaudata balneātium & corporis membra ac sordes abluētium, priusquam accedant altare domini,quanuis ablutio hæc corporis externa,sine interiori nihil faciat. Laudabilis etiam vbique mos est obseruatus

Exod.30. *Exod.38.*

tus, vt eo templi loco, quo ad ministerium dei indui præparaříque solent sacerdotes, gutturnia ac pelues habeantur. Magnaq; tum negligentia tum ignauia est, si hoc non obseruetur, quod dominus tam accuratè sacerdotibus in lege præcepit. Cæterùm aliæ maculæ vel ex morbo vel alio casu cõtractæ, cuiusmodi sunt lepra, menstruũ & cicatrices, neminem à digna sacramenti huius impediũt sumptione. Sin autem immundities corporis esset cõmixta impuritate mẽtis, ea verò vel maximè aliquem impediret: sic pollutus in somno, sed occasione accepta vel ex antecedente cogitatione mala, uel ebrietate, ineptus redderetur accipiendo sacramento: sic in matrimonio quoque & extra illud, iungi cum muliere indignum facit aliquem, qui sumat sacramentum. Quamobrem vetustissimi canones duriter admodũ & grauiter vetuêre, ne coniuges commisceantur, accessuri ad hoc venerabile magni sacramenti conuiuium, vt concilium Elibertanum & alia iura disposuerunt. Eius rei nõ tam graue, quàm seuerũ extat exemplum, quod quũ arcã domini educere vellet Dauid ex ædibus Adminadab, calcitrantibus in itinere & declinantibus bobus, illam iam casum minitãtem extensa manu sustinuit Oza: iratus super eum dominus est, & subitò corruens ille repentéque mortuus, & nomen loco dedit, & horrendũ temeritatis suæ omnibus reliquit exemplum. Causam aiunt Iudæi fuisse subitæ huius mortis, quoniam ille ea nocte cũ vxore sua dormierat, ideoq; arcã manib⁹ cõtrectare nõ debebat. Alias tamen causas catholicorũ vide ibi. Quòd si igitur malè fecit Oza tãgendo arcã ex eo quòd nocte illa cum ꝓpria tamen vxore cõcubuerat: quãto maiore supplicio digni erunt, qui à calente adhuc ex maritali cõgressu lecto, ad sublime adeò tanti sacramenti prorũpunt mysterium? (vide suprà sermonẽ præcedentem.) Si simili modo exẽpla aliquãdo faceret deus in Lutheranos monachos & sacerdotes: qui quàm sunt cynica impudẽtia, pollutis manibus à scortis & meretricibus suis (sit venia verbo, quia cur vxores appellem turpissimas istas & illegitimè eis coniunctas, non video) irruunt in tam grãde ministerium, sanctissimúmq; dei cultũ: quid mirum, si quid est fulgurum tonitruum & grandinũ, id semel omne tantis malis puniendis immitteretur diuinitùs? Sed tamen deus illuminet faciẽ suam super eos, & misereatur illorũ. Quando tamẽ nullam

De cõs. dist. 2. omnis homo. 33. quæst. 4. sciatis. 2. Reg. 6.

Psal. 66.

euagationem mentis sentiret pollutus im somno, vt cognoscens suam neque aliquam ineptitudinem, doctores nolunt eum communicantem peccare mortaliter, sed solùm venialiter: sed non video, si possit commodè differre in sequentẽ diem, quin teneatur pro reuerentia sacramenti, diferre maximè exigens. Sed nos iam communibus precibus dominũ oremus, vt ille nobis gratiam suam donare dignetur, quatenus illius nos fulti pręsidiis, mũdi & digni suscipere possimus illud venerabile sacramentum: & sic in hac præsenti vita gratiam illius retineamus tantisper, dum in cælesti patria gloria perfruamur æterna. Quam omnibus nobis concedat ille, qui est in secula benedictus, Amen.

HOMILIA QVARTA, DE SA-
crosancto Eucharistiæ sacramento.

1. Cor. 11. PRobet seipsum homo Christianus, antequam sacramẽtum tantum suscipere præsumat: & sic demum de pane illo edat, ne ad iudicium sibi manducet: confiteatur prius, pœnitentiam agat, ieiunet, oret, mundet se totum corpore & animo, atque tandem accedat: sed humilis, quia superbia quicquid in priori præparatione bonum fuit, funditùs euertit. Non ponat igitur fiduciam suam omnem in præparatione, sed potius in miseratione dei: in qua re quando plurimũ positum est, videor mihi non abs re facturus, si priusquàm de sacramẽti huius sumptione dicere incipiam, de illa dixero nonnihil: vel eò maximè, quòd nõ desunt homines quidam temerarij, qui spem suam & fiduciam omnem omneque solatium in præparatione sua ponunt, immemores omnino misericordiæ dei: homines vtriq; miseri & hypocritæ, non videntes in quàm arenoso fundamento ædificent. Sũt rursus alij, inter quos neochristiani isti primũ sibi facilè locum vendicãt, qui nimiũ freti misericordia dei, opera bona omnia eò vsq; contemnunt, vt nullũ eorũ vel admittant vel faciant ipsi: & ij quidem ex temeraria quadã præsumptione peccant, peccato ex hoc maiori, quod in spiritũ sanctũ committitur. ¶ In istorũ vtrinq, turpiter aberrantiũ medio, velut regia quadã via incedunt catholici, neque cum Luthero opera bona negligentes, neq; plus satis eis tribuentes, cum hypocritis istis misericordiæ dei obliuiscantur: sed illud sequuntur, verumq; fatentur dictum domini: Cùm feceritis
Luc. 17. omnia quę præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sum⁹.

quod debuimus facere, fecimus. Neque verò animus hîc est neochristianorũ refutare sententiam, quãdo ipsa se satis infringit, dum omni aduersatur rationi: quia sic omnia misericordiæ dare diuinæ, vt nihil ipse facias boni, vsqueadeo non est sperare aut confidere in deum, vt magis sit illudere deum. sic enim dicit dominus, Nõ omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnũ cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui est in cælis, hic intrabit in regnum cęlorum. *Mat. 7.* Audite hęc inquã, audite neochristiani, & discite, satis non esse, dicere vos, domine domine: aliud adhuc amplius quid requiritur & desideratur in vobis, vt faciatis. quid autem, nisi voluntatem patris cælestis? Et quia superioribus homiliis quæcunque ad hanc pręparationem pertinẽt, scripturis Biblicis abundè satis sunt confirmata, quid adhuc restat, nisi omnem istam neochristianorũ sententiam Biblicis scriptis per diametrũ aduersari? Itaque priorem illam opinionem hypocriticã nunc refellere aggredior. Et primùm quidem, sicut humilitatem seruari docuit dominus in mẽsa cibi corporalis: ita multò magis seruãda est illa in mẽsa dei: Christus enim in euãgelio, Quum, inquit, inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forrè honoratior te sit inuitatus ab illo, &c. *Luc. 4.* Eodem planè modo hîc quoque fieri decet ad mensam domini, vt se quisque humiliet, & ne postremo quidẽ loco se dignũ reputet: potens est ille qui cõuiuas ad mẽsam hanc vocat, eos qui sibi placent, in supremũ euehere locũ. Omnis autẽ ista humilitas in eo cõsistit quòd homo aliquis per gratia dei & dignus efficitur, & particeps tantorũ mysteriorũ, nõ ex aptitudine & præparatione nostra, quando & idipsum, dignè ac laudabiliter se præparare, magnum quoddã dei donũ est. Verissimũ vtique illud est, quod dixit in euãgelio dominus, Sine me nihil potestis facere: atque ideo nec præparare nos dignè possumus sine domino. *Ioan. 15.* Præparare itaque nos quidẽ debemus eo quo dictũ est modo: sed non ita, vt in nostra præparatione cõfidamus, & omnem spẽ in ea reponamus: quia sic speramus tantũ in nobismetipsis, quod olim prohibuit dominus per Hieremiã, dicẽtem, Maledictus homo qui cõfidit in homine, & ponit carnẽ brachium suum, & à domino recedit cor eius. *Hiere. 17* Et idcirco cõmunis & vniuersalis hæc in bonis operibus omnibus lex est & regula, vt non quidem intermittamus facere opera bona,

sed tamẽ non omnẽ fiduciam & spem nostrã in meritis nostris reponam⁹:sed seruos nos inutiles,omni etiã officio nostro expleto, reputemus, Quid quòd vir ille desideriorum
Dan.9. Daniel nos docet quid oremus,quũ ait, Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam,sed in miserationibus tuis multis? Præparare igitur nos oportet corda nostra:sed si præparationi isti tãtũ innitamur,accidit nobis idem quod iis qui sustẽtantur arundine,siquidem qui hoc modo meritũ suum iactat, perdit illud, eò quòd dũ in
Psal. 90. adiutorio altissimi nõ habitat, neque in protectione dei cœli cõmoratur.Et magnum & præclarum est illud quod dicit
Gerson. Christianissimus cancellarius Gerson, Si mille annis aliquis se disponeret ad dignitatem celebrationis, neque sic per se attingeret:quãtò minus tam exiguo parui temporis spatio? Estque illud certissimũ sanè,quia nemo tanta tum deuotione,tum charitate accedere potest ad sacramentũ,quin maio
Gen.7. rem illi⁹ dignitas expostularet.Ecce enim Noe centũ annis construxit arcam,in qua ipse cum paucis hominibus cõseruaretur. verũ hic opifex & gubernator totius mundi suscipitur,illius itaque dignitatis respectu:nos quidẽ multo lõgiori tempore indigeremus ad præparationem,sed ipse per misericordiam suam supplet ea in nobis,quæ deficiunt. Tu modò caue diligẽter, ne deorsum aspicias super merita tua, super præparationem & opera bona, sed potius cum Daui-
Psal.122 de dic, Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cælis. Et i-
& 120. terum, Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à domino,qui fecit cælum & terrã.Nisi fortè quis instar pauonis deorsum intuens, aspicere volet pedes & infirmitatem suam,vt sic magis se humiliet. Verum si plumarũ inani ornatu affectus superbire intenderet,id verè esset perniciosissimum. 2 Attende nunc horum omniũ causam:Quia omnia nostra propriæ iustitię opera,præterq̃ quod ea non ex nobis,sed ex gratia dei faci-
1. Cor.4. mus(quid enim habes,inquit Paulus,quod non accepisti?) etiam imperfecta sunt, defectũ habent,immunda existunt,
Esa. 64. & vt pannus menstruatę mulieris.Hoc attendens B.Augu-
August stinus dixit,Quæ sunt merita nostra corã deo, si iudicare ille voluerit secundũ iustitiam,nisi maxima peccata?Defectũ hunc vidit etiam Dauid, atq; ideo supplex orauit dominũ,
Psal.142 Nõ intres in iudiciũ cum seruo tuo : quia nõ iustificabitur

in cóſpectu tuo omnis viuens : iudicio ſcilicet illo iuſto, & quod ſine miſericordia exercetur (cum aliis concordantib' in illa materia.) Agnoſce itaq; & clama ad dominũ. Imperfectum meum viderũt: oculi tui Dic, Domine, ſcio quia in omni etiam operoſiſſima præparatione mea nihil ſum, omnes orationes meæ, ieiunia mea & opera pœnitentiæ nihil ſunt, ſi conferantur cum immenſa gratia & miſericordia tua, qua teipſum in cibum hinc abiens nobis reliquiſti: ſcio quia non poſſum vnicum pro milibus reſpondere tibi, etſi me abluam, vtut cõfitear, etſi vel maximã pœnitentiã agã, ſcio quia nihil ſum. Sed tamen & hoc ſcio, quia apud dominum miſericordia, & copioſa apud eum redẽptio. Scio quã fonté illum miſericordiæ nulla vnquam vel malitia exhaurire, vel peccatorum ariditas exiccare poterit. Et ſi domin' decreuit ſeruare, quis poterit infirmare? Dic cum Paulo, cõfido: quia qui cœpit in me opus bonum, perficiet: & illuminabit abſcondita tenebrarũ ne vnquã obdormiam in morte: ſed cũ ſim immundus, ad te venio fonté puritatis liquidiſſimũ, qui me ab omnibus ſordibus emũdet. Aſperges me domine hyſopo, & mũdabor: lauabis me, & ſuper niué dealbabor. Venio itaq; ad mẽſam domini, nõ de mea cõfiſus iuſtitia, ſed præcepto diuino obediens & parare volẽs, te medicum animæ meæ quæro, & in hoc ſacramẽto ſuſcipere cupio. Sic Salomon quoq; tẽplum domino ædificans dicebat, Quis poterit præualere, vt ædificet deo dignã domum? Si cæli cælorũ capere eũ nequeunt, quantus ego ſum vt poſſim ędificare ei domũ? In ſumma quicquid ad humilitaté facere poteſt, huc pertinet: quia quò plura maioraq; dona qs à deo pcipit, eò magis ſe corã ipſo humiliare debet: ſicut & Maria, audiens ex nuncio Gabrielis ſe & matré dei futurã, & Meſſiã pariturã humiliauit ſe, & tanto indignã beneficio reputauit, dicẽs. Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundũ verbum tuum. & placuiſſe humilitaté hanc domino, ipſa teſtatur in cãtico ſuo, cùm ait, Reſpexit humilitaté ancillę ſuæ.

Pſal 138
Iob 9.
Pſal. 129
Eſa. 14.
Philip. 1.
Pſal. 12.
Pſal. 50.
2. Par. 2.
Gregor.
Luc. 1.

3 Cùm iam quis ſe non pœnitentia tantùm & cõtritione, ſed confeſſione quoq; & ieiunio pręparauit, & adhuc tamé ex humilitate agnoſcit nõ ſufficere hęc omnia ad theſaurũ tantum ſuſcipiendum, ſed nihilo minus obedire volẽs deo & eccleſiæ, charitate quoque motus & ſalute animæ ſuæ, vadit ſuſcipere ſacramẽtum: vbi ſcias meritum magnum eſſe,

Augu. sacramentum suscipere velle, iuxta illud Augustini. Crede, & manducasti. atque ideo quãuis præ morbi grauitate nequeant aliquãdo infirmi sacramentũ suscipere, cómodũ tamen ipsis & salutare est, vt eis sacerdos sacramentũ vel ostẽdat tantùm: vnde fiat vt ipsi desideriũ suum excitent simul & exercitent in affectu bono sumẽdi illud. Quantò autem meritum maius habet, qui illud etiam facto suscipit, dum hoc in sacramentis omnibus perpetuum est, quod gratiam nõ ex opere tantùm operante, sed etiam operato operatur.

2 Iam accessurus, non amplius peccata tua ad animum reuoca, neq; cõfessionis recordare: tantùm temet exercere in affectib' piis & suauissima amarissimę passionis Christi cõtẽplatione, aliorumq; beneficiorũ dei meditatione: magnitudinẽ sacramenti immensam cõsidera, recole suscepturum hîc te creatorẽ tuum, eumdẽmq; redemptorẽ & saluatorem Iesum, regem illum gloriæ, panem angelorũ, sacrificium viuum, quod in ara crucis pro toto mũdo oblatum est pignus charitatis diuinæ, hunc ipsum.s. dominũ & deum tuum, cuius vultum intueri & cõtemplari desideras cum angelis sanctis in perpetuũ. Considera cum propheta, quanti sit beneficij tam propitiũ nos habere deum nostrum, vt ipsum quo-

Deut. 4. que suscipiamus. Quia non est vlla natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquãtes sibi, sicut est nobis de' noster.

3 Vnde & constat non paulò consultiùs esse, vt quis aliquando antequam sacramentum sumat, cõfiteatur, quando mala eorum est cõsuetudo, qui statim à confessione ad Eucharistiam quantocyus sumendum properant. Aut quomodo non turpè iudicaretur, aliquem à peccatorum sordibus adhuc pene squalidum, ad Christi mensam & conuiuium properare? Sicut inciuile, imo vitiosum quoque foret, cùm qui magnificè potentis alicuius mensæ iam assideat, scabiẽ tandẽ capitis fricare, quã antea curatam oportebat. Hoc tamen syncerum sensum requirit, quia non loquor de eo qui exiguũ quiddam vel ex peccatorum reliquiis, vel ex iis, quę deuotionem impedire solent, adhuc haberet confitendum.

4 Quod si verò tibi iam in itinere cõstituto peccatũ occurrat, quod cũ cõfitebaris, nõ inciderat, tunc sanè si cõmodè tibi sacerdos quicũque etiã dari potest, cõfiteri illud: sin autẽ vel sacerdotũ tibi nullus se offert, vel ex hominũ multitudine nõ facilè te potes extricare, perge & sacramentum

ſuſcipe cum propoſito peccatũ illud quãprimũ confitendi, vbi copia ſacerdotis dabitur. Sed hîc vide vt ꝓpoſitũ iſtud exequaris, neq; ſis te tanta indulgens & remiſſus, quin mox vt cogitaſti, confitere priuſquam etiam templũ egrediaris.

4 Sublatis itaq; nunc demum corporis animiq; tui pedibus ſurge, & menſam accede dominicam cũ humilitate, cũ deuotione & timore dei, tacitúſq; tãtùm loquere in corde tuo, genua flecte, os cõpoſitè aperi, decẽter & honeſtè exere linguam, vt ſic cõmodiùs tibi porrigi queat ſacramentũ: clama cũ Thoma, ſed tacitus tantùm, ſublatis cordis tui ſuſpiriis, Dominus meus & deus meus. Inuoca cum publicano, Domine Ieſu Chriſte, propitius eſto mihi miſerrimo peccatori. Cũ Centurione dic, Domine, nõ ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbum, & ſanabitur anima mea. Exalta vocem mẽtis tuæ, & cũ patiẽtiſſimo Iob dic, Scio quia redemptor meus viuit, quem & videbo. Neq; aliud iam tecum commemora, niſi quod ſecum cogitabat filius prodigus, Pater, peccaui in cœlum & coram te, non ſum dignus vocari filius tuus: ſed fac me ſicut vnum ex mercenariis tuis, Verbi quoq; illa ſacerdotis expende, quæ dum ſacramentum tibi porrigit, dicit, inquiens, Corpus domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternã. ſimiliter tu quoq; cuſtodiri te & cõſeruari animam tuam roga, aliíſq; ſubinde meditationibus animũ tuum eleua, affectũ erige quibus admonearis deum hîc tuũ te ſuſcipere in ablutionẽ peccatorũ, in augmẽtum gratiarum & virtutum, atq; in pignus vitæ æternæ. Tantùm vide vt cõpoſitè os aperias & claudas, non rictũ diducas, vel celeriter apprehendas, velut hoſtiam ex manibus ſacerdotis direpturus. Idem quoq; filium tuum aut liberos doce, & priuatim aſſueſce domi, vt ſacramentum lingua apprehenſum decẽter per palatum illabi ſinant: hîc ſi quid particulæ tibi in ore adhæſerit, quod lingua dimouere nequeas, caue manu tangas: ſed potius ſacerdotẽ accede, qui tibi ſoluat & liberet. Cùm ſic in corpus tranſmiſeris ſacramentũ, decẽter ex calice bibe vinũ, quod tibi porrigitur, citra magnã reuerentiam: quia nil niſi vinũ eſt, ſicut in quadam ſuperiori homilia commemorauimus.

5 Suſcepto iam ſacramento, decet, vt quilibet hoſpitẽ verè maximũ dignè tractet, & quã deuotiſſimè ſecũ retineat. Principio ſibi quiſq; à nimia ſcreatione caueat, ne ſeipſum

Ioan. 20.
Luc. 18.
Mat. 8
Iob 19.
Luc. 15.

ad tussim prouocet:quo nimio motu fieri posset,vt particula sacramenti simul concitata eiiceretur,quæ irreuerẽtia sanè summa esset, si sic Christi corpus cum sputo & sordibus aliis eiiciatur. Quæres autẽ quandiu corpus domini in corpore eius,qui illud sumpsit,hominis permaneat?Respõdeo tandiu,sicut substantia panis permansisset, si transmutata sub speciebus & accidentibus nõ fuisset. permanet quoque corpus Christi sub albedine,rotunditate,densitate, &c.sed extẽsiora ad scholas.Deinde nõ statim à suscepto sacramento templum exeat,sed potius seorsum secedẽs, gratias agat deo,oret illum,vt ipsum donorum omnium participem faciat,vt cordi ipsius memoriã imprimat passionis, vt meritũ mortis suæ illi nõ neget,vt ipsum sibi bonis omnibus & ecclesiæ sanctæ vnire dignetur in charitate perfecta, vt gratiã hanc impetret tẽpore mortis quoq; viaticũ istud dignè suscipiendi,cum vera cõtritione & integra confessione. Petat insuper à deo,quatenus ille animabus parentum,fratrũ,sororum,benefactorum,fautorũ,breuiter,fideliũ defunctorũ omnium propicius & misericors esse velit. Tandémq; oret eum quẽ suscepit dominũ Iesum Christũ,vt sibi misericorditer cõcedere dignetur, quatenus sicut iam ipsum in velata panis specie accedit, ita apertè & sine omni velamine eũ cũ gaudio videre possit facie ad faciẽ in æterna patria. Quã omnibus nobis donet deus pater, filius & spiritussanctus, sancta & indiuidua trinitas in secula benedicta, Amen.

HOMILIA V. DE SACRAMENTI EVcharistiæ *fructibus. quos dignè manducantes consequuntur.*

ANtequam de fructibus, qui dignè sumentes sanctissimum Christi corpus manent & consequuntur, dicere incipiam,operepræcium videtur quædam latiùs explicare, quæ in superioribus homiliis residua nobis mansêre, ne & ipsa dispereant.

1 Primúmque se hîc offert gratiarum actio,quam vtique & ex quotidiano cibo referre debemus deo. Quo nomine *Chrysost.* Chrysostomus Heremitas laudat, quòd ante & post cibum gratias egerint deo. Christus quoque eius exẽplum nobis reliquit,dum post dispensationem illam sacramenti, hym- *Ioan. 18.* num dixit. Certas insuper orationes suas habent sacerdotes,accessus & recessus altaris. Et laici ingratissimi deo nihil

orabunt?quin potius oret quicquid eos tum deus tum affectus bonus admonet:si legere sciũt, habebũt affatim quod orent:si id nesciunt,tamen vel quinq; saltẽ vulnera Christi honorent & venerantur quinque orationibus dominicis.

2 Deinde ne quis continuò à sumpto sacramento mãducet,cauẽdum est,idq; in honorem sacramenti. quandiu autem abstinere quis debeat,nunc pręceptum & præscriptum certò nõ est:verùm in primitiua ecclesia quãdo laici etiam quotidie ex feruore charitatis cõmunicabant, sic præcepit Clemens Papa,nõ statim ad accipiendos communes cibos conueniant,ne putẽt sanctæ portioni miscere cibũ, qui per aqualiculos digest' in secessum diffunditur. Si igitur manè dominica portio editur,vsq; ad sextã ieiunent ministri,qui eam consumpserunt:& si tertia vel quarta hora acceperint, ieiunent vsq; ad vesperas. sic secreta sanctificatione æterna custodienda sunt sacramẽta. Quanta deum immortalẽ pietas hæc fuit?quàm ardens charitas?quò peruenit sanctimonia tanta?nunc videmus,& qui plurimum sanctitatis pręteẽdunt,ipsos monachos & sacerdotes, nõ prophanos tantùm homines,vix quartam horæ partem patienter expectare.

S. Clemẽs c. tri gra. de consec. dist 2

3 Præ omnibus autẽ nimia hîc fugienda ingurgitatio est, & quanuis qui aliâs diu multúmque vinum nullum bibit, nunc in honorem sacramenti bibere potest,tamẽ id modicè fiat & temperatè. Extat in hodiernum diem cœnobium quoddam Colonię,vbi diues quidã sumpto iam sacramento inebriatus,in vomitu sacramentum quoque eiecit, quo loco maxima tunc fiebant miracula,* ad Saluatorem.

Colonia Vulgo, ad corp' Christi.

4 Neque tantùm pro se quenque solicitè prouidere decet,vt in honore habeat sacramẽtum, ab omni leuitatè,vanis & ociosis verbis sibi temperet,oculos quoque & sensus omnes velut equos ferociẽtes cohibeat atq; compescat,verumetiã alios homines dignè & reuerẽter tractet,qui sacramentũ hoc susceperunt Quilibet familiam suã habeat paulò magis in honore:literis etiã parcant parẽtes,rixas,cõtentiones nullas intendant iurgia ne moueant, ad irã cõcitant neminẽ:singuli singulos mutuò se ad opera bona exhortẽtur propter hospitẽ illum quẽ susceperunt,altissimum. Nõ illaudata cõsuetudine solent plurimi,cùm iã susceperint sacramẽtum,nouem visitare templa,sicut & dominus noster Iesus Christus die parasceues nouies hinc inde duct' est,ad

Annam, Pilatum, Herodem, &c. qua de re plura in passione. Quid multa? quilibet quàm potest diligentissimè à peccatis sibi caueat, vt sic diutissimè thesaurum hunc tantum dignè cōseruet.

Regula. ¶Possent hîc innumerę adduci figurę, & mysticè omnes referri ad hoc sacramentum, cuiusmodi est omne id quod circa agnum illum typicum gestum est. verũ iis omissis omnibus tantùm fructus & vtilitates hui⁹ sacramẽti, simul ac incōmoda indignè illud sumẽtium breuiter explicabimus: quia generalis ista ĩ hoc sacramẽto regula est, quod omnes tum virtutes tum operationes, quas habet materialis iste cibus & potus ad hāc vitam corporis, eas etiam sacramentum istud habet in vita spiritus. ¶principió itaq; quisquis sacramentum hoc dignè suscipit, magnum quoq; diuinę gratię augmentũ recipit. sicut enim dominus noster Iesus Christus in hunc mundum cum gratia venit, secundũ quod Ioannes ait, Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. & hanc gratiam qui hîc suscipit, illic gloriã, habebit

1. Ioan. 1. æternã, quia gratiã & gloriam dabit dominus: ita sacerdos

Psal. 83 quoq; orat in missa, oblato iam illo immenso sacrificio domino deo, vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinẽ sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur. Quamobrẽ cũ morientibus etiam & infirmis quibuslibet cura magna accurãdum est, vt in tempore sacramentum suscipiant: quia dum hîc maiorem gratiam, illic etiã gloriam vberiorẽ acquirũt. Vnus autẽ gradus glorię multis modis effusissima etiam totius mũdi gaudia superat: & tamen hac ipsa, quæ hîc abundantiùs confertur, gratia, virtutes omnes in homine emendantur: fitq; adeò homo per eucharistiã mansuetior ad cor-

Bernard. rectionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, fortior ad tutelã, ad obedientiam prōptior, & ad gratiarum actionẽ deuotior. Atq; ideo peculiari vocabulo sacramẽtum hoc eucharistiã appellamus. quan-

Sap. 7. do enim ipse hîc Christ⁹ est, æterna dei patris sapiẽtia, quid vetat quò min⁹ dicamus & gloriemur, venisse nobis omnia bona pariter cũ illo? Et eucharistia & maximę gratię parti-

Psal. 103 cipatiōe in omni bono stabilimur, firmamur, cōfortamur: quia panis cor hominis cōfirmat. robustiores itaq; hinc efficimur in omni virtutum operatione, cui nimirũ significãdo legimus cum manna simul quoq; rorẽ cœlitus descendisse:

ſic etiam ſumentibus nobis panem illum qui de cœlo deſcẽ dit, viuum, rorem ſimul gratiæ diuinæ ſuſcepimus & pinguedinem: ſicut Eſaias fore prædixit, inquiẽs, Comedet bonũ (hoc eſt, vt Gloſſa habet Chriſtum) & delectabitur pinguedine gratiæ, nimirum diuinæ & ſanctorum virtutum. *Num. 11. Ioan. 6. Eſa 11.*

2 Operatur in nobis ſacramentum illud remiſſionẽ peccatorum, quando peculiariter à Chriſto inſtitutũ eſt in augmentum virtutum & quotidianæ fragilitatis medicamẽtũ. Huc tamen adhibendo ſalem ſapientiæ & ſyncerioris intelligentiæ. neq; enim intelligendum ſic eſt quaſi ſacramentũ hoc peccatum mortale in ſe adimat & remittat, cùm ſæpe ſuperioribus homiliis per nos ſit doctũ, eos qui in peccato mortali ſacramentum illud ſuſcipiunt, non modò non fructum aliquẽ in ſe auferre, ſed ipſiſſimam perniciẽ & mortẽ ex eo reportare, planèq; clamare cũ illis apud Eliſeũ, Mors eſt in olla. Quia ſic planè eſt, ſicut cibus corporalis cadaueri nihil cõducit demortuo, etiã intruſus: ita mortuę in peccatis animę hęc eſca nihil prodeſt, imo panis ille nocebit etiã iis qui iã inde à cunis veneno fuerint enutriti, ſicut puella iſta, quã Ariſtoteles refert Alexãdro regi donatam: cum quaſi cõcubuiſſet rex mortẽ non effugiſſet. Quiſquis itaq; veneno peccatorum mortaliũ nutritus fuerit, ei ſacramentũ hoc tãtũ nocebit & aduerſabitur. Sic igitur intellige in hoc ſacramẽto peccata dimitti. Primò, quia illud hominẽ à peccato mortali præſeruat. nam homo in gratia dei iam cõfirmatus, faciliùs peccatis omnîq; adeò tentationi reſiſtere poteſt: vnde multos legimus variis tẽtationibus afflictos, ſumptione huius ſacramẽti ab illis liberos. Æneas Syluius ſcribit, in Stiria nobilem quendã fuiſſe, cui ſępe in animum inciderit ſeipſum laqueo ſuſpendere, datúmq; illi à presbytero conſilium, vt quotidie miſſam audiret, paruiſſe nobilem atq; annũ fermè continuaſſe, nulla ſuſpẽdi cogitatione interueniente. Poſtremò rogatũ à ſacerdote, vt presbytero vicino qui tẽpli dedicationẽ in proximo mõte habitur' eſſet auxilio eſſe poſſet, licentiã dediſſe, proponentem in animo paulò pòſt ſequi & ſacris intereſſe. Steriſſe diu poſtea, nunc vna, nunc altera cauſa retentũ. Deniq; circa meridiẽ profecturũ, aggreſti cuidã in nemore occurriſſe, qui rẽ diuinã in monte peractam eſſe & populum oẽm abiiſſe diceret. Contriſtatum eo nuncio nobilem, infelicémq; ſe eſſe dicentem, *4. Re. 4. In Euro. cap. 21*

aggrestem consolari cœpisse. Venditurum, si vellet nobilis emere, præmium quod inter existendum diuinis meruisset: sagúmq; nobilis petiuisse precij nomine. Vēditione facta, nobilem nihilominus montē ascendisse, & orasse in tēplo. Reuersum autē, in proxima arbore suspensum aggrestē inuenisse: sed postea diris cogitationibus haudquaquam vexatum fuisse. Ecce quomodo sacramentum illud in missa per alium sumptum, nobilem hunc à tentatione proprij suspēdij liberauit: quando plus proderit, si quis dignè susceperit ipse? 2 Venialia peccata & quotidie ex fragilitate cōtracta adimit hoc sacramentum, sicut pœnitentia mortalia, id adeò beatus Ambrosius vidit, cùm diceret, panis iste quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Sic quoque sanctus Augustinus, semel inquit, oblatus est Christus in semetipso, & tamen quotidie immolatùr: quotidie ergo sacrificium offertur pro peccatis, quia quotidie peccamus, iis saltem peccatis, sine quibus humana non potest fragilitas consistere. Sic communiter dicunt doctores, quia eucharistia si dignè sumatur, à malo liberat, & confirmat in bono, venialia delet, & cauet mortalia. 3 Contractam quoque peccatis mortalibus pœnam delet eucharistia: dum enim pœnitentia facta confessus es peccata tua, mutata iam sit pœna, quā peccatis merueras, æterna in tēporalē, per absolutionē sacerdotis & virtutē clauium ecclesiæ, & iā sacramentū hoc sumis, bona pars pœnæ illius aufertur: imo tanta tum deuotione, tum charitate suscipere quis potest sacramentum, vt totius pœnæ cōmeritæ sibi cōferatur remissio: in quē sensum intelligēdæ sunt collectæ omnes, quibus ecclesia subinde sacramentū hoc remissionem peccatorum & ablutionē vocat scelerū, vt in quadragesima, Hęc nos domine communio purget à crimine, & cœlestis remedij faciat esse consortes. & rursus in alia, Per huius domine operationem mysterij, & vitia nostra purgentur, & iusta desideria compleantur. Et cū idē sæpius toto anno oret in collectis, tum verò apertissimè in missa generali beatus Augustinus, pro viuis & defunctis sic ait, Purificent nos quęsumus omnipotens deus sacramēta quæ sumpsimus, & intercedentib9 omnibus sanctis tuis præsta, vt hoc tuum sacramentum nō sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit cōtra

Ambro. Augus. Innocētius Pater. 3. de of. mis. Feria 2. Reminis. August.

omnia mūdi pericula firmamentum, sit viuorum atq; mortuorum fidelium remissio omnium delictorum.

4 Et tamen adhuc modum inuenio, quo potest sacramētum illud esse remissio peccatorum, éstque is talis: Si quis pro viribus suis peccata ante confessionem recogitet, & ibi tamen aliquid vel non occurrat cogitanti, vel confitenti iā exciderit, illud sanè sacramenti huius mādueatio adimit in illa generali peccatorū omnium pœnitētia. Atq; hoc ipsum est quod ecclesia orat in Cōplenda, Tui domine perceptio ne sacramenti & à nostris mundemur occultis, & ab hostiū liberemur insidiis. Quò pertinet & illud, quod ex institutione domini oramus ac petimus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. panem vtrique etiam intelligentes illum corporis Christi, ideo à Matthæo supersubstantialem appellatum. Statímque post id sequitur in oratione, & dimitte nobis debita nostra: quod argumento nobis esse potest, per hunc panem à præsentibus & imminentibus malis nos liberari. Nunc ad alios pergamus communionis fruct⁹ *Feria 5. post Inuocauit.* *Mat.6.*

5 Deuotionem quoq; porrò & feruentē erga deum charitatem operatur in nobis illud sacramentū, affectúmq; bonum omnē renouat, quē partim peccatis partim mundanis occupationibus amiseramus: quia sicut cibus corporalis, quicquid calore naturali absumptum fuerat, restaurat: ita quodcūq; in nobis feruor concupiscentiæ & peccati decoxerat, id nobis hoc sacramento plenè restituitur: quod & facit, vt rursus de deo cogitare, illúmque ardēter amare incipiamus. Vnde ecclesia quoq; id à domino petens, orat, Præbeant nobis domine diuinum tuum sancta feruorem, quo eorum pariter & actu delectemur & fructu. Id verò inde prouenit, quia sacramentum illud, dum nos vnit deo, etiam in se transmutat. In quo etiam panis hic spiritualis multò efficacior est corporali, quando hic in naturā & carnē vertitur manducantis, ille verò etiā manducantem transmutat in se: non secus atque si Christus ipse ex sacram[ento] loqueretur ei qui sumere velit, Cib⁹ sum grādium, ego nō mutabor in te, sed tu mutaberis in me. Et quemadmodum sigillū formā ceræ nō assumit, sed suā illi præbet: ita sigillū dei [...]cio sum hoc sacramētū, pectori nostro impressum, ipsi diuinam suā formā cōmunicat. Hoc modo sacramētū illud in se cōuertit & attraxit sanctum Paulum, adeò vt dixerit, Viuo *Feria 2. post palmarum.* *Augu.* *Galat. 2.*

Ignatius non ego iam, sed viuit in me Christus. hoc modo sibi de-
S. Moni- uinxit sanctissimum martyrem & pontificem Ignatium, vt
ca mater in illius iam defuncti corde á reliquo corpore refecto, in-
August. uenerint Ethnici nomen Iesu descriptũ. Neque aliter Mo-
nica, dignissima vtique tanto filio mater, ex hoc sacramen-
to adeò efferbuit atque exarsit animo, vt etiam humi su-
blata, in hanc vocem prorumperet, Eia, eia, euolemus in
cælum. Quia sicut ignis ignitum reddit ferrum, ita ignis
charitatis diuinæ, animos nostros in hoc sacramẽto accêdit
S. Agnes. & inflãmat: sicut beata Agnes confessa est, dicens, Iã corpus
eius corpori meo sociatum est, & sanguis eius ornauit ge-
nas meas. 4 Præterea conducit hoc sacramentũ ad corporis
Dominica simul & animæ tutelam, quod subinde in officio missæ
4. post pẽ- commemorat ecclesia. Iam enim dicit, Mysteria nos quæ-
tecost. sumus domine sumpta purificent, & suo munere tueantur.
Feria 4. & aliâs rursus, Sacramenta quæ sumpsimus domine deus
post Læta noster, & spiritualibus nos repleant alimentis, & corpo-
re. ralibus tueantur auxiliis. Iterum quoque, Sit nobis do-
Dominica mine reparatio mentis & corporis cœleste mysterium, vt
8 post pen cuius exequimur actionem, sentiamus effectum. Idem cla-
tecost. rè testatur Ambrosius, inquiens, Qui vulnus habet, medici
Ambr. nam requirit: vulnus est, quia sub peccato sumus: medici-
Exo. 12. na est cæleste & venerabile sacramentum, scutum quoque
& firmamentum eorum, qui in agone contendunt fortiter
aduersus diabolum. quod olim figuratum est in agno pa-
schali Iudæorum, quos ex mandato dei oportebat de san-
guine agni perungere postes & superliminare, quo vno
præmuniebantur ab angelo deuastante, & in reliquis ædi-
bus vndiq; primogenitos occidente. Consimili planè mo-
do nos quoque, cùm agnum nostrum suscipimus, cum com
memoratione passionis Christi perungimus superliminare
animæ nostræ, hoc est, rationem nostram, & vtrunque po-
stem animæ, appetitum scilicet concupiscibilem & irascibi
lem, nec [illegible]igimur neque cędimur ob exterminatore ange
Psal. 22. lo, & omnibus aduersantibus nobis securi uel ex hoc vno
Psalmi, Parasti in conspectu tuo mensam aduersus omnes
qu[illegible]bulant nos: quia dominus regit me, & nihil mihi de-
Chrysost. rit, [illegible] loco pascuæ ibi me collocauit. Et, Si ambulauero in
super medio vmbrę mortis nõ timebo mala, quoniam tu mecum
Ioannem. es. Hoc sanctus Chrysostomus quoque obseruauit, cùm

ait, Vt leones flammam ſpirantes de menſa domini recedimus, terribiles dæmonibus facti.

5 Ad extremum denique perfectam animæ vitam largitur hoc ſacramentum, quod etiam eccleſia à domino petens, orat. Sancta tua domine nos ſumpta viuificent, & miſericordiæ æternæ præparent expiatos. Et iterum, Oblatum tibi domine ſacrificiū viuificet nos ſemper & muniat. Hoc etiam eſt quod dominus apud Ioannem ait, Qui mãducat me, & ipſe viuet propter me. Hoc quoque videns Ambroſius, dixit, Iſte eſt panis vitæ æternæ, qui ſubſtantiam noſtram fulſit, quanuis idem ille malis & ĩndignè ſumentibus animam præcipitat magis in interitū, iuxta illud quod canit eccleſia, Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali, vitæ vel interitus. Mors eſt malis, vita bonis: vide paris ſumptionis quàm ſit diſpar exitus. Hoc idem prævidit in ſpiritu Dauid, cùm diceret, Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt dominum: qui requirunt eum, viuent corda eorum in ſeculum ſeculi. Confert & vitam corporalem hoc ſacramentum, quando multis vtique infirmantibus vel inter media animæ iam emigraturę ſuſpiria datum, vitam illis prorogat temporalem, qui morituri vtique fuerant, niſi illud ſuſcepiſſent. Quæris vnde id fiat? Ecce cum velut mortua plenáque ſtupore membra iacent, iámque de morte tantùm & vita ambigitur, vtuntur illa & (quid ineſt vitæ) excitantur. Vis & animæ cauterium videre? ſacramẽtum hoc ipſum eſt, quod in titionis figura prævidit Ezechiel. adurit enim, imo abſumit, quicquid in anima eſt putre & morbidum. Viuificans igitur ſacramentum illud hic animam per gratiam, in futura vita gloriā quoq; impetrat æternæ ſalutis: ſicut & Elias fortitudine cibi ſibi diuinitùs miſſi, ambulauit vſque ad montem dei Oreb. Det nunc deus, vt nos quoque in virtute huius panis ambulemus in montem dei vſque, in æternam ſcilicet fœlicitatem, teſte veriſſimo, ita certiſſimo, Chriſto domino dicente apud Ioannem, Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. quia quiſquis hîc dignè manducat cibum illū angelorum, perueniet tandem vſq; ad montem dei Oreb, ad ſaturitatem illam menſæ domini in æterna gloria. Quam nobis donet, qui eſt benedictus in æuum, Amen.

Dominica 3 poſt pentecoſt. *Feria 2. poſt Lætare.* *Ambro.* *In ſequentia.* *Pſal. 21.* *Ezech. 1* *3. Re. 19.* *Ioan. 6.* *Oreb.*

HOMILIA SEXTA ET VLTIMA, DE *malis atque incommodis indignè sumentium venerabile illud Eucharistiæ sacramentum.*

SI QVIS tantæ sit duritiæ homo, vt immensis illis cōmodis non moueatur ad percipiendum hoc sacramentum, neque gratias & dona quæ inde prouenīunt consideret, non securitatem & tranquillitatem conscientiæ, non tutelam etiam temporalem, non præmium æternæ saluris, atqui saltem vrgeat istum pernicies maxima corporis & animæ eorum, qui indignè sumunt sacramentum. Et ne cuiquam aliquod dubium incidat de pœna malorum, primùm omnium probabiles rationes adducemus, quamobrē credere debeant omnes homines, venerabile hoc sacramentum huiusmodi fructus exercere in anima boni & synceri Christiani, sicut antè per nos ostensum est, idque beneficio & auxilio diuinæ omnipotentiæ, secundum beneplacitum suæ voluntatis. ¶ Ecce enim in euangelio legimus mulierem duodecim iam annis profluuio sanguinis laborantem, in hoc vno sanatam, quod fimbriam domini tetigit. Quis ambigit corpus illius, in quo natus, passus & mortuus est, plus habere virtutis à deo quàm fimbriam? Deinde ligno isti quod erat in medio paradisi, vim hanc indidit deus, vt hominibus vitam corporalem perpetuò prorogaret: & panem illū immortalem, animæ vitam reddere posse negabimus? Fatemur omnes ex certa sanctæ historiæ veritate, semicincta & sudaria Pauli virtutis tantum habuisse, vt imposita infirmis, sanarent eos, & dæmonia ex obsessis eiicerent: & adhuc dubitamus corpus Christi morbos sanare corporū, & dæmones ex animabus hominum pellere posse? Si vmbra Petri, principis quidē apostolorū, sanauit ægrotos, quid veritas poterit corporis Christi, qui rex est angelorum & hominum? Pręterea si Ioannes solo cōtactu, hominis infidelis Aristobuli tres mortuos resuscitauit, quātò magis credēdū est, deū adesse habitui & indumento suæ diuinitatis, assumptæ scilicet naturæ humanę, qua ille vt homo indutus ac vestitus est? Nemo itaque dubitet, multò pl' corpori suo tribuisse uirtutum & fructuum, quàm enarrauerim' ipsi. siquidē corpus illud sanctissimū in vnitate suæ personæ suscepit, in eodem salutem operatus mundi, morte iam deuicta & superato diabolo, illud deinceps sup choros

Matt. 9. *Gene. 2.* *Act. 19* *Act. 5.* *Philip. 2.*

ros

tos eleuauit angelorũ,cõstituit ad dexterã patris sui omnipotentis,in quo etiã anima illa sanctissima sub finẽ mundi iudicabit viuos & mortuos.Hoc ipsum Christi corp' quisquis mãducat dignè,eũ plurimos suprà enumeratos acquirere fructus,dubiũ nõ est:& vicissim qui sumit indignè, immensa sibi mala cõciliat.Et primũ quidẽ qui nõ indignè tãtùm manducat,sed etiam vel mãducare omnino cõtemnit, vel in peccato mortali accedit, vel seipsum nõ satis excutit & peccata sua recogitat,vel cõfessus non est, vel si cõfessus est absolutionem ex sacerdote nõ est cõsecutus,denuò iam peccatũ mortale & quidẽ maximum cõmittit,quia qui pollutus (inquit Ambrosius) accedit,non solùm corpus Christi lacerat,sed totam trinitatem adunatã corpori Christi inhonorat. Et infrà,Pœnã mortis Christi mœrentur, ac si Christum occidissent,qui indignè percipiunt.Esse autem peccatum illud sanè magnũ eorũ qui Christum crucifixerunt,vel ex iis verbis Christi apparet,quãdo dixit Iudæis, Veniet super vos omnis sanguis iustus à sanguine iusti Abel vsq; ad sanguinem Zachariæ. Quis est autẽ Christianorũ,qui non abominetur peccatũ Iudæorum,Christum crucifigentium? Quis,qui nõ auersetur peccatũ Iudæ traditoris?At quotusquisque indignè sumentiũ est,qui cogitet se in eadem cum omnibus illis esse naui peccatorũ? Aut nónne de quolibet sic indignè sumẽte,sicut de Iuda dicit dominus, Ecce man' tradentis me,mecum est in mẽsa?Nam sicut Iudas tradidit Christum malis Iudæis,ita hi indignè cõmunicãtes, tradũt Christum peccãtibus membris. Imo quotquot sunt huiusmodi,Christiani quidẽ cẽsentur partim titulo,partim externis gestib',sed meritis & virtutib' quiduis potius quã Christiani:atq; ideo grauius peccant,& ad eos dicit Ioãnes,quoniã viuentis nomen tãtũ habent,cætera mortui:atqui ideo panis ille sanctus ipsis in iudiciũ cedit & mortẽ, vertitúrq; vt ait Iob,in fel aspidũ intrinsecus. Quãuis autẽ tẽpore quo præceptũ est sumere sacramentũ,intermittere illud sine peccato nõ liceat,tamen peccatũ maius habẽt,qui illud in peccatis suscipiunt Et sicut cibus corporalis, cùm ventrem inuenit à diuersis humorib' occupatum,amplius lædit,magis nocet,nullũ præstat auxilium:ita est cibus spiritualis,si aliquẽ reperit malignitate pollutũ,magis eum perdet, nõ suo, sed accipientis vitio.Ne itaq; putet quisquã sacramẽto illo

Ambro

Matt. 23

Gregor.

Apo. 3.

Iob. 20.

Chrysost.

malitiam suam supportandam. sicut per Hieremiã dicit dominus, Quid est quod dilect' meus, in domo mea facit scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quib' gloriata es? quasi dicat, nihil min'. Imo norit, cõtra legem dei facere se & præceptũ domini, quo ille mãdauit sanctum canib' nõ dari debere. quia quicunque sic faciunt & peccatis premuntur, iumentis cõparantur insipientibus, & similes fiunt illis. 2 Diabolus quoque eos qui indignè sacramentũ suscipêre, ingreditur ac obsidet, quamuis corporaliter nõ excruciet, neque torqueat illos: sic contigit Iudæ, qui cum intinctum à Christo panem accepisset, intrauit in eũ Satanas. vbi Augustinus dicit, quòd sicut Iudas nõ quod mali quippiã suscepisset, sed quia bonũ malè sumpserat, locũ dedit diabolo: sic quilibet facit, qui indignè suscipit corpus Christi. Et infrà, Ideo quisque cõscientiam mũdam afferat ad hoc sacramentum, ne si afferat immũdã, admittat diabolũ vt Iudas. Discat inde vnusquisq; quomodo insidietur diabolus iis, qui impurè sanctissima tractant mysteria dei. Periculum est enim, ne septem spiritus immundi in huiusmodi hominẽ ingrediantur, sicut in euãgelio legitur. Tu Cyprianũ quoque vide, quomodo cõtigerit aliquãdo puero cuidam, qui cum ex idolothytis comedisset, quomodo se gessit, quãdo intrusum deinceps sibi quoq; gustauit sacramẽtum. Neque rarò in historiis legitur, quo pacto obsessi sint à dæmonibus, qui indignè sumpserũt hoc venerabile sacramentum. 3 Quid quod sæpenumero corporaliter isti affliguntur, ægrotant, moriuntur nonnunquã subitò? secundum quod Paulus testatur, cùm ait, Qui mãducat & bibit indignè, iudicium sibi mãducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiũt multi: moriuntur scilicet, vt habet Glosa. Aut nõ putas multos subitis febrib' correptos variis morbis afflictos, diuturnis cruciatibus extabescẽtes, demortuos, qui indignè sumpserint sacramẽtum? Vtique etiamnum videmus plerosque post imminentia hæc festa paschalia morbis corripi vexari: vnde etiam tunc ecclesia suppliciter pro iis dominum precatur, in hymno dicẽs, Quæsumus auctor omniũ, in hoc paschali gaudio, ab omni mortis impetu tuũ defendas populum. ¶ Sic subitò mortuus est Oza ex arcæ contactu. Sic leprosus factus est rex Ozias, quòd preter cõ-

Hiere.22 *Matt.7.* *Psal.48.* *Augu.* *Leo.* *In sermo. de lapsis.* *1.Cor.11.* *Glosa.* *Hymnus* *2.Re.6.* *2.Pa.26.*

ditionem officij sui, sacrificasset. Adam & Eua primi parentes nostri, quia de cibo vetito comederant, profligati & eiecti sunt de paradiso cũ omni posteritate sua. Balthasar rex qui ex vasis sanctificatis domino biberat, grauiter afflictus est à domino, sicut prædixerat illi Daniel: sequenti quoque nocte miserè cõfossus, occubuit. Ij omnes quando grauiter & duriter adeò supplicia malorum suorum condigna sustinuerunt, quid de Christianis futurũ putas? Ecce cum fastidio indignantibus Iudęis, per eo, quod illis affatim de cœlo dabatur manna, & dicentibus, Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo, grauiter iratus est dominus, & immisit eis serpentes igneos, ex quibus multi eorum infirmati, & mortui sunt. Quòd si igitur nõ pepercit deus iudęis indignè manducantibus manna illud, an Christianis parcet, indignè sumentibus etiam sanctissimũ corpus Christi? Quin potius, vt ait Paul', Quãto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium dei cõculcauerit, & sanguinẽ testamẽti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ cõtumeliam fecerit? ¶Hoc etiam inde colligitur, quòd ij qui mortis Christi fuerunt auctores, omnes graui morte perierũt: eorum autẽ qui indignè hoc suscipiunt sacramentum, peccatũ æquale est ei, quod cõmiserunt qui crucifixerũt Christũ: iuxta illud Pauli, Rursum crucifigẽtes sibimetipsis filiũ dei. Profectò enim qui manducat indignè, reus est corporis & sanguinis domini. Quid est hoc, inquit Ambrosius, esse reum? hoc nimirũ, sicut isti rei sunt, qui Christũ nihil tale cõmeritum occiderũt. Sicut ergo dixit domin', Væ homini, per quẽ filius hominis traditur: ita vę quoque illis, per quos Christi denuò crucifigitur. Væ væ inquã omnib', quotquot eũ in mala conscientia sub sacramento suscipiũt: qui quanuis illum nõ tradunt crucifigendum, tamen membris inimici offerunt vescendũ. Quid multa? sic omnino accidit Iudæ, qui sacramentũ indignè sumpsit, deinde ꝓdidit dominũ ac tradidit exili & sordido precio venditũ Iudæis, mox desperans abiit & laqueo se suspẽdẽs crepuit medius: quoniã indigna erat anima ipsius maledicta quæ per os exiret, vbi sanctissimum corpus domini ingressum fuerat.

Gene.3. *Dan.5.* *Num.12* *Hebr.10* *Hebr.6.* *1.Cor.11.* *Matt.26* *Mat.27.* *Act.1.*

4 Sed quid longiùs iis immoramur, quãdò quod malorũ omnium & maximũ & extremũ est, eos manet, qui indignè suscipiunt sacramẽtũ? pœnam enim acquirũt damnationis

1.Cor.11. æternæ,secundum illud Pauli. Quisquis manducat & bibit indignè iudiciũ sibi manducat & bibit. Aut quod aliud est, iudiciũ hoc,nisi damnationis? Sic verè dici potest huiusmo
Matt.26 di homini,quod Christus dixit Iudæ,Melius fuerat ei,si na tus nõ fuisset homo ille. Et quid mirũ si in peccatis accedentem vel ima terra dehiscens absorberet,non aliter quã Da-
Num.16 than,Chore & Abiron? ¶ Sic quoq; præcepit dominus in
Leuit. 7. lege,Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum,quæ oblata est domino, peribit de populis suis. Et homo igitur qui in peccatis cõstitutus,mãducauerit de sancto illo Christi sacrificio,quod pacẽ nobis in cælo simul ac terra restituit, eiectus omnino peribit de populo & grege beatorum,detrusus in carceres dãnatorum. Væ væ homini, qui tam immemor salutis suę,tam nõ solicitus de felicitate & vita futura,nihil planè meminit animæ suæ. Et mirũ sanè quod non cõniuente domino deo, in huiusmodi homi-
Actu. 1 nem diabolus ingreditur, visceráq; illius disrũpit, vt Iudę.
1.Reg.6. Certè sic afflixit deus Bethsamitas,eò quòd arcam tãtũ domini viderant indignè, vt quinquaginta milia morte perirent. Huiusmodi sanè & id genus alias plures pœnas, quas præparauit deus iis qui indignè suscipiũt sacramentum, & propriè & seriò spiritus sanctus per os Dauidis prædixit,
Psal. 68. Fiat mensa eorũ coram ipsis in laqueum,quia hîc peccãt:in retributiones,ecce pœnas:& in scãdalũ,quo ad proximum Obscurentur oculi eorũ ne videant,ecce cæcitas mentis: & dorsum eorũ semper incurua,ecce victi iacent sub tentationibus. Effunde super eos irã tuam, & furor iræ tuæ cõprehendat eos,ecce flagella dei. fiat habitatio eorũ deserta, & in tabernaculis eorũ non sit qui inhabitet. Id demũ fit, quũ isti omni gratia cũctisq; dei donis priuati,iámq; cõsolationis expertes,desperare incipiunt,& nihil boni vel cogitant amplius vel operantur. Postremò,quàm id fieri potest diligentissimè,admonitos in Christo vos volo, vt quàm chara vobis est corporis & animę vita,tam solicitè caueatis,ne indignè tantũ suscipiatis sacramentum, in detrimentũ tẽporale & damnationis æternæ iudicium: quoniam eò maximè diuina offendi maiestas solet. Prospicite igitur, vt quod in bonum,cõmodum,remediũ & salutem vobis est institutũ, atque à Christo relictum,id ne vertatis in perniciẽ vestram: quod hîc nõ Christum tantùm,sed totam simul trinitatẽ in

vos concitabitis. Cõqueritur ecce dominus deus & pater ille cælestis aduersus indignè sumentẽ, cũ Iacob dicens, Fera pessima deuorauit filiũ meum, bestia deuorauit filiũ meũ. *Gene.37.*
¶ Cõqueritur super huiusmodi peccatore, & fili⁹ ipse Christus dominus, Dederũt, inquiens, in escam meam fel. Conqueritur & spiritus sanctus, dicens, Iuda, osculo filiũ hominis tradis? Quilibet enim hoc modo sacramentũ sumẽs indignè, sub specie, fuco & prętextu Christiani nominis Christũ tradit mẽbris suis in peccato sepultis. Quid ergo facis ô Iuda? quid cogitas? An damnationem vltrò tibi paras? An charitatem dei cõtemnis? Ne id facias, per Christũ rogo, illius passionẽ amarissimam in te perire nõ sine, quin potius cõuertere ad dominũ ex toto corde tuo, & inuenies gratiã atque misericordiã apud dominum. Ecce enim viuo, inquit dominus, nolo mortẽ peccatoris, sed magis vt cõuertatur & viuat. Humilia te coram deo, procidens plora ante dominum, cõfiteri peccata tua, & da gloriã deo cũ rege Acham Ingrediens quoq; animi tui intimos recessus & abdita cordis penetralia, dic cum filio ꝓdigo, Pater, peccaui in cælũ & coram te, non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Quis scit, si cõuertatur & ignoscat deus, & relinquat post se benedictionẽ? Vt sic tu quoque in hac præsenti vita post indulgẽtiam & remissionem peccatorũ tuorum, gratiã ipsius impetres, & post hanc vitam, vitam illã sempiternam. Quam nobis omnib⁹ misericorditer concedat Iesus Christus dominus noster, Amen. *Psal 68.* *Eze. 18. & 33.* *Psal.94.* *Iosue 7.* *Luc.15.* *Ioel 2.*

PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, EX QVATVOR EVANGELIstis breuiter collecta, per Ioannem Eckium anno gratiæ M.D.XII. & ad plebem Ingoldstadij declamata.

ARTICVLVS PRIMVS.

IN ILLO *tempore, Peracta scilicet iam vltima cœna, & magnifico illo domini sermone finito, egressus est Iesus trans torrentem Cedron, in villam quæ dicebatur Gethsemani, cum discipulis suis, & intrauit in hortum, ibique dixit illis, Sedete hic, & orate, ne intretis in tentationem, donec eam illuc, & orem. Et assumpsit secum Petrum &*

GG iij

duos filiis Zebedæi, Iacobum & Ioannem, & cœpit tristari ac mœstus esse, dixitque ad illos, Tristis est anima vsque ad mortem. sustinete hic & vigilate mecum. Et progressus aliquantulum, procidit in faciem suam, orauit & dixit, Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Et postquam orauit, venit ad discipulos suos, & ait illis, Vt quid dormitis? non potuistis vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Atque quum rursus abiisset oratum, sicut prius, apparuit ei angelus & consolatus est eum. Quumque oraret longius, factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et post orationem iterum venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes. Deinde rediit tertiò ad orationem suam vt prius. rursusque consummata illa, venit ad discipulos suos, & dixit, Dormite iam & requiescite. Ecce iam venit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Sunt qui putãt hoc factum in tertia oratiõe, quod equidẽ nõ improbo.

HÆC HACTENVS.

EXPOSITIO ARTIC. HVIVS ET PIA MEDITATIO, QVIDNAM ANIMA IN GRAdum sublimiorẽ conscendens cõtemplari debeat.

PARTICVLA PRIMA.

Ascende anima mea, in gradum hunc primum, & contemplans vndique circumlustra, quid videas in illa pia contemplatione tua. Video, inquit, dominum Iesum flexis in terram genibus, procumbentem in monte Oliueti: sicque extensis vtrinque manibus in crucis figuram iacere super terram, facieque sua benedicta humo impressa, tremulum iam totum & turbatum vndique angustia circundatum: sudorem quoque cerno sanguineum passim ex suo corpore emanare. Verùm qur hæc & omnia & tanta, anima mea? Ideo nimirum, vt hoc ipso sudore suo, inaudito antea & omnibus retro seculis nunquam viso, immensam declararet mentis suę imo animi pariter & corporis turbationem. Totius itaque & iustus imber ille fuit sudoris dominici, eò quòd anima illius turbata erat in mortem vsque: ille, inquã tristari cœpit & mœstus esse, qui peccatum nunquam fecerat, in cuius ore dolus inuentus non erat.

Dominus in Oliueto

1. Pet. 2

PARTICVLA SECVNDA PIÆ & deuotæ huius contemplationis.

¶ Sed quid interim adhuc subest causæ, quòd dominus & deus ille tu' adeò turbatur, anima mea? Respõdet illa, Multæ & magnæ occurrũt hîc rationes, quarum prima hæc est, Quoniam ratio hîc in Christo sensualitati, & vel maximè propriè & clarè, imo ineuitabiliter significabat imminẽtia supplicia, quæ Christus iamiã subiturus erat: ideóq; ipsam velut præmonebat, vt ea fortiter sustineret, nec quicquam fugę meditaretur: sic fiebat, vt iam sensualitatem nõ lateret aliquid eorum, quæ Christus passurus erat, sed illi videbantur omnia, ac si iam præsentia forent. & ideo tũc vires eius cõmouebantur omnes, spiritus vitales agitabantur per mẽbra omnia, ita vt concitatus toto iam corpore sanguis erũperet. Eò pertinet, quòd Christus, quia secundum carnem per desuper venientẽ spiritus sancti operationẽ ex purissimis sanguineis guttulis virginis matris genitus erat, naturę quoque fuit subtilissimæ, ita vt hoc modo efficaciùs operata sit tristitia tanta in tenerrrimo sanctissimóque corpore Christi. Quanuis non desunt, qùi sudorem hunc Christi supernaturalem fuisse putant. Verùm adhuc alia quędam mecũ hîc contẽplari te quæso, animula mea, ne pigeat. Quin potius vide, si super passione sua & morte adeò tristatus est dominus, qui tamen certus erat paulò pòst ingressurum se in gloriam summam suæ diuinitatis potentiæ & beatitudinis: quid futurum est de miseris hominibus, quorum vt certissima mors est, ita mortis hora lõgè incertior, multò verò omnium incertissimum, quonam velut in proximũ longissimæ istius profectionis diuersoriũ perueniant post mortẽ? Vt iam omnibus hominib' semper prę oculis obseruari debeat illud Sapientis, Memorare nouissima tua, & in ęternũ non peccabis: quãdo vel hoc ipso Christi exemplo apparet verum esse istud, quantumuis ethnici hominis dictum, Terribilium omnium mortem esse longè terribilissimum. Sed nos quoque hîc Christum sequentes, longis multísque nosmet præparemus orationibus, voluntatem nostram attemperemus voluntati diuinæ, & (quæ ars artium omnium vna est & eminentissima & longè optima) bene mori discamus.

Causa tristitiæ Christi.

Eccle. 7.

Aristo.

¶ Altera tantæ in Christo tristitiæ causa est, quod ille iam tacitus secum fugam cogitabat discipulorum, peccatúmq;

Iudæ & Iudæorũ. Tristat⁹ insuper est super peccatis omniũ hominum, & præteritis & præsentibus & futuris: quæ sanè maxima fuit tristitia, superãs dolorem omnium eorum, qui pœnitẽtiam habẽt de peccatis suis. Quantò enim Christus & peccati mala rectiùs cognouit, & odiũ eiusdem maius ha buit, tãtò magis super illo tristari potuit & dolere omnibus
Ioan. 11. cæteris hominibus. Sed ecce Lazarũ etiam quatriduanũ iã resuscitaturus dominus, tristabatur & dolebat, spiritu quoque infremuit, neq; à lachrymis abstinuit: quid hîc factur⁹ quando super peccatis totius mundi tristitiam sibi cõceperat? quando Iudæorum vesanum furorem, Iudæ perfidiam, cęterorúmq; discipulorum à se defectionem & fugã præuidebat? Iudam nanq; paulò antè in apostolatũ assumpserat, quem nunc vitæ suę sibi videbat imminere proditorem. Et quum Petrum vigilare secum non posse cernebat, dubium non erat, Iudam attentissimas agere cum Iudæis excubias, quod ipsum etiã considerans ille docebat discipulis, Nõ videtis, quia Iudas nõ dormit, sed festinat me tradere Iudæis?
Exod. 19. Ingratitudinẽ quoq; inter cętera hîc secũ reputabat dominus populi Iudaici, quẽ sibi prę omnib⁹ aliis deus iam olim elegerat: quem multis miraculis illustrẽ, donis plurimis red diderat & beneficius insignẽ. Ex cuius sanguine nasci filius dei voluit, cui⁹ cæcos, claudos, leprosos, dæmoniis obsessos & alioqui debiles sanare dignat⁹ est. Sed vide vicissitudinẽ magnam. Quorum ille etiam mortuos paulò ante suscitauerat, eum ipsi nunc rursus morti tradere parabant. Ea omnia tristitiã domino maiorẽ cõmouebant & dolorem, iuxta humanitatem ipsius: sicut ipsi quoq; experimur in nobis, quòd ingratos esse cõperientes eos in quos multum beneficij cõtulerimus, pene disrũpimur. Meritò itaq; tristatus est dominus super ingratitudine tanta Iudæorum. Ratio porrò tertia hæc, Quoniam hîc dominus futura ista præuidebat etiã Christianorum maxima peccata, eorũ inquam, qui repulsis iam Iudæis, ex Gẽtilitate vocandi erant ad fidẽ, & spiritum sanctũ in baptismo suscepturi, sanctissimúmq; Christi corpus in cibum sumpturi, aliísque tum sacramẽtis tum donationibus magna & immẽsa dei misericordia futuri erãt clarissimi: sed ij quoq; ingratissimi beneficiis tantis dei, quid aliud egerũt, vel etiamnum agunt, nisi quod Christũ, quantum in ipsis est, rursus crucifigentes, suam sibi construunt

damnationem? Fuitq; adeò Christi dolor iste ex multis lon gè acerbissimus, dum cōsiderabat passionem suam amarissimam in tot milibus hominū fore infrugiferam: imo Christianos quoque futuros esse ingratos adeò, vt si quibusdam eorum adhuc daretur crucifigendus Christus, multò plura ei inferrent etiam supplicia, quàm olim fecerint Iudæi. *Heb.6.*

¶ Rabanus adhuc dicit, ad mortem vsq; tristē fuisse dominum, quoniā nouerat sanguinē suū tam inutiliter effundēdum, vt tunc vix vnū latronem acquireret, vnū apostolorū perderet. Tristatus itaq; sic Christus, veluti cum Psalmista inclamauit, Quæ vtilitas in sanguine meo? Et hæc ferè sunt illæ potissimæ causę, quamobrē mœrore tanto cōfectus dominus fuerit vt dixerit, Tristis est anima mea vsq; ad mortem: vt sudorē insuper sanguineū sudarit. Neq; inficiamur rationes adhuc assignari plures posse, vt cōpassionem virginis matris, quam pertransiuit gladius ille Simeonis, tēpore passionis Christi. pertineret eò pulcherrimæ quoque vrbis miserādum excidiū. Sed iis omissis, ad alia progrediamur. *Rabanus* *Psal. 29.*

PARTICVLA III.

¶ Quid amplius in hoc primo gradu cernis obsecro, anima mea? Video, inquit, Christum ter orare patrem suum, vt à se auferret calicē passionis, sed vt ipse vellet pater, nō pro filij voluntate. Sed cur constanter adeò & perseuerāter pro eo regnauit Christus, quòd se nō assequuturum certus erat? eius rei sanè, quanuis causæ reddi multæ soleant, potissima tamen ėst, in exemplū & doctrinam nostrā idipsum fecisse.

1 Et primùm quidem, sicut ipse postquam animam suam vsque ad mortem esse tristem dixerat, statímque abiit & orauit: ita nos quoq; dum persecutiones patimur, dum affligimur, dū malis præmimur, clamare ad dominū debemus in sedula & pia precatione. Et qui hominem se nouit, non debet mœrore cōfici, & tristitia tabescere, sed potius apertis pręcordiis coram domino, inde sibi petat auxiliū, sicut sacræ scripturę locupletè docent. 2 Quod autē ad iactum lapidis à discipulis recessit, docere nos voluit, vt ipsi quoque oraturi, in locum secedamus abditū, sicque magis pio voca re queamus affectui. Poterat quidem sine dubio simili affe ctu orare dominus coram discipulis, sed nobis orādi modū præscribere voluit, dum in terram pronus lapsus est.

3 Atque cùm tertiò etiam legimus ipsum ad orationē re-

dixisse, exemplum nobis proponitur perseuerantiæ in orãdo & constantiæ firmæ. 4 Docemur hinc quoq; in omnibus orationibus nostris, voluntatem nostram voluntati subiice re & attemperare diuinæ: & sic omnino cum domino dicere, fiat pater non quod ego volo, sed quod tu vis: sicut & o-

Mat. 6. ramus quotidie, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Quomodo autẽ aliam à patre suo voluntatẽ habuerit Chri

Augusti. stus, doctores dicunt variã & multiplicẽ dici posse de Christo vel in ipso esse voluntatẽ: vnam secundum diuinitatẽ: & sic vna & eadem est voluntas triũ personarũ in diuinis, atq; de hac voluntate loquendo, nõ orauit hîc Christus: quia sic moti voluit ex decreto & ordinatione diuinę volũtatis, san

Voluntas Christi. ctæq; & indiuiduæ trinitatis. Alia præter hanc dicitur esse in Christo voluntas secundum humanitatem, in ipsa ratione tamen posita; & secundum hãc quoq; pati nõ recusauit, non quidẽ propter ipsam in se passionem tanquam sibi cõtrariam, sed cõsiderato illo fine, propter quẽ passurus erat, redemptione scilicet totius generis humani, & secundũ hãc voluntatẽ planè obediẽs erat deo. Verùm quo ad voluntatẽ sensualitatis, quæ naturali quodam instinctu tãta supplicia abhorrebat passionis & mortis, libenter effugisset pœnam mortis atq; sic secundum hanc volũtatem sensibilẽ orabat Christus, auferri à se calicẽ passionis: sic tamẽ, vt hîc quoq; fieret volũtas patris sui cælestis. Atq; hoc modo ratio imperabat sensualitati & naturæ, quęuĩs supplicia vltrò & libenter sustinere. Sed cur adeò constanter orauit ille, iam nunc quoque non ignarus se non exaudiendum, antea ostensum est, nobis factum esse in exemplum & instructionem.

PARTICVLA IIII.

¶Adhuc in eodem stans gradu anima mea, quid obsecro cernis? Angelum, inquit, ecce video apparere domino ipsumq; confortare & solari. Verùm quid hoc sibi vult, animula mea? aut quid est quod dominus idémque rex angelorum cõsolatione cõfirmatur angeli? Potuit, inquit, illa angelus tanquam subtilis quædam & nobilis substantia cõsolari sensualitatẽ Christi, quoniam adhuc corpus Christi clarificatum non erat: & quia sensualitas illa passionem horrebat potuit eam confirmare angelus, non aliter quam eam ratio ipsa quoq; cõfortabar, breuitatem promittens supplicij, & imminẽtem spondens claritatem. Cæterùm si perso-

nam Christi, qui quidem rex & dominus erat angelorum contemplamur, nihil minus quàm quòd ipsum vel cõfirmarit in cœpta passione, vel de imminente morte cõsolatus sit angelus. sed eo tantũ modo se exhibuit, sicut sæpenumero minister dominum suum consolari nititur. & angelus itaq; fidelissimus Christi ministrator, diuinitatem ipsius hîc declarauit, dum illi astitit, ipsum consolatus est, ostendens passione sua genus humanum esse redimendum: enixè insuper rogans, vt illam maturaret, nec diutiùs differret: fore enim vt ipsa, ruinæ quoque implerentur angelorum.

¶ Adhuc alia quoque à doctoribus causa redditur, quare apparuerit angelus, nimirum ad declarationem humanitatis Christi, que sic consolationem suscipere poterat, sicut antea de sensualitate dictum est. Tertia porrò ratiò datur illius, quod per hoc magnitudinem sui doloris voluit insinuare seu manifestare. Et putat hîc Christianissimus ille cancellarius Gerson, archangelum Gabrielem apparuisse Mariæ, ipsiq; dixisse, Ne timeas maria. & sic illi enumerasse immensum, qui ex passione filij sui prouenturus erat fructum: atque quid post resurrectionem gloriæ, & quãtum gaudij insecuturum erat. Theophylactus verò, Apparuit, inquit, ei angelus, glorificans eum, & dicens, Tua est domine fortitudo, tu enim præuales contra mortem & contra infernum liberare genus humanum. Quarta etiam causa assignari potest, factum id esse ad instructionem & informationem nostram. vt ait Iordanus: quoniam ex illo Christi exẽplo, nos quoq; non paulò iam confidentiùs sperare possumus, quòd nobis & orantibus & in tribulatione quacunque constitutis sancti angeli dei fideliter assistant. Contemplemur itaq; dilectissimi in Christo fratres, & consideremus in hoc primo sanctæ meditationis gradu stantes, Immensam Christi tristitiam, videamus sudorem eius sanguineum, animo cõcipiamus & orationem illius & angelicam consolationem. Oremus nos quoque & dicamus.

Psal. 19

Gerson.

Theoph.

Iordanus.

¶ O domine Iesu Christe, vltima spes nostra & vnicũ solatium, digneris per te tuosq; bonos angelos in omnibus tribulationibus & afflictionibus nos confortare, præcipuè in postrema necessitate nostra, in tremendo mortis certamine: vt habeamus per veram pœnitentiam tui doloris, tui sudoris, sanguinis & orationis memoriam, Amen.

❧DE FVRIOSA ET CONCITATA CHRISTI CAPTIVITATE SIMVL ac fuga discipulorum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

TEXTVS EVANGELISTARVM.

ET adhuc loquente domino, ecce Iudas vnus de duodecim, & cum eo turba multa, cum gladiis & fustibus, missi à principibus sacerdotum & senioribus populi. Qui autem tradebat eum, dedit illis signũ, dicens, Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè. Et cùm venisset, statim accedens eum ait, Aue rabi. & appropinquauit ad Iesum vt oscularetur Iesus autem dixit ei, Iuda, osculo filiũ hominis tradis? Amice, ad quid venisti? & osculatus est eum. Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, dixitque eis, Quem quæritis? Responderunt, Iesum Nazarenum. Dixit eis Iesus, Ego sum. Stabat autem Iudas qui tradebat eum cum ipsis. Vt ergo dixit eis, ego sum abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram, Iterum interrogauit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Iesum Nazarenum. Respondit Iesus, Dixi vobis quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire: Vt impleretur sermo quem dixit, Quia quos dedisti mihi pater, non perdidi ex eis quenquam. Tunc accesserunt & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Videntes autem ij qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei, Domine si percutimus in gladio? Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum & percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dextram. Erat autem nomen seruo Malchus Dixit ergo Iesus Petro, Calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum? mitte gladium tuum in vaginam. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. an putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quam duodecim legiones angelorũ? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? Sinite vsque huc. & cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum. In illa hora dixit Iesus turbis, Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me, quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis: sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum. Hoc autem totum factum est, vt implerentur scripturæ prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis.

ARTICVLI II. PARTICVLA
seu Consideratio prima.

AGe itaque anima mea, enitere: & ascendens in secundum gradum, circunspice quid videas. Iudam, inquit, video istum perditissimum, non minimum ex sectatoribus Christi, sed vnum ex duodecim, dominum & magistrum suum Christum osculo tradere Iudæis in mortem, atque adeò ad ipsum venite in montem Oliueti, dolosé salutare magistrum: cuius nolebat esse discipulus. Ambrosius dicit, *Ambro.* O Iuda, amoris pignore vulnus infligis, & charitatis officio sanguine fundis, pacis instrumento mortem irrogas, Seruus dominum, discipulus prodis magistrum, electus authorem. O Iuda, quid facis? osculo filium hominis tradis? Infœ *Psal. 67.* licissime Iuda, vt quid præsumis impudenti ore os Christi sanctissimum tangere? O mutationem dexteræ excelsi admirandam! ò stupendam vicissitudinem! Discipulus iste faciem domini sui osculatur, & condemnatur: peccatrix mulier Maria osculata est pedes illius, & saluatur. O miseram *Luc. 7* tuam mercaturam, impie & scelerate Iuda, qui & vitę datorem & authorem denariis triginta vendidisti in mortem! O fraudulentam retributionem & iniquam! quoniam triginta denarios, quos à muliere in honorem & sepulturam Christi pro vnguento precioso impensos, tibi tuisque furtis & rapinis decedere videbas, ex sanguine Christi recuperare parabas. Profectò sicut insanabilia vulnera nec auste *Ioan. 12* ris medicamentis obediunt, nec demulcentibus: sic anima vbi semel est captiuata, & seipsam dederit cuicunque pecca to, nullum emolumentum ex admonitionibus consequetur. quod & Iudæ accidit à proditione non cessanti, quanuis omni modo doctrinæ esset à Christo cohibitus. Voca uit ille eum in apostolum, dispensatorem esse voluit, pote- *Chrysost.* statem eiiciendi dæmonia & curandi infirmos ei tribuit: sedulò in cœna præmonuit, sanctissimo corporis & sanguinis sui sacramento ipsum cibauit, diuina virtute eum cum cæteris in terram prostrauit. Verùm istum à tam scelerato suo proposito pertinacem adeò neque benignitas domini tanta deduxit, etiam cùm diceret, melius fore si natus non fuisset homo ille neque virtus diuina in monte Oliueti exhibita, Iudam cohibuit: quinimo in voluntate semel concepta perdurauit iste tantisper dū consummaret eā. Horren-

dum est, prohdolor, & extremis deplorandũ suspiriis, tantã esse posse alicuius hominis miseriam, quã vel cogitare saltem longé miserrimum est. Quanto studio, quanta cura sollicitus subinde fuisti, turpissime Iuda, propositum istud tuũ impium perficere, vsque adeò vt signum dares similibus tui perfidis & sceleratis Iudæis in capiendo Christo, quem tu quoque nóras antea sæpius eis elapsum? Vbi sunt ex doctoribus, qui dicant factum id omne esse propter Iacobum minorem: qui quia facie Christo erat similimus, frater quoque ipsius cognominatus est. ¶ Sed, ô anima mea, id quoq; mihi aperi, quid factum sit, quòd re tanta, tam efficaci magnæ benignitatis signo, osculo, permotus non sit Iudas ad pœnitentiam? Doctores sanè hîc respondent, quoniam sicut in veteri testamento manna cuique sic sapiebat, vt ipse erat (bonis enim bonum, optimis sapidissimum: malis planè ingratum videbatur, & insipidum,) ita penitus hîc cum Christo contigit, quoniã piis benignus, mitis apparebat & mansuetissimus, malis autẽ durus & acerbus. Quomodo in extremo etiã iudicio aliter iustis, aliter videbitur à damnatis. Atque ideo nihilo emendatus est hoc osculo Iudas, sed quia demum desperauit & semet suspendit, condẽnatus est. Et quotusquique iam est Christianorum, qui nõ peccatum illud Iudæ extremè auersetur? & tamen indies peccata committũtur isto multo maiora. Iudas eleemosynã furtim subtrahebat, quam vt dispensator erogare debebat pauperibus. Idem etiamnum hodie faciunt plerique, tum procuratores, tum testamentarij. Iudas Christum vendidit secundum humanitatem. Quot obsecro iam vendunt illum secundum diuinitatem, periuriis, blasphemiis? Quocũque hoc seculo veneris, siue in forum, siue in macellum, siue in tabernas vinarias, videas hîc tam vile nihil esse, vt Christum sanctúmque nomen dei. adeò vt nihil ne teruncio quidem vel emiqueat vel vendi, nisi simul venalis proponatur hic sanguis Christi, nisi deus in mercis partem rapiatur, nisi denique omnia illius & membra & vulnera in medium afferantur. Prodidit quidem Christum Iudas, sed num illi parcunt, aut non etiam traditores eius sunt, qui hoc sanctissimo tempore corpus ipsius sumunt indignè? osculantur & illi eum, ad mensam tãti cõuiuij accedũt vt amici homines, & interim ipsum membris suis tradũt in peccato sepultis. Iudas Chri-

Gerson. *Iudas* *Exo. 16* *Chrysost.* *O miserã huius seculi conditionem!* *Augu.* *Ambro.*

ſtum Iudæis & crucifigentibus illũ miniſtris tradidit,ſed & tu,quantum in te eſt,illum denuò crucifigis quotidie, dum quotidie peccatis peccata accumulas. Imo ſi paſſio Chriſti non fuiſſet ſufficiens pro omnibus peccatis,tunc oporteret Chriſtum de nouo mori propter peccata tua,ſi vellet te ſaluare. Quàm multos iam reperias peccatores, qui pœnitentiam nullá agunt,quantũcunque ad illam diuinitùs inciten tur,iam per prædicatores,iam tacito inſtinctu,iam proſperis rebus & ſecundis,iam aduerſis:neque tamē proficitur apud illos quicquam Vnde quid ſperãdum de eis eſt, niſi ꝙ cũ Iuda,quē egregiè adeò imitãtur,perpetuò cõdẽnabũtur? *Gerſon.*

CONSIDERATIO II.

¶ Quid deinceps vides,anima mea,in illo ſpirituali gradu contextus euangelici? Video,inquit, Iudæos dominum validiſſimo,tum impetu,tum clamore adoriri, funes iniicere collo,vincire manus,omníque furore ipſum tractare. Impetus hîc in capiẽdo moleſtiſſimus vtique fuit domino & cõtumelioſus:vt vnctus ille qui nos redimere venerat à captiuitate diabolica,ligaretur, vinculíſque conſtrictus duceretur à peccatoribus,ab impuriſſimis qui Hieroſolymis erant hominibus. Aut quomodo nõ triſtis hîc fuiſſet anima Chriſti,quum ille rex regum videret ſe à diſcipulo traditum, à populo electo vinciri,& inſtar latronis(vt ipſe dicebat) duci? Ligauerunt enim,inquit Auguſtinus,à quo potius ſolui velle debuerunt: illum conſtrictum tenebant, qui poteſtatem ligandi ſoluendíque habet in cœlo & in terra. ¶ Eia animula mea,conſiſte hîc in vno illo contemplationis gradu paulò diutiùs, & circunſpice ſimul ac meditare attentiùs quomodo propter te dominus noſter Ieſus Chriſtus & propter totum genus humanum captus eſt miſerè. Tu capi debebas,tu vincienda eras,tuo collo aſtringendus erat funis, tibi manus ligari debebãt, quoniam tu peccaſti, tu deũ offendiſti:tu omnis huius amaritudinis cauſa es,nõ ille innocentiſſimus Chriſtus. enitere igitur & viribus tuis omnibus vtere in laudem & ſeruitutem cultũ illius, qui tuo nomine pati tanta voluit, ex ardentiſſima illa ſua erga te charitate. *Augu.* *Bernard.*

CONSIDERATIO III.

¶ Adhuc quid vides,anima mea, oculis iſtis piæ cõtemplationis tuę in eodem gradu? Diſcipulos,inquit,video omnes à Chriſto fugientes,ſolúmq; hîc inter Iudęos dominũ con

ſtitutum. Vulgò iactatũ prouerbiũ eſt, eſſe gaudiũ miſeris, ſi cõmunis calamitatis & mali ſocios habeant verũ hîc ſolus aſſitit dominus, fugientibus omnibus etiam diſcipulis, quibus ille tanta hactenus exhibuerat beneficia, quos toto
Iob 19 plus triennio iã cõmuni cõuictu & benignitate ſibi habuerat cõiũctos, iuxta illud Iob, Fratres meos lõgè fecit à me. & noti mei quaſi alieni receſſerũt à me. In eius rei ſignum & exemplum hodie iam nudantur altaria, nec amplius cam panæ pulſantur, eò quòd nullum iam habebant ſanctę fidei ſonum apoſtoli. In ſignificationẽ illius quoq; hodie luminaria ſucceſſiuè per vices pſalmorum & lectionum in matutinis precibus extinguntur, præter vnũ, quod Chriſtũ qui lux vera eſt, vel ſecũdũ quoſdã Mariam, deſignat: quæ ideo quoque die ſabbati colitur, quod tunc ſola illa fidem toto terrarum orbe retinuit. Vbi igitur iam nunc pertinax adeò audacia tua Petre? vbi iſtud qđ paulò antè dixeras, Etſi om-
Mat. 26 nes ſcandalizati fuerint in te, at nõ ego? O Ioannes dilectiſſime Chriſti diſcipule, vbi amor ille tuus feruens, vbi ardẽtiſſima charitas, qua prę cęteris te illuſtrauit domin⁹? Quid
Gregor. ita reiecta etiã ſindone (ita enim Greg. & Beda ſentiũt) au-
Beda fugiſti, immemor iam tuæ fratríſq; tui nimium temerariæ
Mat. 20 præſumptionis, quãdo dicebatis Chriſto, poſſe & vos bibere calicẽ. quẽ bibiturus ille erat? O Simõ Thadæe & Iacobe. obliuioſos vos omníſq; iã cognationis oblitos, qua cõiũcti eratis domino, cũ tamẽ cõſtet multos Gẽtiliũ propter vnũ amicitię vinculũ ſeſe aliis periculo & diſcrimini mortis ſubieciſſe. Vbi vitilis ille animus, animoſúſq; tuus conatus? ô Thoma, qui aſcẽdente domino Hieroſolymã, cæteris apoſtolis dixiſti, Aſcẽdamus & nos, atq; moriamur cũ illo?
Ioan. 11 ¶ Vbi nobilis illa mens Bartholomæe tua? vbi inſignis & ſplẽdida nobilitatis virtus? vbi fortitudo, qua pleriq; Ethnici pro ſuis mortem oppetiere conſtantiſſimè? Quid multa omnes in vniuerſum iam apoſtoli obliti erant promiſſionis ſuæ, quam fecerant domino prædicẽti eis, quòd hac nocte omnes ipſum eſſent abnegaturi: & tunc quidem audientes hoc mortem omnes ei promittebant pro illo communem: ſed iam capto domino, ſoluta fide, omnes fugerunt, vt ſic impleretur prophetia quę dicit, Torcular ego calcaui ſo-
Eſa. 63 lus, & non eſt de gentibus vir mecum.

CON-

CONSIDERATIO SIVE PARTICVLA IIII.

¶Quid præter hæc omnia vides adhuc, anima mea? Mœrorem maximum & tristissimũ video, inquit illa, dolorem discipulorum, quum iam in fugam versi essent. Immensam quoque intueor compassionem virginis matris, de dira dilectissimi filij sui captiuitate. Non est quòd cogitet aliquis fugam illam discipulorum, Christo tãtũ mœstitiam & dolorem attulisse, cui non potuit vtique nõ esse molestissima. Ipsis quoq; apostolis tristis fuit & plena dolore, se tam impudenter & ignominiosè à suo decedere magistro. Quis enim verbis exprimere queat tantum istum discipulorũ dolorem, tristitiámque tantam ex tam repentina fuga, adeò vt nullus eorum vel extremũ vale dicere potuisset optimo & domino & præceptori? nullus ei verbum dicere seu mutire saltem audebat. tantũ vndique fuga, aliò horsum, istorsum alio profugiente. Et verisimile est, quosdã illorum, vt Ioãnem maximè, ad habitaculum vbi Maria erat, confugisse, illíque simul & aliis cohabitantibus quęcũque acta iam essent, denunciasse. Iam itaque anima mea contemplare hîc mecum, pulsante sic ad ostium sanctarum matronarum Ioanne & intromisso, quomodo interrogauerint eum, cur au fugisset, quid sibi hæc fuga vellet, quid rerũ ageretur, quídve ipse tam tristis & mœstus accurreret. Verè dicebat Mariã, filius meus dilectissimus captus est, in mortem traditus amarissimam O me miseram, ô infœlicem, ô calamitosam matrẽ, filius mihi charissimus vinctus! Ah video, video, inquam, iam impletam esse prophetiã illam, Percussus est pastor, disperguntur oues. Huiusmodi quędam & id genus similia plura, vix præ lachrymis tamen eloqui potuit mœstissima mater. Quid inter hos planctus Maria Magdalena? quid dixerit obsecro Martha? Ioannes vtique vix per gemitus & suspiria enarrare eis cepit captiuitatẽ domini, impetũ Iudæorum, fratrum suorũ & cõdiscipulorum fugã ignominiosam. Hincq; lachrymæ, fletus, vlulatus & gemitus cõsequuti, atq; dolentissimę matris luctus immensus, vt tota domus plãctu & mœrore repleretur Videte hîc & cogitate apud vosmetipsos, quotquot amorẽ vel erga liberos vel con iuges experti estis, cogitate inquã & expendite, quãtum tristitiæ, doloris, fletus & suspiriorum mœstissima mater habuerit, que chariorẽ sibi habuit filiũ suum, quã vlla vnquã

Zacha. 13

mater. neque enim ignara erat, quomodo ipsum concepisset de spiritu sancto, admiranda quædam ipsi denunciante angelo. sciebat quo pacto apparuissent illi vixdũ nato angelorum chori. Et breuiter per reuelationem diuinam cognitum habebat, ipsum verum esse & deum & hominẽ, quo maiorem ex eius captiuitate dolorem concipiebat. Cõtemplemur nos quoque omnes, quantũ tristitiæ in hoc habuerit dominus ex vnius discipuli per osculum traditione, ex communi aliorum omnium fuga, quum iam salus ipse à Iudæis captiuus abduceretur: vnde maximus quoque Mariæ dolor & tristitia emergebat. Oremus itaque communibus votis & dicamus: O domine Iesu Christe, tuæ nos misericordiæ captiuos dedimus: quoniam & tu pro nobis voluisti ignominiosè & cum proditione capi atque ligari. Susci pe nos in gratiam, nostráque nobis remitte debita. Tuere domine à proditoriis mundi osculis, ab omnibus peccatorum vinculis nos libera, & ab horribili inferni carcere, vera mediante pœnitentia & pia huius ignominiosæ captiuitatis recordatione, Amen.

Luc. 1. & 2.

Pia precatio.

¶QVOMODO DOMINVS IESVS AD ANNAM ET CAIPHAM DVCTVS, atque coram eis illusus sit & accusatus.

ARTICVLVS TERTIVS.

CONTEXTVS EVANGELISTARVM.

Cohors autem & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum, & adduxerunt ad Annam primùm. Erat enim socer Caiphæ. qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis, Quia expedit vnum hominem mori pro populo. Petrus verò sequebatur eum à longe, & alius discipulus vsque intrò in atrium summi sacerdotis. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrũ. Quem cùm vidisset ancilla, ait, Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? At ille dixit, Mulier, non noui illum. Nescio quid dicis. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat

autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se, vt videret finem. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus, Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt & in occulto locutus sum nihil. quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis. Ecce hi sciunt quid dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset. vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens, Sic respondes pontifici? Respondit Iesus, Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. Erat autem Simon Petrus in atrio deorsum stans & calefaciens se. Rursus autem cùm vidisset & illum alia ancilla, cœpit dicere circunstantibus. Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et post pusillum accesserunt qui astabant, & dixerunt Petro, Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua te manifestum facit. Et iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem. & interuallo facto, quasi horæ vnius, dicit ei vnus ex seruis pontificis, cognatus eius cuius abscidit Petrus auriculam. Verè & hic cum illo erat, nam & Galilæus est. non ego te vidi in horto cum illo? Tunc cœpit detestari & anathematizare & iurare, quia nescio hominem quem dicis. Et statim gallus cantauit. Et conuersus dominus, respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus, quia priusquam gallus cantaret, ter me negabis hòdie. & egressus Petrus, fleuit amarè. Mane autem facto, concilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, conuenerunt & cōcilium fecerunt qui quærebāt aduersus Iesum testimonium, vt eum morti traderent: nec inueniebant, quamuis multi falsi testes accesserunt aduersus eum, & conuenientia testimonia non erant. Nouissimè verò venerunt duo falsi testes, & dixerunt, Quoniam nos audiuimus eum dicentem, Possum destruere templum hoc manu factum, & post triduum aliud non manu factum reædificare. Exurgens autem summus sacerdos in medium, interrogauit Iesum dicens, Nihil respondes ad ea quæ isti aduersus te testificātur? Iesus autem tacebat. Rursum summus sacerdos interrogat eum, & dixit ei, Adiuro te per deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius dei benedicti. Dicit illi Iesus, Tu dixisti. Et ait illis, Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Veruntamen dico vobis, Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimentā sua, dicens, Blasphemauit. quid adhuc desideramus testimonium? Ecce, nunc audistis blasphemiam de ore eius. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt, Reus est mortis. Tunc expuerunt in fa

tiem eius, & qui tenebant eum, illudebant ei, & cooperuerunt faciem eius, & colaphis cædebant eum. Alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes, Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? & alia multa blasphemantes dicebant in eum.

ENARRATIO ARTICVLI III.

Particula prima.

¶ Porrò iam anima mea piæ contemplationis tuæ pedem in tertium hũc spiritualẽ gradum colloca, & quid hîc quoque videas edissere. Oh, quid video! & vix præ tremore videre queo. Ah, non omnes hinc creaturas exhorrescere? nõ omnia omnium hominum pectora scindi? Quũ deus & dominus noster Iesus Christus, propter peccata hominum captiuus & vinctus ab ipso iam vsque monte Oliueti ad ædes Annæ ducitur, hinc inde truditur, cæditur, trahitur, ipséque interim mitis adeò & mansuetus ista perfert omnia: cúmque toties antea ex eorum elapsus fuisset manibus, siquan-
Ioan 8 do ex lapidibus obruere, vel ex monte dare præcipitem ip-
Luc. 4. sum volebant: nunc verò eum quem tandiu optarunt, pertrahunt, lacerant, inclamitant. Iámne nobis contigisti? nũc in manibus es nostris, tu ille es quem quærebamus. Huiusmodi clamoribus ipsum deducentes, per torrẽtem Cedron
1 *Par.* 21 pertrahebant, vsque ad ædes Annæ, ita vt iam hîc dicere poterat dominus illud cum Dauide, Ex omni parte me angustiæ premunt fuítque adeò ductus hic primus, quò illusus est dominus in passione sua. Nouies enim mitissimus ille dominus hinc inde ductus est: primò ad Annam, secũdò ad Caipham, tertiò ad Pilatum, quartò ad Herodem, quintò rursus ad Pilatum, sextò in prætorium, septimò ex prætorio in locũ iudicij, octauò ex iudicij loco iterum in prætorium, nonò ex prætorio in Caluariæ locum. Hinc illa pia quorundam & religiosa consuetudo, qui hodie templa nouem inuisunt, in singulis orantes quinquies orationem dominicam & symbolum apostolorum, in honorem passionis dominicæ & quinque vulnerum Christi. Alij septem tantummodo templa visitant, eò quòd in prætorium & ad Pilatum bis ductus est dominus, Amen.

PARTICVLA SEV CONSIDERATIO II.

¶ Quid amplius vides anima mea, obsecro? Sisti video mitissimum dominum Iesum Christum simul & accusari coram Anna pontifice, Oh, cœli terræque dominum, viuorum

ac mortuorum iudicem,turpiter adeò & ignominiosè coram pontifice iudicari. Quia enim Caiphæ socer erat Annas,primum ad illum duxerunt Christum Iudæi,vt sic plus authoritatis & fidei res habere videretur, si coram seniore etiam pontifice causa excidisset. Quid quòd ij duo contra legis decretum cœmerant hoc modo pontificatum,vt vicissim ex altero alter annum obtineret pontificatum? Verum qualesquales erant pontifices,talia eorum iura: quales domini,tale ipsorum erat famulatium. Neque deum amabãt, & temporalia tantùm bona requirebant,iustitiæ & æquitatis rationem nullam habebant. Et tamen iis quoque dominus sapientissimus ita omnino prudenter,vt contrà ne mutire quidem poterant,respõdere dignatus est,dicens palàm se prædicasse,iudiciũ illius & æstimationẽ aduersariis quoque relinquere,vt ipsi dicerent quid locutus fuerit. Tanta erat Christi,tum vitæ inculpatæ, tum saluberrimæ doctrinæ iustitia. Cęterùm vt nunc quoq; palpationes,assentationes in aulis principum plurimę sunt,ita iam olim fuit apud Annam quoque,cui seruus bene placere studens, heu heu, turpiter se perdidit: manus enim iniiciens Christo ipse,miserè in manus incidit dei alapam cũ dedit Christo vehemẽtem adeò,vt mẽbra illius omnia,omnia viscera cõmouerẽtur,sanguis ipse quoque iam prosiliret plurimus: cicatricẽ malæ illius infligeret ingentem: quæ nunc etiã Romæ subobscurior in Veronica cernitur,vbi sudario faciẽ suam impressit domin⁹. O admirandã diuinæ vltionis patientiam! ô stupendũ dei iudiciũ! Non ipsum ad scelus tantũ è cælo demissum fuisse ignẽ, qui scelestũ hũc vno hiatu absorpserit? Non tellurem imam quoque dehiscentem valida voragine scelus istud assumpsisse? ô sceleratũ seruum! O vile & sordidum mancipium! summam illam & altissimã dei sapiẽtiam præsumit nimis cõfidenter docere,quid respõdeat põtifici: quod ipsum sanè dolorem hũc Christo magis exacerbauit. ¶Neque desunt ex doctoribus,qui dicant seruũ hũc ipsum fuisse Malchũ,cui paulò antè auriculã rescissam sanauerat domin⁹,quæ summa fuit & extrema desperati hominis ingratitudo. Sed huic quoq; Christus respõsionẽ dedit mitissimã,nobis vel maximè in eruditionẽ & instructionẽ,vt sic nos etiã ꝓximos nostros humaniter & placidè corripiam⁹. Dixit enim, Si malè loquutus sum, testimonium perhibe

Alapa.

Chrysost.

de malo: si bene locutus sum, cur me cædis? Tā rationabiliter, tam prudenter & nihil minus quàm ostendere iam maximè Iesus innocentiam suam defendebat. Verùm vesanus & malignus pontifex videns, & scelerati serui, summam & sanctissimam Christi innocentiā, ad hæc omnia magis mutus quàm piscis, tacet. Væ illis, qui innocentes adeò violenter opprimi sinunt, quàm frigidè, quâmque malè habebunt in nouissimo die, rationem suæ impietatis reddituri?

CONSIDERATIO III.

¶Adhuc in eodem stans gradu, video quantū doloris concipiat Christus ex dilectissimi discipuli tum fuga, tum abnegatione. Ille enim in maxima miseria constitutus, adhuc tamen Petri recordatur, inter manus tenentium & illudentium sibi Iudæorum, magis quam de se, super illo contristatus, quòd ad vnius ancillæ non malo etiam affectu, sed ex
Mat. 16 compassione interrogātis vocem, magistrum & dominum suum abnegarit. Ah, discipulus ille dominū iam suum negat, qui antea interroganti ei, quem nam ipsi dicerent esse
Mat. 26 filium hominis, responderat, Tu es Christus filius dei viui. discipulus ille, cui domin' claues promiserat regni cælorū: discipulus ille, cui dixerat dominus, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam Ille inquam discipulus, qui pauló antè dixerat domino se cum ipso & in carceres & in mortem iturum: nunc eum pernegat se nosse, & peierans quoque semetipsum diris deuouet: neque semel contentus est hoc facere, nisi insuper repetat tertiò. Quæ omnia non parum doloris Christo attulerunt, vnde inter arma passionis dominicę gallus depingi solet, negationem hanc Petri designans. Et tamen sic quoque Petrum respexit dominus oculis misericordiæ suæ, quamobrem & ipse contritus, exiuit atrium & fleuit amarè. Neque tunc tantū, sed etiam deinceps per omnem vitam suam, audito sub id temporis gallo fleuit acerbissimè, vsqueadeo (vt si modò suā ma
Hierony. net historiis & sacris lectionibus fides) foraminulentæ illi
Augu[s]t. factæ sint buccę, ex continuo isto lachrymarum effluxu attritæ. Et quanuis Hieronymo & Augustino non constat, an ter in atrio Annæ Petrus negarit dominum, aut negatio tertia factáne demum sit in atrio Caiphæ: tamen quicquid id
Rom. 15. est, constat vtriq; eas certò factas esse, & quidē tres singulas. Verū hinc quid colligis anima mea, quando constat omnia

quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam esse conscri pta? Ne quis, inquit, nimium præsumat, ne sibi viribúsque suis plus æquò tribuat, ne fortè & ipse cum Petro cadat. Au dierat quidem Petrus sibi dictum à Christo, quoniã ea no-cte ter ipsum negaturus esset: verùm nimium sibi confidit ille, plus sibi tribués quàm veritati diuinæ. Nemo de se ni- *1. Cor. 10* mium præsumat, quin potius etiã qui stat, videat ne cadat: *Beda.* quia humilitas est, quæ omnia quantumuis ardua vincit & exuperat. Et quis credidisset latronem præuenire in cælo, non dico Iudam, sed omnes apostolos, ipsúmque adeò apo stolorum principem Petrum? Eodem porrò hoc suo lapsu *Augu.* futurus ille toti' ecclesiæ pótifex Petrus erudiebatur, quo- *Chrysost.* modo & ipse compati deberet peccatoribus cæteris, si quã-do conuersionem pararent, neque eos statim contemneret. Insuper nos quoque hîc docemur, quotiescunque abnega-uerimus dominum per peccatũ mortale, audito gallo, hoc est prædicatore, pœnitentiam agere, flere cum Petro quàm *August.* amarissimè, eò quòd peccatum nullum sit tam magnum, quòd non possumus pœnitentia, lachrymarúmque fonte delere. Sic fit, vt cum flente Petro conseruemur, qui pote-ramus cum desperante Iuda dãnari. Quisquis igitur est pec cator, non peccatum tantũ inspiciat Petri, sed pœnitentiam quoque attendat, quam habuit & displicétiam de peccato.

CONSIDERATIO IIII.

¶ Quid insuper in hoc gradu conspicis anima mea? Christũ dominum validissimo impetu duci video ad pontificem Caipham, ibíque variis modis rideri, eludi, & impiè plane tractari: Iudæos omnes concurrere & cõuenire video in se-natum aduersus Christum, testes iniquos parari intueor. Dicunt auté doctores, paulò post mediũ noctis dominum ab Anna in ædes Caiphæ esse deductũ: ibi tota cum eo nox transacta est illusionibus, ludibriis, conuitiis, cõtumeliis & blasphemiis. Mane facto, clamore maximo rursus irruerũt in dominũ, ipsúmq; sine omni misericordia protraxerunt, huc illuc detruserunt, barbam capillósq; euulserunt, rapien-tes ad pontificé. ¶ Conuenerunt itaq; seniores populi & sa-cerdotes, atq; ex summa inuidia paré conceperũt lætitiam, maximúmq; gaudiũ, videntes captũ se iã habere Christũ, quem tam diu quæsierãt, ira ardentes feruentésq; ipsos red-debat odij amaritudo. Vocatur Christus, sistitur pro conci-

lio: vbi mirum dictu eſt, neminẽ adeò fuiſſe qui ipſum vel adiuuiſſet, vel cõſolatus eſſet, vel miſericordia ſui commotus fuiſſet. Tantum ardebant omnes audire proferréq; aduerſus eũ teſtimonia, vt impletur illud Pſalmi. Omnes inimici mei cogitauerũt aduerſum me mala, verba iniqua ꝓpoſuerũt aduerſum me. Ad extremũ deniq; homines duos ſimiles ſui, malos & mendaces inuenerũt. neq; enim quęrebant teſtes ſynceros, qui propter iuſtitiã, quod verum eſſet, eloquerẽtur, ſed fucũ tantùm & prætextum teſtimonij inquirebant. Et adhuc tamen quicquid id erat teſtimonij, cõueniens nõ erat: quoniã iniquiſſimi teſtes nõ verba tãtùm, ſed & intellectũ & ſententiam eorũ quæ Chriſtus dixerat, immutauerũt. Verba quidẽ, quia Chriſtus dixerat, Soluite, ipſi loco illius ſubiiciebant, poſſum deſtruere. Chriſtus dixerat, Et ego reſuſcitabo: iſti dicebant, reędificabo. Inſuper quoq; quod Chriſtus nõ dixerat, addiderunt, manufactum. ¶Intellectum verò verborum quoq; immutauerunt, quia loquebãtur de materiali iſto tẽplo Salomonis, cùm ipſe interim id totum dixerat de tẽplo corporis ſui, quod ille tertia die reſuſcitaturus erat in reſurrectione. Omnis autẽ hęc ſententia, totúſq; adeò ille affectus in eis erat deprauatus: quoniam eo ipſo teſtimonio ſanguinẽ cupiebãt innocentẽ effundi: atq; ideo nec conueniẽs extitit, neq; vim aliquã habuit, eò quòd falſum erat & cõfictum. Ideo Chriſtus quoq; reſpõdere ad hæc nihil voluit, ſed patientiã ſuã manifeſtãs, nos docuit tacere potius debere, quàm ſine cõmodo defendere & purgare. Caiphas autẽ interrogauit Ieſum ex malitia, vt ſic ex illius reſpõſione aliquam calũniam inueniret. Et ecce quantò Ieſus tacebat, tantò maius impius pontifex furore ſuccenſus ac ſuperatus, eum ad reſpondendũ prouocat, vt ex qualibet occaſione ſermonis locũ inueniat accuſandi. Exurgẽs in mediũ, adiurat inſuper Chriſtũ, vt ediceret corã omnibus an ipſe eſſet Chriſtus. Verùm ille dãs honorem deo, reſpondet cum veritate, aduentũ ſuum ad iudicium illi prędicens, quo iudicaturus tunc eſſet, ſicuti nũc ab ipſis iniuſtè iudicio ſiſtebatur. ¶Ibi ſtatim Caiphas ex more Iudęorũ veſtimenta ſua ſcidit, ſibi audire viſus ex Chriſto blaſphemiam. Qua in re ſanctior erat Iudęorũ cõſuetudo, quàm ea quæ eſt inter nos Chriſtianos, qui audiuimus quotidie blaſphemias dei vndiq;, nec aliquod tamen medi-

Pſal. 40. *Augu.* *Rabanus*

tamur & paramus remedium. Quanuis idipſum quoq; Caiphas affectu bono nõ fecit, ſed eo maximè, vt ſic veluti ſententia ſua blaſphemũ declaratũ dominũ, in maiorem raperet inuidiã Iudęorũ, ipſiq; illum deinceps adhuc tractarent indigniùs. Neq, eum fefellit ſpes ſua: cœptũ eſt enim deinde acclamari fortiùs: clamoribúſq; replebãtur atria tota, & ipſi iã parietes reſonabãt ex boatu clamãtiũ, Reus eſt mortis. Nõ parũ cuiq; etiã ſonti, & qui mortẽ malefactis demeruerit, doloris cõcitatus, cùm audit ſe reũ mortis pronũciari, damnari, conclamari vndique. Quid putas triſtitiæ hinc ſibi conceperit Chriſtus, qui & innocentiſſimus erat, & cauſam mortis (vel Pilati quoq; indicio) nullã habebat? qui ſolo ducebatur amore erga genus humanũ, ad tam dura ſubeũda ſupplicia? O ſiniſtrum, ô corruptum, ô iniuſtiſſimum iudiciũ! Iudex iniquus, accuſatores iniuſti, teſtes mendaces, aſſeſſores improbi: & ij omnes Chriſti erant aduerſarij.

CONSIDERATIO QVINTA ET articuli huius vltima

¶Nunquid amplius, anima mea, vides in hoc gradu? Video, inquit Chriſtum à Iudæis huc illuc rapi impudẽter, impiè tractari, crinibus lacerari, alapis cædi, conſpui, turpiter omnia tantíſque clamoribus, vt poſſet impetum hunc audire tenerrima virgo, eadémque ſanctiſſima mater Maria: quæ quantũ doloris cõceperit obſecro, audiẽs alapas & verbera dilectiſſimi filij, clamores quoq; tumultuantiũ Iudæorum? Quid autẽ turpi⁹, quid igominioſi⁹, quã expui in faciẽ ſpecioſiſſimam, in quam deſiderãt angeli proſpicere, quæ plena eſt gratiarum & deſiderata cunctis gẽtibus? Alius in hoc impetu ipſi vellebat barbam, alius comam diripiebat, alius fricabat faciem, trudebat alius aliò, pugnis cędebãt omnes, conculcabãt pedibus, in ipſum irruebãt impetuoſiſſimè: & quaſi venatores inuenta fera, ſic violentia & furore ferebãtur: velut canes venatici capta præda, in iram efferueſcebãt. ſicq; impletum eſt, quod prædictũ erat per prophetã, Corpus meum dedi percutiẽtibus, & genas meas vellẽtibus, faciem meam nõ auerti à percutiẽtibus me, & conſpuẽtibus in me. Impleta ſunt etiam verba illa Iob, Exprobrãtes percuſſerunt maxillã meam, ſatiati ſunt pœnis meis. O inſignẽ Iudæorũ veſaniam! quibus ſatis non erat ſuppliciũ tantum, quod Chriſto infligebãt, niſi inſuper illi illuderent vocabu-

Bernard. *Chryſoſt.* *Eſa. 53.* *Iob 16.*

lo prophetiæ, vt sic eis prædiceret, quis ipsum percussisset, contemnentes per hoc diuinam sapientiã, interrogant, Dic nobis Christe, quis est qui te percussit? Nunc demum scitis peruersissimi Iudæi scisse ipsum omnia? scitis inquã? verùm cõfiet, vt ne id scieritis impunè, quin potiùs ideo ad ipso iusto iudicio condẽnati in gehẽnã ignis detrudemini. Scitis ecce iam, illum facilimè potuisse quod quærebatis vobis dicere. Verùm pessimus iudex, pessimis quoq;, imo perditissimis seruis Christum tradiderat, adeò vt eorũ quo quisque pœnas maiores grauioráq; supplicia inferre Christo poterat, eò volebat esse & haberi honoratior, cæteris lõgè præstantior. Atq; ideo sine omni cõmiseratione impiè tractabant filium dei, non parcentes quicquã, quò minus ad vberrimam sanguinis profusionem illum cęderent. Quã autem
Chryso. repentè poterant creaturæ omnes vlcisci conditorẽ suum, nisi id peculiariter præcauisset deus? Quoties enim tum elementa, tum cæli vindicarũt contumelias & iniurias seruorũ dei? Aut nónne ad aperta ex imo hiatu terra, deuorauit
Num. 16 Dathan & Abirõ? Non & Pharaonẽ cum vniuerso exerci-
Exod. 14 tu suo demersum in mari rubro legimus? Nónne infectus aër multa hominũ milia peremit, sicut in historia Regum
2. Re. 4. legitur? Nõne ignis Chore perdidit cũ omnibus suis, quòd Moysi aduersati erãt? Quoties cælũ afflixit peccatores iam
2. Par. 32 grandine, aliâs fulmine, nunc fulgoribus, nunc æstu siccitate interdũ? Et quis dubitat hîc elementa quoq; non permisisse, vt hæc impunè licerent Iudæis, nisi id ita voluisset de'? Imo angeli interfecissent eos, sicut occiderũt multa hominũ milia de castris & exercitu Sennacherib. O igitur immẽsam dei, in summa hominũ malitia & ĩpietate, patiẽtiã! ¶ Quur autem serenissimã Christi faciem velârunt Iudæi?
Hierony. quoniam, vt inquit Hiero. tam amabilis fulgor egrediebatur ex oculis Christi, quòd aspicientes in eum conceptã malitiam, quam in animo habebãt, non potuerunt ad libitum perficere: vnde cùm velauerunt, ne inspicerent oculos eius, indignissimi, qui viderant faciem, quam angeli desiderant aspicere, quam omnes omnibus retro seculis rum patriarchæ, tũ prophetæ, maximo ardore cupiebant semper intueri, gemitibus assiduis, continuis suspiriis potentes & clamã
Psal. 49. tes, Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus. Qui sedes super Cherubin, manifestare, faciem tuam ostende nobis.

¶Hanc isti perfidi & iniquissimi, ne viderent, velârunt. Et quanuis plerique omnes Christiani peccata hæc Iudæorum abominantur, ipsi tamen similia non desinunt cõmittere, cuiusmodi sunt qui ore Christum confitentur, factis negant: ij sanè àlapis cædũt Christum. Similiter qui ex proposito in voluptatibus & vanis turpibúsq; cogitationibus perseuerant, conscientiam suam prauis voluptatibus polluunt, in faciem Christi conspuunt. In faciem cædunt dominum, quotquot blasphemant & iurant, quia iuramẽtum ad diuinitatem Christi vsque pertingit.

¶Qui clàm peccant, aliis interim hominibus boni cupientes videri, quid aliud faciunt, quàm quod faciem Christi velant? quanuis & idipsum aliquanto melius est, apertè omnibúsque manifestè peccare, propter offendiculum aliorum. *Gregor.*

¶Nos itaque iam tandem hunc etiam ab Anna ad Caiphã ductum dominum accusationem tantam, tam falsa testimonia aduersus illum adducta, impias adeò illusiones & calũnias meditantes, gratias agamus ei pro tot tantísque beneficiis, pro tam diris suppliciis, & clamantes sic oremus.

¶O domine Iesu Christe, qui ob redemptionẽ generis humani iudicibus præsentari, iniquè accusari, illudi quoque voluisti & cõspui: da vt nunquam ab hostibus seducamur, sed custodi nos ab omni accusatione mala, vt sic læti & alacres appareamus coram te iustissimo iudice, per temetipsum deus, qui es benedictus in secula seculorum, Amen. *Precatio.*

QVIBVS MODIS IESVS CHRISTVS CORAM PILATO ET HERODE accusatus, flagellatus, coronatus quoque sit, & illusus.

ARTICVLVS QVARTVS.

TEXTVS EVANGELISTARVM.

Svrrexit autem omnis illa multitudo populi, & seniores & principes sacerdotum adducunt Iesum ligatum in prætorium, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi. Ipsi verò non introierunt prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha. Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit

triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicens, Peccaui tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt, Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt, Non licet eos mittere in corbanam, quia precium sanguinis est. Cōsilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille Acheldemach, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam prophetam, dicentem, Et acceperunt triginta argenteos precium appreciati, quem appreciauerunt à filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi dominus. Pilatus ergo exiuit ad eos foras, & dixit, Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Responderunt & dixerunt, Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem dare tributa Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Dixit ergo Pilatus, Accipite eum vos, & secundū legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo Iudæi, Nobis non licet interficere quemquam. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei, Tu es rex Iudæorum? Respondit Iesus, Tu dixisti. Et cùm hoc dixisset, exiuit ad Iudæos, & dixit ad principes sacerdotum & turbas. Nihil inuenio causam in hoc homine. At illi inualescebant, dicentes, Commouit populum, docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu gauisus est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audiret multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse illi nihil respondebat. Stabant autem principes sacerdotum & scribæ constantes accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum toto exercitu suo, illusitque, indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant adinuicem. Pilatus autem, cōuocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe, dixit ad illos, Obtulistis mihi hominem hunc quasi subuertentem populum: & ecce ego coram vobis interrogās, nullam causam inuenio in homine isto ex his, in quibus eum accusatis: sed neque Herodes. Nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Ingressus ergo in prætorium, dixit ad Iesum, Tu es rex Iudæorum? Respondit Iesus, A temetipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus, Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi. quid

fecisti? Respondit Iesus, Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum ministri mei vtique decertarent. vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus, Ergo rex es tu? Respondit Iesus, Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. omnis qui est ex veritate audit vocem meam. Dicit ei Pilatus, Quid est veritas? Per diem autem solennem consueuerat præses populo dimittere vnum vinctum, quem voluissent. Habebat autem tũc vnum vinctum insignem, qui dicebatur Barrabas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus, Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam in pascha quem vultis dimittam vobis, Barrabbam an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum. Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt populis vt peterent Barabbam, Iesum verò perderent. Respondens autem præses, ait illis, Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barabbam. Erat autem Barabbas latro, qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homicidium, missus in carcerem. Dicit illis Pilatus. Quid igitur faciam de Iesu qui dicitur Christus? Dicunt omnes, Crucifigatur, Ait illis præses, Quid mali fecit? emendatum ergo illum dimittam. Tunc apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit & milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circundederunt eum: & veniebant ad eum, & dicebant, Aue rex Iudæorum. Exiuit ergo Pilatus foras, & dicit eis, Ecce adduco eum foras, vt cognoscatis quia nullam inuenio in eo causam. Exiuit ergo Iesus, portans coronam spineam & purpureum vestimentum, Et dicit eis, Ecce homo. Cùm ergo vidissent eum pontifices & ministri, clamabant, Tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos, & crucifigite ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi, Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium dei se fecit. Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium, & dicit ad Iesum, Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit, Iesus, Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet, Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant dicentes, Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adduxit Iesum foras, & sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostratos, Hebraicè autem gabatha. Erat autem parasceue paschæ, hora quasi sexta, Et dicit Iudæis, Ecce rex vester. Illi autem clamabãt,

Tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices, Non habemus regem nisi Cæsarem. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens, Nihil tibi & iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. Iesus autem nihil respondit. Tunc ei dicit Pilatus, Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei verbum vllum. Videns ergo quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret in populo, accepta aqua, lauit manus corã populo, dicens, Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. Et respondens vniuersus populus, dixit, Sanguis eius super nos & super filios nostros. Dimisit ergo Pilatus Barabbam eis, Iesum autem crucifigendum tradidit secundum voluntatem eorum.

EXPOSITIO ARTICV. IIII.

CONSIDERATIO I.

¶Quid ità te torques animula mea? cur adeò turbaris? quid verò es tristis? cur mœrore tanto solicitaris? aut quid vides in quartum gradum iam piæ meditationis euecta? Non, inquit, contremiscerem, non horrerem, aut non vires mihi meæ omnes deficerent, cùm videam dominum & creatorem meum coram omni populo clara lucè impiè adeò & impudenter maximis clamoribus ad prætorium Pilati pertrahi? Tota enim tunc Gens Iudæorum ex omnibus tum regionibus tunc ciuitatibus congregata aderat Hierosolymis, propter imminentem paschalem festiuitatem: fiebatq; circunductio illa Christi coram omnibus publicè per vicos & plateas, comitantibus etiam dominum summis sacerdotibus, pontificibus & scribis. Tunc quàm turbatum fuisse putas cor virginis matris, quæ & ipsa dominum suum & dulcissimum filium, omnibus despectum, sequebatur, cùm iamiam cruci tradendus & affigendus esset? O dolorem, ô luctum, ô planctum virginis! cùm videret filium suum spretum ab omnibus, consputum, ligatum hinc inde, trahi & trudi. O turbatum pectus Mariæ, cùm videret Iudam quoq; cõmissi sceleris pudore & pœnitentia tangi!

¶Hîc apud se cogitet quilibet Christianus, quòd indura-

tum quoque Iudæ cor, peruersus ille animus quoque commotus est. Videns enim iste dominum magistrumq; suum miserè adeò ab omnibus tractari, ad Pilatum ignominiosè pertrahi, videns dolentissimam matrem Mariam tristissimas matronas cæteras, perturbatos discipulos, in se reuersus, pudorem commissi facinoris concepit, sibiipsi iratus, ratusq; est indignũ esse se quem terra portaret amplius. Quòd si igitur adeò compassus est Christo Iudas, quem paulò antè tradiderat: quid tu peccator miserande facis, quanuis petra durior, ipsoq; Iuda induratus magis? Iudas pœnitentiã ductus, pecuniam sanguinis innocentis precium restituit, honorem & gloriam quam Christo ademerat reddidit, peccatum tantum confessus est coram omnibus, dicens, Peccaui, tradens sanguinem iustum. Peccator ecce maximus, vtut peccauerat grauiter, quàm prope tamẽ ad viam salutis peruenit, hoc vno impeditus errore, quòd peccata sua maiora putaret, quàm quæ apud deum gratiam & remissionem inueniret. Desperans itaque corruit, suáque ruina validum posteris omnibus reliquit exemplum spei & diffidentiæ. Vbi mihi consideret bona magnaque Christianorum pars, an non & ipsi in quibusdam iniquiores longè sint Iuda, dũ nec pœnitentiam agunt de peccatis, nec malè parta bona restituunt, nec peccata plenè confitentur, neque famam nomenque bonum proximis reddunt ademptum: tantò magis, imo nimium de dei præsumentes misericordia, quantò minus de illa confidit Iudas: cuius desperatio ex humano & iniquo Iudæorum responso ortum habuit: quia eum non recipiebant benignè, imo postquam peccatum suum & facinus confessus fuerat, dicebant, Quid ad nos? tu considera factum. Quo instruuntur ij qui confessionibus audiendis præsunt, ne simplicioribus rigidi nimium sint & duri, ne sic eos desperare faciant. Quem autem infelicis hominis exitum fuisse putatis? aut quomodo sceleri tanto condignũ respondit præmium? Abiecta pecunia, abiit, & semetipsum laqueo suspendit: atq; vt ait Petrus, crepuit medius, erumpentibus ex eo visceribus: quoniã indigna erat anima eius quæ per os egrederetur, quo Christũ osculatus fuerat. Deinde quod agrũ eo precio cõparârunt Iudæi, nullo animo bono fecerunt, sed in ignominiam Christi: quãuis propria ipsorum ab omnibus hîc agnoscatur contumelia, dum

Gerson.

Act. 1.

praua eorum mercatio,& iniquissima forma agendi,sic po-
steritati quoque & toti mundo innotuit. Veruntamen per
hoc impleri oportebat prophetiam,ne quicquam à prophe
tis prædictum, in Christo non satis videretur esse consum-
Chrysost. matum.

CONSIDERATIO II.

¶Quid insuper vides anima mea? Iniquitatem, inquit,
& malitiam Iudæorum,temerè & mendaciter Christum co
ram Pilato & Herode accusantium. Constitutus tunc Pila-
tus à Nerone erat præses Hierosolymitanorum.Vbi princi-
pio mirari succurrit insignem Iudæorum stultitiam,nescio
dicam magis,an insaniam , dum ædes Pilati intrare formi-
dant, veriti ne polluti indigni fierent esus paschalis (ibi ta-
men pascha non accipitur pro agno paschali, sed pro pane
azymo, quo vescebantur per sex dies. verba tamen Chryso-
stomi hîc non referimus, quod licet disiunctiuè loquatur,
non tamen abhorret à sententia suorum Græcorum de fer-
mentato.) Stolidissimi domum gentilis ingredi metuunt,
Augu. sanguinem fundere innocentem non timent. Parua & mi-
Chrysost. nutissima legis præcepta seruare studebant , magna nihil
curabant : sicut eis prædixerat dominus. In quatuor autem
rebus dominum accusabant: primùm quoniam malefactor
esset , ipsique adeò probi & sanctuli forent , vt vltra nihil
quærere deberet Pilatus, sed nudis eorum verbis habere fi-
dem , cùm interim & ipse sciret quia per inuidiam tradidis-
sent eum. 2 Deinde dicebant inuenisse se eum subuer-
Mat. 23. tentem gentem.id paruifaciebat Pilatus, qui quia Gentilis
erat, non curabat, seruasset ne ille legis suæ præscripta , an
Mat. 22. non. 3 Et quod insuper mentiebantur , prohibuisse eum
tributa dare Cæsari.Nec hoc ei curæ erat, quoniam non i-
gnorabat seruos suos interfuisse , quando Christus ostenso
sibi denario iusserat dari,quod dei erat deo , quod Cæsaris,
Cæsari. 4 Verùm postrema accusatio de regno,quod re-
gem se perhiberet esse Iudæorum,ad Pilatum nónihil perti
nere videbatur:quia hoc modo vt ipse intelligebat Pilatus,
si pro rege Iudæorū se Christus iactasset contra Cæsarē Ro
manū,& Pilatū Hierosolymis poterat expellere Ecce quam
infensi erant principes Iudæorum Christo, qui contēptu &
illusio

illuſione & ſuppliciis eius tantopere gaudebant: & idipſum huc illuc pertrahere, quàm maximo poterant impetu, feſtinabant. Adeóne te, ô altiſſima dei ſapientia, ſperni pateris! adeò à viliſſimis hominibus contemni! Aut quantum inde tibi Chriſte doloris, quantum moleſtiæ prouenit? Tota illa tibi in ſomnis nox deducta erat. Impet⁹ in te factus fuerat perpetuus: neque modus, neque finis aliquis ſuppliciorum. Quis ſatis exprimere queat, quàm hîc defatigatus, quàm lapſus, quã exanimatus fueris, quàmque parum abfuerit quo minus defeceris, niſi quicquid in te viriũ erat humanarum, diuina ſuſtinuiſſet omnipotentia? Quæ autẽ & quanta Mariæ quoque tunc extitit triſtitia, cùm videret dilectiſſimum filium ſuum impiè adeò tractari, trahique adeò huc iſtuc, illudi ab omnibus & trudi maxima importunitate? Quanta aliarum mulierum, quæ Chriſtum ſecutæ fuerant, commiſeratio? qui dolor, triſtitia quanta? Ecce & Herodes petens ex Chriſto ſignũ videre, ipſum ludibrio habet. verùm nunc etiam in tormentis experitur, quæ ſit potentia illius, quę ſigna. Qui quanuis per ſeipſum non adiudicarit Chriſtum morti, dum tamen eum veſte alia indutum remiſit ad Pilatum: quid aliud fecit, niſi quòd in ipſius mortem conſenſit? debebat enim dimittere eum potius, quàm vt rurſus Pilato præſentaret innocentem. Interrogauit ergo Chriſtum Pilatus an rex eſſet ipſe. Reſpondens autem dominus, dixit regnum ſuum non eſſe ex hoc mundo. Quo audito, iam omni cura liberatus erat præſes, nec vltrò eum ſuper hoc interrogauit. cui etiam quàm bonum & ſalutare fuiſſet, expectaſſe ex Chriſto reſponſum ad illud quod ipſe ab eo quęſierat, Quid ſit veritas? Quid putas veró reſponſurum ei fuiſſe dominum, niſi illud, Ego ſum via, veritas & vita? cuius ſanè reſponſionis teſtimonium etiam habiturus fuerat ex ipſis Iudæis, qui ei antea dixerant, Magiſter, ſcimus quia verax es. Quàm verò multi adhuc ſunt, qui de veritate quærunt, nec tamen reſponſionem vllam audiunt, neque admittunt?

Herodes.

Ioan. 14.

¶Illuſio hæc veſtis iſtius Herodianæ, in officio miſſæ deſignatur per albam, ſicut reliquus etiã habitus ſacerdotis celebraturi, myſteria paſſionis ſignificat. Caſula quidẽ veſtẽ purpuream, qua induerũt Chriſtũ ſerui præſidis. Stola verò funem, quẽ collo ipſius iniecerũt. Manipulus funiculos cæteros, quibus ei manus ligauerũt. Zona laqueũ, quo alligatus

Mat. 22. *Veſtit⁹ ſacerdotis celebraturi, quid ſignificet.*

ab ipsis est statuæ, in qua flagellatus est. Amictus, quo caput obumbrat, & humeros, pānum repræsentat, quo Iudæi domino illudentes, faciem velârunt in domo Caiphæ.

CONSIDERATIO TERTIA.

¶Adhuc circunspicis anima mea, quid igitur vides? Heu heu infelicissimos Iudæos video, præ Christo impurissimū hominē nequissimū eligere latronem Barabbā, maximósque insuper clamores concitare super dominū, Tolle tolle, crucifige eum. Quid non facit cęca & peruersa hominū malitia, quàm excæcat omnes? Christū ne scelerato latroni cōparari? Aut eò impietatis & furoris insanos peruenisse Iudæos, vt dimisso Barabba, Christum morti adiudicatū damnarent? qui & vitæ autor erat, & eandem omnibus dare venerat, eum morti traderent, impurissimum latronē dimitterent? O dolentissimæ matris mœrorem, tristitiam! cùm audiret filium suum dulcissimum latroni cōparatum, præ illo condemnari: quando tamē iste innoxios multos trucidauerat, hic verò inter alia bona multa in eos colllata mortuos quoque ipsorū resuscitauerat, infirmos sanauerat, cæcis visum, surdis auditū restituerat. Quibus omnibus beneficiis, vt erant maxima, ita hîc nihil omnino pensitatis, isti adhuc nocentissimū latronē seruare & dimittere, Christum verò innocentissimū & vitæ æternæ datorem, volebant crucifigi. Quid tu sanctissima virgo cum Iudæis paulò proprius tibi astātibus locuta es, cùm Pilatus proclamaret, vtrum mallent eligere? nunquid per deum, & quicquid omnino est diuini numinis, eos obsecrasti, vt prę latrone filium tuū seruare cuperent? quod & Ioseph & Nicodemus, & alij quidam, qui in mortē Christi nō consenserant fecisse credūtur. Verùm vt alibi, ita hîc quoq; potentiores & primores Iudæorum clamore suo præualebant: alióśque ex vulgo persuadebant, eundē quem ipsi cuperent latronem, dimitti peterent. O mater & regina misericordiæ, quomodo vox hæc aures tuas pertransiit! quā dolens & mœsta audisti istud, cùm Barabbam seruari peterent, & nō tuum, æterniq; patris filium Iesum Christum! Quantū doloris animo tuo tibi cōcepisti, audiens istud subinde iterari cordi tuo durissimū verbum, Crucifige crucifige! Quid autē dum vulgi instabilitatē considerabas, & vesaui populi incōstantiam summam? quā alienus erat hic vlulatus eorum ab illo, quòd ante sex dies ipso

Chrysost.

palmarum die, prosequentes & turmatim dominum comitantes, cum gaudio ei acclamârant: Benedictus qui venit in nomine domini, pro quo tunc, Crucifige, crucifige, clamitabant? Maledictus, inquiût, qui pẽdet in ligno. Antè sex dies Iesum regem vocabant, deumq; adeò laudabant, quod nunc veniret regnum patris sui Dauid: hodie malefactorem eum appellantes, nullatenus volebant agnoscere regem, regẽ se non habere nisi Cæsarem clamabãt. Ante sex dies adreptos ex arboribus ramos & vestimẽta sua Christo substernebãt: hodie & proprias Christo vestes exuerũt, pro iisdem ludentes & purpurã induentes illi, deriserunt eum, spinas capiti sanctissimo impresserũt. Ante sex dies laudabant eum, antè & retrò comitantes ipsum, benedixerunt deum, & quę fecerat mirabilia magnificârunt: hodie ante & post ipsum cursitantes, illuserũt ei, seductorem populi & blasphemũ appellarunt. Vsqueadeo instabiles & inconstantes sunt filij mũdi huius, vt iam latronem seruari dimittiq; præ Christo cuperent, qui & nouus & cæteris grauior domino dolor extitit. *Deut. 21.*

CONSIDERATIO QVARTA.

¶Quid insuper hîc intueris anima mea? Ministros, inquit, Pilati video Christum attrociter adeò & immaniter columnæ iniectum adstringere: atque eum tum virgis, tum flagellis cœdere, vt mirum non fuerit, ipsum hîc in manibus eorum demortuum, nisi diuina virtute suffultus & adiutus esset. O piissime domine Iesu Christe, oportétne pati te flagella, vt flagella peccatorum tolleres, quæ multa sunt? Quàm verò dolore plenissima hæc Christo fuerit flagellatio, en Augustinum vobis testem & dicentem, Ecce iam dominus aptatur ad verbera, iacet extensus ante hominẽ deus: & supplicium patitur rei, in quo nullum peccati vestigium potuit inueniri. primùm enim ipsum in terram deiecerunt, deinde laqueis & funibus colũnę ita alligârunt, vt vndiq; caro eius sãctissima vltra funes intumesceret: duriter adeò deinde tenerrimũ corpus illius virgis flagrísque ceciderunt vt instar riuuli effusissimè vndique ꝓmanaret toto corpore sanguis, iamq; caro & cutis tota instar panni sanguine tincti appare bat, neque erat in illo sanitas à planta pedis vsque ad verticem. Referũt doctores, dominũ cuidã homini pio religiosi' passionẽ eius meditãti reuelasse, quòd in corpore suo vulnera habuerit quinquies mille, trecenta, septuaginta quinque. *Augusti.* *Psal. 31.* *August.* *Esa. 53.* *Ludol.* *Vulnera Christi quot.*

Quòd si igitur innocentissimus ille tanta pro peccatis alienis passus est supplicia, quid putatis miserrimos peccatores iam apud inferos sustinere pro propriis? Verùm tu quã totius oblitus eras, Pilate, æquitatis & iustitiæ, dum insontem dominum atrociter adeò flagris cædi sinis? Cœperas iã causam rectè experiri: innocentem illum confessus eras, dicens te nullam in eo mortis inuenire causam. Quid ita igitur tibi non constas? cur flagellari sinis nihil cõmeritum? innocentem & innoxiũ vt quid cędi permittis? Manus abluis, & statim profers sẽtẽtiam mortis. Ah, quicquid habet Oceanus totus aquarum, abluere de manib' tuis sanguinẽ Christi non poterat, quem condemnasti. Manus lauisti, sed factum non diluisti. Atqui eò clamoribus te suis adegerũt Iudæi? neq; te ex prescripto iustitiæ agere permiserũt? Tuum erat, Pilate, qui iudicis fungebaris officio, non obsequi. Iudex enim nec inuidiæ cædere debuit alienæ, nec timori, vt sanguinem innocẽtis morti addiceret Grauius quidẽ quàm tu, peccatum Iudæi habent, sed tu interim quoque excusationem nullam mereris. nanque si tua nulla hîc fuisset siue potestas, siue authoritas, cur ipsi dixeras Christo. Nescis q̃a potestatẽ habeo occidere & dimittere te? Multis argumẽtis insontem deprehensum, cur non liberasti? cur nõ dimisisti?

Ambro. super Lucam.

Testimonia innocẽtiæ Christi.

¶Vtique innocentiæ suæ & plurimos testes & argumenta multa in passione sua habuit Christus. Quoties enim Pilatus dixerat, Non inuenio in eo causam? Et deinceps cum lauaret manus, Innocens ego sum à sanguine iusti huius. Herodes dum illum remisit ad Pilatum, nónne ostẽdit se nihil dignum morte inuenire in ipso? Quid verò Iudas? nónne & ipse palàm innocentem testatus est esse Christum, cùm diceret confitens, Peccaui tradens sanguinem iustum? Vxor Pilati quoque idem confessa est, mittens ad maritum & denuncians illi, ne quicquam sibi esset cum iusto hoc Præterea Centurio dixit post mortem, Verè filius dei erat iste. Latro alter in cruce loquens, alteri aiebat, Nos quidem digna factis recipim', hic autem quid fecit? Meritò igitur, Pilate, afflictus es hîc temporaliter, & nunc torqueris in perpetuũ. quanuis enim affectum aliquando habere potueris & cogitare de liberando illo, non tamẽ ideo tibi licebat quod malum erat facere: quia ne sic quidem faciendum est malum, vt ex eo bonum proueniat.

Rom. 3.

¶Quid amplius vides anima mea, in eodem hoc stans gradu piæ cõtẽplationis supplicij amarissimi, quod subiit dominus noster Iesus Christus? Furibundos, inquit, video Pilati ministros circũcursitare, & in hoc vnum elaborare, vt ne aliquod Christo mẽbrum integrum relinquant, néve vllam corporis partẽ non cruentatam, non sanguine aspicerẽt madẽtem. Ecce enim coronam plectunt ex acutissimis spinis, eam capiti illius sanctissimo imponũt, capiti inquã vniuersi mundi, capiti ad quod inclinant se cælum & terra: atque ne quicquam intentatũ relinquant, ecce vi & violentia spinas capiti illius fustib' in hoc correptis & adhibitis imprimũt, vnde affatim sanguinis fluenta promanârunt. Nec est quòd putes coronam hãc instar serti paruulã fuisse: lata & ampla extitit instar pilei, ita vt totum pene caput vndiq; ei ambiẽdo contigeret. Quilibet Christianus hîc expendat, quãtum doloris Christus in hac spinarũ punctione persenserit, quãdo venerandum illius caput acutissimis spinis vndiq; perforatum est. Ex iis spina vna sanctè asseruata est aliquandiu Rhodi, quæ singulis annis eo die quo Christi passionis memoria in ecclesia nostra catholica celebratur, hoc est, hodierno die parasceues, vidẽte populo florebat, neq; diutiùs, quàm hora illa qua Christus crucifixus creditur. Ita hodie pro miseris peccatoribus Christus rex gloriæ coronatus est, quæ corona fuit triumphalis istius victoriæ suæ insigne.

Bernard.

Picus in theor. de fide, principio 1.

¶Neque verò sic satiata fuit insanientium impietas Iudæorum: arundinem quoq; domino dederunt in benedictas & venerabiles manus suas, itaq; in maiorem contemptum ꝓcidentes dixerunt, Aue rex Iudæorum. O te regẽ egregium, vide regiam istam dignitatẽ tuam, contemplare insignia regiæ maiestatis tuæ, en coronam, en sceptrũ, en diadema regium. Ob hanc illusionẽ Iudæorum, quãdo hodie pro vniuerso omniũ hominũ statu orãs ecclesia vndiq; genua flectit: ea tamen non flectit, dũ pro Iudæis orat Nouus autem hic quoq; Christo dolor subortus est, quando percutientibus Iudæis super coronã spineam cum fustibus & arũdinibus, motis sic spinis, renouabãtur incussa capiti sanctissimo foramina & puncturæ. Insuper in faciẽ expuebãt ei, ne quis esset impio furori modus. Itáne cõspui, contẽni, illudi, rideri illũ decebat, quẽ laudãt angeli, quẽ adorãt dominatiões,

quem tremunt potestates, quem cæli cælorúmque virtutes, cherubin quoq; ac seraphin socia exultatione cōcelebrant, regem gloriæ, filiū dei, dominū dominantiū? Porrò nō me præterit, nōnullos doctorū velle flagellationē hanc factam esse post Christi condemnationē & iudiciū: alios ante eam. Verùm quicquid est quod cōtrouertitur, verisimilius vtiq; est, vtráque illam factam esse Alteram hanc priorē, qua Pilatus satis cupiebat facere Iudæis, per modum pœnæ: alterā istam posteriorem, secundum consuetudinem Romanorū, qua qui cruci erant affigendi, prius virgis cædebantur.

CONSIDERATIO VI.

¶ Quid rursus anima mea horres? quid contremiscis? aut quid vides vnde horrorem tantū concipis? Vnquam ne, inquit illa, faciem vidistis magis horrendam, aspectum magis miserandum, quàm cùm Christum ita consputum, coronatum, veste purpurea indutum, foras educeret Pilatus, dicēs, Ecce homo: quādo iam ex ipso vndique largissimus manabat sanguis: capilli sanguine madebāt, facies tota sputis fœdata erat En vobis hominem illum, quē quomodo regem appellare potestis? Vidistis vnquā vel magis perturbatum, vel dolores maiores passum? Videte hoc triste spectaculū, moueantur saltem vobis viscera misericordiæ. Videte hominem hunc, neque enim canis est ille, quem tamen crudeliùs cane tractatis. Si regē odio habetis, nunc saltem ei parcite, dum contemptum & spretum ab omnibus cernitis, flagellatum quoque, spinis coronatum, veste purpurea indutum & alapis cæsum. Recordare homo, quanta pro te passus est dominus, semper animo tuo fixum permaneat illud, Ecce homo. Ecce inquam, qualia & quanta pro te sustinuit

Psal. 44. opprobria atque supplicia Qui speciosus erat præ filiis hominum, hodie omniū maximè vulneratus est, adeò vt iuxta

Esaia. 53. prophetiā reputari non potuerit. Atque ideo & Pilatus ait,

Bernard. Ecce homo. quasi dicat, Homo hic est, etiā si figura & speciem hominis careat. Quisquis igitur es homo, qui Christiano verè censeri cupis nomine, peccata vide vt vites, propter quæ Christus tanta passus est supplicia. Sacrificij huius memento, & tu deinceps offer domino deo tuo sacrificiū piæ precationis, & dic, Omnipotēs sempiterne deus, ecce homo qui pro me tantas sustinuit passiones: concede propitius, vt pœna illius acerbissima, mihi sit ablutio scelerū, omniūque

peccatorum meorum remissio. Pater cœlestis, clementissime deus, respice in faciē vnigeniti tui domini nostri Iesu Christi: illóq; pro nobis intercedente mediatore propitio, recipe nos in vera contritione & pœnitentia ad vitam æternā.
¶ Quantumuis autē grauissima hęc fuerint Christi supplicia, iis tamen non contenti, neq; dum satiati Iudæi, clamare porrò pergebāt, Tolle tolle, crucifige eū. Si dimittis hūc, non es amicus Cęsaris. Nos enim regem non habemus nisi Cæsarē. O Iudæorum perfidiam, ô cæcitatem, ô stuporem, ô induratum rabiosorum canum furorē! Ex proprius verbis animaduertere & debebant & poterāt adesse iam tempora Messiæ, impletámque adeò prophetiam patriarchæ Iacob, cùm dixerat, Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Nunquid impletam hanc prophetiam ipsa eorum verba testabantur & arguebant, cum dicerent, Regem nō habemus nisi Cæsarem? Quòd si itaque illis regem non habentibus, ablatum iam videbatur ab eis sceptrum: nonne manifestū esse ipsis poterat, venisse Messiam? Quid hîc tu doloris, quantum tristitiæ habuisti dulcissima mater Maria, videns indignè adeò filium tuum tractari? Sanè hic gladius Simeonis animam tuam pertrāsiit. speciosissimum ex cunctis filiis hominum, vnigenitum tuum vides hinc inde pertrahi, adeò defœdatum sputis, & sanguine conspersum, vt vix illum agnosceres. Ecce hîc cithara tibi tua conuersa est in luctum, & quidem amarissimum, quando cum aliis probis hominibus te comitantibus dicere poteras illud propheticum. Non est species ei, neque decor. Et vidimus eum, & non erat aspectus. verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nos putauimus eū quasi leprosum, & percussum à deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. ¶ Quid autem sibi vult quod ad Pilatum misit vxor sua denuncians ei quanta passa esset in somno? Dicūt hîc doctores, quòd diabolus, qui Iudæis suggerebat vt Christum caperent & occiderent, videns iam exultationem patrum in limbo, multísq; ex causis suspicatus ipsum esse Messiā verū, vt qui patiēter adeò sustineret supplicia, si per vires frudésq; suas stetisset modis omnibus passionem Christi impedire conabatur: & sicut quondam per

Gene. 49
Luc. 2.
Psal. 44
Esa. 53
Augu.

Euam vniuersum genus humanum in damnationem adduxerat, ita nunc redemptionem illius rursus per mulieré peruertere & impedire cogitabat. Quàm verò insani fuerint Iudæi, hinc licet colligere, quòd nō super se tantùm, sed & super filios suos omnem vltionem ac vindictam iusti sanguinis venire cupiebant. Atque adeò ipso iam Pilato cogitante, quomodo se ab innocentis sanguinis effusione eximeret, isti non desinebant clamare: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. O linguam maledicam! Quid mirū homines impurissimi, si sic Christum tractastis, quando & vobis & liberis vestris non pepercistis? Maledictio hæc super Iudæos & filios eorum venit in excidio Hierosolymitano, nequedum desinet aduersus omnes, qui conuerti nolunt ad dominum. Sicut enim sanguis iusti Abel clamauit ad dominum de terra, ita etiā sanctissimus Christi Iesu sanguis adhuc clamat ad deum super istos. Sentiunt adhuc maledictionem hanc super se, dum vagantur vndique profugi super terram, in maximo contemptu degunt, expositi opprobrio omnium hominum. Refert Augu ex hac maledictione etiamnum viros Iudæos pati menstrua, sicut mulieres: aliud habere eius mali remedium, nisi sanguinem Christianorum, quamobrem toties innocentes paruulos Christianos occiderunt, sicut de sancto Simone Tridentino constat, Friburgi etiam Brisgoiæ anno domini millesimo quingentesimo tertio: Christianus quidam proprium filium Iudæis vendidit: qui cùm ex illo sanguinem elicuissent: statim mortuus est. Possent hîc de fraude, vsura, malitia & impietate Iudæorū multa dici, sed aliò differenda sunt: quando periculum est, ne nostri quoq; principes grauissimè deū offendant, dum adeò fouent Iudæos, vt plura plerunq; sint eis, quàm Christianis concessa priuilegia. Sic itaque Pilatus instabilis & iniquus iudex, Christum quem toties hactenus innocentem cōfessus erat, morti adiudicauit, qui iudex futurus est virorum & mortuorum. Quid agis, Pilate? deum creatorem, iudicémque tuum condēnas? Sed nos iam cruciatus illos suppliciáque dira, & extremas ignominias quibus affectus est Christus, piè meditantes, illíque gratias agentes, clamemus toto corde & animo ad ipsum, & dicamus, Benedictus es domine Iesu Christe, qui pro salute nostra accusari, illudi, conspui, flagellari, & spinas coronari vo

Chrysost. *Gene. 4* *Augu.* *S. Simon.* *Fribur.* *Luc. 21* *Precatio.*

luisti: auerte à nobis quæsumus flagella iracundiæ tuæ, vt sic te iudicante coronam gloriæ adipisci mereamur æternæ, Amen.

QVO PACTO DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS SPRETVS AB OMNIbus ignominiosè sub graui sanctissimæ crucis mole ductus, & clauis illi affixus sit.

ARTICVLVS V.

CONTEXTVS EVANGELISTARVM.

ET postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde: & induebant eum vestimentis suis, & duxerunt eum vt crucifigerent eum: & baiulans sibi crucem, exiuit Iesus in eum qui dicitur Caluariæ locum. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi: hunc angariauerunt, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. Sequebatur autem illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus dixit, Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vosipsas flete & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicetis, Beatæ steriles & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos. Et postquam venerunt in locum qui dicitur Golgotha, dabant ei bibere myrrhatum vinum acetum mixtum: quod cùm gustasset, noluit bibere. Et crucifixerunt eum atque cum eo latrones duos hinc & hinc, medium autẽ Iesum, vt sic impleretur scriptura quæ habebat, Quia cum iniquis deputatus est, Iesus autem dicebat, Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.

EXPOSITIO ARTICVLI V.

PARTICVLA SEV CONSIDERATIO I.

¶Quid verò hîc anima mea vides, imposito pede super hunc quintum sanctę meditationis gradum? Video, inquit, & prohdolor, video inquam, & miror, non omnes nos dolore deficere & contabescere: quoniam dominus noster Iesus Christus tanto impetu rapitur, truditur extrahitur, sub graui crucis mole mortẽ subiturus amarissimam. O quàm mœsta fuit hîc totius mater misericordiæ, videns dulcissimum filium sic ad mortem pertrahi, cui nec vltimum vale dicere poterat! Quanta duxisti hîc suspiria, clementissima mater, mater inquam gratiæ & consolationis, quot quantósque gemitus edidisti? quàm verò contremuisti? Nónne

cogitasti? Ah, vbi nunc, ô Gabriel, nuncium tuum, quando dixeras, Aue gratia plena? ecce enim doloribus repleor, cruciórque misera. Quis autem & filio meo charissimo vel minimũ gratiæ exhibet? quis parcit illi? Quid verò dixisti, dominus tecum? Ecce dominus ille meus & deus, Christus Iesus mecum non est, sed à Iudæis abducitur iamiam crucifigendus. Et tu itaque infœlix homo, qui tanti supplicij, tam dirę mortis causa est vnica, recordare quàm omnino tristissimus aspectus hic fuerit, quámq; luctuosum spectaculum, quando Christus prodibat ex ædibus Pilati, cruce propria onustus, sanguine respersus vndiq;. turbis tumultuantium Iudæorum pressus, quorum quò quisque melior videri cupiebat, eò plura tum conuitia inferebat, tum verbera domino infligebat. Iámque cùm de pronunciata certi erant sententia, cędere omnes trudere magis quàm antea impiè tractare pergebant. Alius clamabat, Sequere, festina, propera, quid cessas? Alius eum cędebat, alius capillis trahebat, alius pedibus cõculcabat, alij fustibus, alij pugnis percutiebant, vt quenque suus agitabat furor. Pars ipsum funibus quibus astrictus erat, vltro citróque trahebant, vt sic vestibus suis prælongis impeditus subinde casum minaretur & lapsum. Quid hîc non fleuerit mater sanctissima? non doluerit, filium suum conspicata sic contemni & sperni ab omnibus, nec quenquam esse illi qui motus misericordia cõdoloret?

CONSIDERATIO II.

¶Quid insuper hîc vides anima mea? Christum iam, inquit, prohdolor, video sub graui adeò põdere defecisse, atque humi iacere prostratum, Iudæi autem crucem baiulare cuidã Cyrenęo, nomine Simoni, demandârunt. Quid enim mirum, Christum (cui etiam corpus erat tenerius) ex tantis suppliciis, verberibus, plagis iam defecisse, nec amplius potuisse impetum Iudæorũ tantum sustinere, qui nisi adiutus fuisset desuper, neq; iis sufferendis suppliciis, quanuis corpus habuisset robustissimum, suffecisset. Sunt quidã ex doctoribus, qui putant diuinitatem hîc vim virtutémq; suam omnem subtraxisse humanitati, vt sic homo Christus debilitatus multũ, pene cõtabuerit: quando & crux ipsa sic magna erat, vt sustineret magnum hominem quemcunque, & vt tantùm esset à terra subleuatus, quòd nemo palma pedes suos tangere posset. Quilibet hîc homo pius consideret &

Gerson.

contempletur dolorem hunc domini immensum, quando virtute sua animæ simul & corporis omni debilitata, succu buit sub pondere crucis O quàm perturbata fuit hîc castissima virgo, quãtum mœroris & doloris perfudit cor illius, quando Iudæi cum Christo stantes, vndique circunspiciebãt de aliquo qui crucem ferret siquidem & aliâs apud eos mos non erat, vt qui rei erant mortis, ipsi cruces suas efferrent, quod nunc in peculiarem ignominiam domino fecerunt, cogentes ipsum crucem portare propriam. Verũ cùm iam deficeret, nec amplius sufferre posset, veriti ne moreretur Christus, nondum in crucem suffixus, sicq; non satis supplicioꝝum pro sua crudelitate illi inferrent, prouidebant de adiutore baiulo, quoniam ipsosmet pudebat crucẽ siue patibulum efferre. Hęc dum aguntur, appropinquantibus sibi mulieribus & flẽtibus dominus prædicere cœpit excidium vrbis, quod ita vt hic prædixerat, contigit anno quadragesimo tertio post Christi passionem. subsecuta enim sunt mala omnia, fames immanis & miseranda, adeò vt authore Iosepho, mulier quædam nobilis proprium filium suum rostũ igni voraret: quem odorẽ milites, qui in ciuitate erant, cùm sensissent, irruẽtes in domum illius famelici, putabant eam carne assata vesci, ostenso autem filio proprio, aufugerunt exterriti. Præter eos autem qui fame & peste perierunt, occisa sunt circiter vndecies centũ milia, vẽditis insuper plus quàm octoginta milibus Iudæorum, sæpe triginta denario vno, sicut ipsi denariis triginta vendiderant Christũ. Multi diuitum trucidati sunt eò quòd argẽtum & aurũ proprium deuorauerunt, vt sic illud resectis eorum corporibus eximeretur rursus. Durat eorum afflictio adhuc in hodiernum diem, dum profugi toto orbe exulant, pulsi etiam promissionis terra, quã plus mille & quingẽtis annis possederant.

¶ Eodem hoc tempore Verónica sudarium quoque exhibuit domino, qui faciem suam illi impressit, sicut adhuc cernitur Romæ. Porrò quomodo Simon Cyrenæus portando dominum iuuerit, variant doctores, aliis putantibus Christum priorem, posteriorem verò crucis partem portasse Simonẽ: quoniã Lucas, dicat Iudæos imposuisse crucẽ Simoni portare eandem post Iesum: aliis autẽ existimãtibus Simonẽ solum tulisse crucẽ: vnde & quod Lucas habet, intelligunt hoc modo Christum prius tulisse crucem, post eum

Luc. 13.

Iosephus.

Simonem itidem solum eādem portasse. Quicquid autem id est, parū sanè refert: sed quòd Simonis filios ambos no-
Hierony. minatim appellat euangelista, Alexandrum & Rufum, eò pertinet, quod illi discipuli quoq; & sectatores erant Christi.

CONSIDERATIO III.

¶ Adhuc anima mea, te quæso, quid vides? Christum, ait illa, video in fœtidissimum & sordidissimum. Caluariæ locum adduci, ibidē exui & cruci clauis crudeliter affigi. Qui sanè nec minimus illi, neq; leuissimus dolor extitit, dum sic deductus est in putridum & fœtidissimum locum, vbi ossa cadauerum iacebant. neque enim minus ingratus illi fuit ossium fœtor, quàm molesta tam contempti loci extrema ignominia. Porrò dum alij fossas infigendæ cruci parant, alij cruce foramina clauorum adaptant, quicquid interim cæteri contemptus, probri & ignominiæ inferre poterant domino, curabant sedulò ne quid intermitterent. Et ne ociosum hîc relinquerent dominum, vinum ei bibendum porrigunt myrrhatum, aceto mixtum, vnde nouus illi dolor, nouáque ex gustato vino acerbitas oriebatur. Et sine mora irruentes Iudæi, exuunt dominum, neque simpliciter exuunt, sed maiori tum crudelitate tum dolore, quàm ante flagellationem: ex qua compacto iam vestimento vulneribus, immensus ei dolor renouatus est, dū violenter & impetuosè exuitur: & nouis iam quibusdā & maioribus aliis vulneribus factis. Dehinc pari impetu in crucem deiectus est, manúsq; altera clauo obtuso, vt sic grauior esset dolor, fixa cruci: altera verò, quando iam paratum foramen attingere non poterat, funibus sic extensa est, vt venæ disrūperentur, donec & ipsa ad foramen alterum pertingeret. Non aliter itaque hîc extensum est sacratissimum Christi corpus, atque tympanum tendi solet, & sicut chordæ distendantur: ita omnia Christi membra, nerui omnes, venæ quoque & arteriæ, & costæ sine vlla commiseratione protensæ, ita vt iam dicere poterat Christus, Impletum vtique
Psal. 21. nunc est, quod olim de me prædixerat Dauid, Foderunt manus meas & pedes meos, ossa mea omnia dinumeraue-
Hierony. rūt, siue dinumerabilia fecerunt. Hac ipsa, inquit Hieronymus, manus sinistra mortem apprehendit, & apprehensam
Osee. 13. cruci affixit. ideo per prophetā dicit, Ero mors tua, ô mors: ero morsus tuus, inferne. ¶ Dubium est hîc quibusdā, vnó-

ne an duobus clauis crucifixus sit Christ⁹ pedibus: essétq; multa quæ super ea re dici possent: verũ quia non ita multum refert, missa facio omnia.

¶Refert Ludolphus cuidam homini pio reuelatum esse à Christo, se maiorem pœnam non habuisse, nisi quando sic extensis expansísque membris, affixus sit in cruce, vbi ipsa etiam eleuatio crucis, multum ei doloris peperit, prius enim (authore Hieronymo) cruci affixus est dominus, & de hinc tandem erecta illa, in fossam præparatam demissa est eo impetu, vt rursus hîc omnia vulnera eius renouarentur, cæteráque clauorum foramina maiora fierent. Dolorem istum per se quidem maximum non parum auxit domino, quod neque solus, neque tamen cum bonis crucifixus est, sed cum latronibus pessimis: & horum quidem ille pependit medius, quasi sceleratior ipsis. Inter hæc omnia, inter tot opprobria, ignominias & continua supplicia, charitatẽ adhuc suam erga genus humanum exhibens Christus, orat pro crucifixoribus suis, dicens, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. O immensam dei bonitatem, ô malitiã hominum summam! homines quicquid cõminisci possunt suppliciorum, inferunt domino, ille vicissim pro eis orat, solámque iam linguam habens qua vti posset, eam ad orãdum & matrem discipulo commendandam impendit! Res miranda, Iudæi clamant, crucifige: sed Christus orat, ignosce. magna illorum iniquitas, sed maior tua pietas, domine. Vnde credibile est, virtute huius orationis tot statim deinceps conuersa hominum milia, apostolis prædicantibus, iã tria aliâs quinque. Et adhuc dubitamus Mariam matrem appellare misericordiæ, quæ tam misericordem & propitium nobis genuit filium? Nos tamen quoque Christum oremus quotidie, vt ipse sic etiam pro nobis, nostrísque peccatis oret patrem suum cælestem, & dicat, Pater, dimittẽ eis. Verum omniũ istorũ dolorũ, quos in sua eductione & crucifixione pertulit Christus, nos quoque nõ immemores clamemus ad ipsum, intentóq; corde sic oremus, O misericordissime domine Iesu Christe, per illũ acerbissimum dolorẽ quem sustinuisti, quando eductus, diris clauis cruci affixus fuisti: te humiliter deprecamur, vt sic pro nobis etiã patrem tuum cælestẽ ores, quatenus & nos mũdo huic crucifixi, obedientes tuis semper inueniamur mãdatis, Amen.

Hierony.

Luc. 23.

Bernar.

Act. 2. 4.

Oratio.

QVOMODO IN CRVCE QVOQVE IAM PENDENS, MVLTIS MODIS irrisus sit dominus, & quæ præterea circa crucem illius contigerint.

ARTICVLVS VI.

CONTEXTVS EVANGELICVS.

Postquam autem crucifixerunt eum, acceperunt milites vestimenta eius, facientes quatuor partes, vnicuique militi partem. Erat autem tunica inconsutilis contexta desuper. Dixerunt ergo ad inuicem, Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. vt scriptura impleretur, dicens, Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt: & sedentes seruabant eum. Scripsit autem & titulum causæ eius Pilatus, & posuit super crucem: Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorũ legerunt: quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus. & erat scriptum Hebraicè, Græcè & Latinè. Dicebant ergo Pilato põtifices Iudæorum, Noli scribere rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi Et prætereuntes blasphemauerũt, mouentes capita sua, & dicentes, Vah, qui destrais templum dei, & in tribus diebus reædificas, salua temetipsum. Similiter & summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum scribis dicebant, Si tu es Christus rex Israël, descendas nunc de cruce, & credimus tibi. Vnus autem qui pendebant ex latronibus, blasphemabat eum dicẽs, Si tu es Christus saluum fac teipsum, & nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicens, Neque tu times deum, qui in eadem damnatione es? & nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum, Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalena. Cum vidisset ergo Iesus matrem & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ, Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. A sexta autem hora tenebræ factæ super vniuersam terram vsque ad horam nonam, & sol obscuratus est.

EXPOSITIO ARTICVLI HVIVS VI.

CONSIDERATIO I.

¶ Quid verò iam hîc conſpicis anima mea, in hac ipſa graduũ piæ cõtẽplationis ſummitate? Quò altius, inquit, aſcẽdo, hoc plus doloris tũ ipſa mihi concipio, tum in deo creatore meo intueor miſera. Et tamẽ inter cætera quoddã hic video, quod merito totus gaudeat Chriſtianiſmus, titulũ illũ triumphalẽ crucis Chriſti, à Pilato deſcriptũ, Ieſus Nazarenus rex Iudæorum. Scripſit hunc quidẽ titulum Pilatus, vt ſe Romanæ conformaret conſuetudini: & tamen nihilò interim minus in corde illius virtus operabatur diuina, quanuis idipſum & latebat. Chryſoſtom⁹ refert Pilatũ ſcripſiſſe titulum hunc, tum vt Iudæos vlciſceretur, tum vt Chriſtum excuſaret: quia tanquã trophæo cuipiam literas inſculpſit, clara voce & victoriã & regnũ profitentes. Hoc illud nobilem eſt vitæ noſtræ chirographũ, hoc inſigne & pręclarũ Ieſu Chriſti vexillum, hic ille color, quo gaudere debent omnes aulici illi⁹: hoc præſidiũ firmũ aduerſus omnes inſidias diaboli, & quæ aliàs ingruere ſolent pericula. Quid enim dicas vel manè è lecto ſurgẽs, vel ſerò cubitũ abiens, quod magis te iuuet, & confirmet animũ tuũ in bono, niſi hac ipſa tituli inſcriptione, ſimúlq; frontẽ locúmq; cordis crucis figura ſignes? Titulus iſte vnicuiq; Chriſtiano qui ipſum dicit vel defert bona credulitate, valet cõtra omnes inſultus diaboli, quod quidam qui ex reuelatione illud habuerunt, conſtanter aſſerunt Titulus iſte hodie vicit, triumphauítq; aduerſus pontifices & primores Iudæorum, qui ideo etiam mutari illum volebant Et quãuis iniquus erat Pilatus, titulus tñ iſte triumphat: vnde pia & ſancta illa cõſuetudo fluxit, vt quidã crucis ſigno ſe cõſignâres, ſic orent: Ieſus Nazarenus rex Iudæorũ, titulus triumphalis defendat nos ab omnibus malis: Sãcte de⁹, ſancte fortis, ſancte & immortalis deus, miſerere nobis. Neq, temerè titulus hic tribus pręcipuis deſcript⁹ erat linguis, Latina, Gręca & Hebræa: quoniam ex omniũ nationum & gentiũ linguis aliqui eſſent ad Chriſti fidẽ peruenturi, ſic in tribus iis linguis ſancta celebrãtur peraguntúrque miſſarũ ſolẽnia. Verùm titulus hic licet membranæ fuerit inſcriptus, tabulæ tamẽ deinceps illius eſt ex oliua, & cruci impoſitus. Nec eſt quod putes crucem hanc Chriſti ſic fabricatam eſſe, vt ſupra caput truncus

Remyg.

Chryſoſt.

Prudẽtius in hymnis Gerſon.

Remig. extaret eminentior transuerso, sed huiusmodi fuit, vt capiti Christi nihil esset quod sustineri fulciriq; potuisset, iuxta il-
Mat.8. lud quod prædixerat, Vulpes foueas habēt, & volucres cæli nidos, filius aūt hominis nō habet vbi caput suum reclinet.

PARTICVLA SEV CONSIDERATIO II.

¶Quid autem est, ô anima mea, quod hîc dolorē Christo magnū adeò conciliauit, túq; adeò id in hoc gradu es conspicata? Contemptus, inquit, quē passus est à ministris pontificū & senioribus plebis, ipsóq; etiā latrone pessimo. Diabolus nāque inspirabat Iudæis, vt dicerent. Si filius dei es, descende de cruce, & credimus in te. Ostēdebāt per hoc & declarabant filios se esse diaboli, sicut eis antè pdixerat dominus: quem consimili planè modo in deserto diabolus tētauerat, dicēs illi, Si fili' dei es, dic vt lapides isti panes fiāt. Neq; parum coniecturā dæmonis de Christo vero Messia, augebat insignis illa exultantiū in limbo patrū lætitia. Noluit aūt descēdere de cruce dominus, quin potius opus perficere voluit humanę redemptionis: quin multò maioribus signis & miraculis hactenus eos conuertere non potuit. Fraudulenta enim hæc fuit promissio, quia quod horū maius est, de cruce adhuc descendere viuentē, an de sepulchro mortuum resurgere? resurrexit ille & tamen ô iniquissimi Iudæi, non credidistis: ergo etiam si de cruce descenderet,
Hierony. non crederetis. Sed mihi, inquit deinceps Hieronymus, videntur hoc dæmones immittere. Statim enim vt crucifixus est dominus, senserunt virtutē crucis: & intellexerūt fractas esse vires suas, vnde hoc agunt, vt de cruce descēdat. Maior tamen adhuc cōtēptus Christo fuit, quòd eū latro perditus quoq; probris incessuit, qui vitæ largitor erat: dixítque, ô tu es Christus, salua temetipsum & nos. Sed tu maximum illud duorum latronum discrimen cōsidera: in vno scelere ambo erāt: latro fuerat vterq;, in vno supplicio ambo, quia crucifixus vterque, vterque iuxta vicin' Christo, neuter ab eo erat remotior. Alter tamen Christum ecce cōtemnit, & damnatur: veniā alter petit, & saluatur. Pulchrum est quod super hoc Hieronymus ait, Christus in paradisum de cruce
Hierony. etiam latronem tulit. & ne quis aliquando seram cōuersionem putaret, fecit homicidij pœnam, martyrium: latro hic suspensus erat in cruce manibus pedibúsq; pēdebat affixus. prætercor & linguam liberū nihil habebat. vtrunque tamē illud

illud membrũ per gratiã dei totũ impendit & obtulit Christo,& latronẽ alterũ corruit,& ad christũ sic dixit, Domine,memento mei cũ veneris in regnũ tuum Vincentius ait vmbrã corporis christi tetigisse hũc ipsum à dextris pẽdentem latronẽ. Sic itaq; dominus latroni regnũ, crucifixo cælum,dãnato paradisum ꝓmisit & tribuit. Latro hic & homicida erat,& crucifixus,& ad mortẽ damnatus:illi tamen regnum,cælum & paradisum nõ negauit dominus,plus ei cõferẽs quã petierat. Ecce hîc,charissimi,feudalia sua hoc modo confert dominus,sicut rex in maiestate sua:vt sic nec temerè,nec frustra Pilatus in titulo Christũ regem inscripserit Iudæorũ. Primáq; adeò hæc in Christo fuit regiæ dignitatis suæ declaratio,dum latroni confert feudum paradisi. *Vincẽtius*

CONSIDERATIO III.

¶ O domine Iesu Christe,inquit anima fidelis, quid hîc tu doloris,quantum tristitiæ & mœroris habuisti iam conspicatus sub cruce stantẽ virginẽ matrem,nõ ignorans vtique afflictionem & miserandã materni pectoris passionẽ? quia omnia quæ tu passus es in corpore,illa pertulit in corde:& quanuis in partu tanto perfusa est gaudio,vt nullã illius senserit acerbitatem:tamen omnis iste dolor iam hîc ei conduplicatus est,adeò vt si vnquã vlla præ mœrore & doloris grauitate mortua est mulier, quid mirum si Maria in tãto dolore deficiens fuisset mortua, nisi peculiari quadam virtute desuper ei collata suffulta esset?Heri pedibus ingressa fuit iam inde à Bethania vsque,totam egerat integrã noctem peruigil,hinc inde cursitando circumlustrans,quid de filio suo dulcissimo fieret, neque dum manducauerat quicquam. Sic ergo dicit textus, Stabat iuxta crucem Maria mater Iesu. Non corruit neque concidit in terrã prona,sed stabat, quia floribus optimarum fulcita erat virtutũ, subinde per Gabrielem confirmata,dicentẽ sibi, Non est quod metuas Maria,tertia enim die resurget filius tuus,túncque immensum concipies gaudium. Insuper diuina virtute & gratia sustentata est. Neque suspicandum puta,illam vel indecenti clamore, vel importunis gestibus animi sui mœrorẽ declarasse,cõstans fuit & firma,magnáque misericordia sic voluit per filiũ suum vniuersum redimi genus humanũ. Verùm illud Christi verbũ,intima cordis sui viscera pertrãsiit, quando dixit,Mulier ecce filius tuus. Constans doctorum *Canti.2.* *Luc.1.*

ſentẽtia eſt, chriſtũ honorificè ſemper matrẽ ſuam ſalutaſ-
Gerſon. ſe, Sed quòd hîc matrem nõ appellauit, Gerſon & Lyra fa-
Lyra. ctum putant, vt illi parceret, quã ſi materno cõpellaſſet no-
mine, cor ei diſrumpi poterat. Ait ergo, Mulier, ecce filius
Augu. tuus. hoc dicto, Ioannem ipſi cõmendare volens & tradere
Chryſoſt. O mutationẽ miſerabilẽ! pro cõditore ei dat creaturã, pro
deo hominẽ, pro filio proprio amicũ, pro magiſtro diſcipu
lum, pro præceptore cõmendat piſcatorẽ! Quid ni dixerit
Iob 3. tunc illud Iob, Verſa eſt cithara mea in luctũ? Quicquid in
vniuerſum gaudij habuit in angelica annunciatione, in cõ-
ceptione filij dei, in natiuitate eiuſdẽ, id omne in mœrorẽ
iam mihi vertitur, luctũ & dolorẽ. Deinceps quoq; Ioanni
dixit, Ecce mater tua. En teſtamẽtũ quod in ara crucis fecit
dominus, quo puiſum matri ſuę voluit: quò nos admonuit
ſedulã parentũ noſtrorũ curam habere, vt proſpectum ſit il
lis. Conſtituta igitur in tanta cõpaſſione Maria, potuit vti-
Luca 2. que recordari illius quod ei prædixerat Simeon, Et tuã ip-
ſius animam pertrãſibit gladius doloris. Atque quid mirũ,
ſi inter continua ſuſpiria perpetuóſq; gemitus cor illius aſ-
ſidua palpitatione pene defecit, facie tota lachrymis ma-
dente, voce cõfracta, oculíſque iam penitus perturbatis? An
nõ tacita ſecũ cogitarit ipſa? O fili dulciſſime, aperi benedi-
ctum & ſanctiſſimũ os tuum, verbum benignum eloquere
mihi. Quàm decuit autẽ, vt gloriam tãtam quam nunc præ
omnib9 creaturis longè maximã habet Maria, tam honeſtè
Hierony. promeretur & acquireret? Ac ſi quidẽ dilectiſſimam ſuam
matrem, virginem virgini cõmendauit Ioanni. Vnde & ho
norifica & venerabilis trium horum omnium mentio eſt,
Ieſus, Maria, Ioannes, ſúntque ea in quacunque neceſſitate
præ omnibus inuocanda. In omnibus membris ſuis paſſus
eſt, vt omnia peccata tua aboleret. Quòd ſi ob magnitudi-
nem & multitudinem peccatorum tuorũ Chriſtum accede
re nõ audes, age Mariam implora & Ioannẽ: animam tuã,
corpus tuum, téque adeò totum & omnia tua cõmitte Ma-
riæ & Ioanni, ſicut Chriſtus Mariam Ioanni commẽdauit,
Ioannem Mariæ. Quòd ſi tu fide recta, bonáq; feceris mẽ-
te, non te mater illa omnis gratiæ & miſericordiæ, fons pie
tatis, deſeret. Quilibet hîc conſideret, quomodo ſol & luna
clariſſima mundi luminaria obſcuratione ſua cõdoluerint
domino, cuius miſerti non ſunt duriſſimi Iudæi. Eclipſim

hanc, vt erat miraculosa, vidit Dionysius adhuc Gentilis, & agnouit eam naturalem non esse. ideóque dixit, Aut naturę deus patitur, aut mundi machina dissoluetur, deinde cōuersus ille à Paulo, fidei Christianę factus est ꝓpugnator acerrimus. Hæc omnia in gloriam Christi sanctissimæq; virginis honorem meditantes, clamemus ad dominum, oremúsque dicentes, O benignissime domine Iesu Christe, qui in cruce pendens matrem tuam Ioanni cōmendasti, commenda nos quęsumus matri tuę in perpetua custodia, vt tecū sicut latro in paradiso mereamur sine fine gaudere, Amen. *Dionysi*. *Act.* 14 *Oratio.*

¶QVOMODO IN CRVCE MORTVVS DOMINVS, ET QVÆ MORtem illius sequuta sint miracula, simul ac lateris eius apertione.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

TEXTVS EVANGELISTARVM.

ET circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicēs, Eli, Eli, lama sabatani, quod est interpretatum, Deus meus, deus meus, vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant, Eliam vocat iste. Postea sciens Iesus quia iam omnia consummata sunt, vt impleretur scriptura, dicit, Sitio. Vas autem erat positum aceto plenum: & continuò currens vnus ex eis, acceptum spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cùm ergo accepisset Iesus acetum, dixit, Consummatum est. Cæteri verò dicebant, Sine, videamus an veniat Elias, liberans eum. Iesus autem iterum voce magna ait, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato capite, tradidit spiritum. Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum: & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt: & exeuntes de monumentis, post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu & his quæ fiebāt, timuerunt valde dicentes, Verè filius dei erat iste. Et omnis turba eorū qui simul aderāt ad spectaculū istud, & videbāt quæ fiebāt, percutientes pectora sua, reuertebantur. Iudæi ergo, quoniam parasceue erat, (erat enim magnus dies ille sabbati) rogauerūt Pilatum, vt fran-

gererentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerũt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo ad Iesum autem cùm venissent, vt eum viderunt iam mortuum, non fregerunt eius crura: sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verũ est testimonium eius: & ille scit quia vera dicit, vt & vos credatis. Facta
Exo.12. *enim sunt hæc, vt scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Et*
Zach.12. *iterum alia scriptura dicit, Videbunt in quem transfixerunt.*

EXPLICATIO HVIVS VII. ARTICV.

PARTICVLA SEV CONSIDERATIO PRIMA.

¶Verùm quid hîc vides anima mea? Video, inquit sensualitatẽ iam in Christo pene cõtabescẽtẽ deficere ex amarissimis suppliciis, quorũ hacten' finis nullus est. Rationẽ quoque audio in Christo pro sensualitate orare ad deũ, & summis ardentissimísq; votis inclamare, Deus meus, deus me', vt quid dereliquisti me? Nõ est quod hîc vel cogitet secum, vel suspicetur quisquã, deũ ipsum etiam rationẽ in Christo dereliquisse. Sed doctores sãcti, quicquid id est, exponũt in hũc modũ, Quia enim virtus spirit' & rationis se diffundit in corpus, eiusmodi hîc effusio virtutis à deo patre erat corpori Christi subtracta. Quò factũ est, vt quocũque tãdẽ furore Christũ tractarent Iudæi, non impedirentur in illo per assistentẽ rationem. Aliter autem cõtigit in virgine Maria, quã quotiescũq; aspiciebãt Iudæi, tam fauorabilis & iucundissimus quidã radius exhibat è facie eius, vt nõ possẽt isti furore suo præualere in illã, eò quòd virtutes animę emanabant & redũdabãt in corpus. Similiter in aliis quoq; sãctis sensualitas cõsolationẽ & confortationẽ habuit à virtutib' ex anima diffusis, vti in S. Laurentio, Agnete & aliis liquet.
August. Verũ singulari quadã dispensatione dei, sensualitas huiusmodi in Christo derelicta est, nõ habẽs solatiũ aliquod ex virtutibus animę, iam tũc quoq; nõ redũdante gaudio à superiori portione rationis in illã: quia nõ tãta audacia & temeritate cũ Christo agere omnia potuissent Iudęi, si ex vultu Christi radius exisset, qui eos à furore eorũ deterruisset:
Matt. 21 sicut antè quũ è templo ipsos pelleret, aliásq; sępius factum
Ioan. 2. legitur, vbi influxus spiritualis Christo subtractus nõ erat.
¶Et ideo passio Christi supra modũ omnibus omnium sanctorum suppliciis maior fuit, quod illi influxu isto & cõso-

latione destituti nō sunt. Et hîc ille clamor rationis in Christo fuit ad deum, Deus meus, de⁹ meus, vt quid dereliquisti me? Sācti autē ratione sensualitatis suæ, in qua patiebātur, geminam habuêre consolationem: alteram ex ratione virtutibúsq; suis, alteram à deo. sic Laurentius carbones rosas & rorem esse putabat. Verùm sensualitas Christi cōsolationem hanc priorem non habuit, alteram tantùm ex deo, qui Christū cōfortabat ad ista sustinenda supplicia, nō etiā cōsolabatur. Ita igitur sensualitatis nomine deum rogabat ratio in Christo. Cōmunis autem sanctorum patrum expositio est, quod nō secus tam dira filiū suum pati supplicia per misit deus, atque si dereliquisset eum, quamobrē & Gerson dicit preciosum Christi corpus, velut lampada fuisse extinctam & absconsam, Mariā verò sicut lampadē vitream, quæ per interiorem relucet claritatem. Tamen in hoc docemur, in omni necessitate & afflictione nostra cōfugere ad deum. *Gerson.*
¶ Expende etiā homo, quo pacto hîc Christus defatigatus & continuis lassatus suppliciis, tantum non defecerit: quomodo vigilia perpetūa, ieiuniis quoque & siti emaceratus fuerit. Et quāuis re vera multùm sitiret iam Christus, satiaríque & refici cuperet secundū sensualitatem: maiorem tamē sitim in oratione habebat de salute vniuersi generis humani. Quid multa? de nostra siti sitim ipse sibi cōceperat, vt & nos quoq; sitiremus ad fontē gratiæ viuū. Sed quod deinceps ait, Consummatū est, non ad acetum referendum erit, quoniā paucissima in cruce loquutus est dominus, & ea tantùm quę multū grauitatis habebant. Quādo ergo dixit, Cōsummatū est, tantundē est atq; si dixisset. Hæc omniū summa est, hic exitus, facta transactáque iam sunt omnia, impleta etiam quæcunque de me prædixerant ꝓphetæ, opus obedientiæ quod assumpserā perfeci. Cōsummatū iam opus est totius meæ passionis. Illud ego tibi dn̄e pater cœlestis offero ꝓ peccatis & salute generis humani. Sic ergo intelligēdum est, quomodo christus omnia esse cōsummata dixerit.

CONSIDERATIO II.

¶ Quid hîc obsecro vides amplius, animula mea! Ah video simúlq; iam audio dominū nostrū Iesum Christum, elata sublimíq; voce cū clamore valido spiritū suū tradere inq; patris manus cōmendare dicendo, Pater, in manus tuas cōmendo spiritū meū Hieronym⁹ hîc putat eum Psalmū hūc *Hieron.*

Psal.21. totũ peroraſſe, Deus deus me⁹, reſpice in me. Ait enĩ, Hoc verſiculo dominus in cruce pendẽs vſus eſt: ex quo animad uertimus, totũ pſalmũ à domino in cruce poſitũ decantatũ. Alij exiſtimãt eũ oraſſe pſalmũ, In te domine ſperaui: cũq; perueniſſet ad hũc vltimum verſum, clamaſſe, Pater, in manus tuas cõmẽdo ſpiritum meum. Eſtq; hoc inſigne ſolatiũ Chriſtianis omnibus: quia ante Chriſti mortẽ non poterat quiſquã in manu patris cõmendare animã ſuam, ſed deſcẽdẽtibus in limbũ & tenebras omnib⁹, poterãt fortè in ſinũ
Luc.16. Abrahæ cõmendare animã ſuã, ſicut Lazarus. Nunc verò animæ iuſtorum aſcendunt ad deum in virtute huius verbi
Sap.3. Chriſti, Pater, in manus tuas comendo ſpiritũ meum. ſunt animæ iuſtorũ in manu dei, vt teſtatur Sapiens. Sint igitur hæc nobis verba Chriſti memoriale perpetuũ, velut à chariſſimo amico nobis relictũ. Poſtremũ etenim ea loquutus eſt domin⁹, vt & nos ſemper illa in memoria habẽtes, quotidie clamemus ad dominũ. Pater, in manus tuas commẽdo ſpiritũ meũ. Cùm manè ſurgis, ſigno crucis te cõſigna, ſanctiſſima hæc tria nomina exprime, Ieſus, Maria, Ioãnes: adde inſuper ex Pſalmo hoc Chriſti verbum, Pater, in manus tuas cõmẽdo ſpiritũ meum, redemiſti enim tu me domine
Ioan.10. deus veritatis. Notãter autẽ dicit Euãgelium, & emiſit ſpi-
Augu. ritum: quia poteſtatẽ habuit ponere animã ſuam, & iterum ſumere eã: neq; etiã mori coactus eſt, neq; inuitus, ſed vltrò mortu⁹ eſt. Id declarare volẽs, cũ clamore valido expirauit.
Gloſſa. ¶ Nos autẽ eum nulla voce, vt habet Gloſſa, vel cũ ima morimur, qui de terra ſumus: ille verò cum exaltata voce expirauit, qui de cœlo deſcenderat. Clamans quidẽ, ſuã declarauit deitatẽ: flens & lachrymans, hominẽ ſe eſſe teſtatus eſt. Notabile eſt quoq; eadẽ qua paradiſo Adam peccauit hora, meridiana, ſcilicet, Chriſtũ eſſe demortuum, & ſic vna & eadẽ hora qua mors in mundũ irruperat, etiã deſtrueretur. Quã doloroſa & mœſta quoq; Chriſto fuerit mors ſua, vel hinc colligi poteſt: quia enim mors terribiliũ omniũ longè maximè terribile eſt, vt teſtatur Ariſtoteles, quid tandẽ de omniũ nobiliſſima anima chriſti vel cogitari poteſt, eũ iã à corpore ſanctiſſimo, cui vnita erat diuinitas, ſeparari debe-
2.Cor.5. ret? Paulus quoq; dixit, Nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur qđ mortale eſt à vita. Quãtò plus dolorũ
Hebr.5. habuit anima chriſti, cũ eſſet iã derelictura corp⁹? ideoq; cũ

lachrymis & clamore valido mori volens,exaudiri quoque meruit pro sua reuerentia. Et ô vocẽ magnam atq; pręualidam,quæ cælũ terrámq; cõmouit, quæ totũ penetrauit orbẽ ad ima tartari vsq;! O preciosam Christi mortẽ,cui creaturæ omnes cõpassę cõdoluerũt! O mortẽ præclarã,quæ vitam & salutẽ attulit mũdo? O efficacẽ,ô potentissimã mortẽ,quę vno morsu vtrinq; momordit inferos, limbũ cõfregit,vinctos eripuit,purgatoriũ euacuauit! Quòd præuidẽs ꝓpheta,in ꝑsona Christi dixit,ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero,inferne. Quis enim vel dubitet vel recuset credere,Christum aduẽtu suo lætissimo iis q in pugatorio detinebantur,plenã dedisse peccatorũ remissionẽ, pœnęq; totius immunitatẽ? sicut cũ rex regnũ occupatur⁹ aduenit,captiui omnes,qui modò regno insidiati non sint,nec contra illud bella mouerint,dimitti solẽt. Quia igitur in purgatorio erant amici dei,decebat,vt adueniente rege Christo, & ipsi ex carcere & vinculis pœnarum dimitterentur,abire. *Oseæ 13.*

CONSIDERATIO III.

¶Quid insuper hîc vides,anima mea? Admirãda, inquit, & stupenda miracula cerno, quæ Christi mortem sunt consequuta,& quomodo creaturę omnes conditori sui compatiũtur. O te infelicẽ,& miserrimum peccatorem,qui adhuc in cœno & luto vitiorum delitescis,non te supplicia dei tui tanta,non vulnera,non sanguinis effusio,non acerbissimæ mouerunt pœnæ? petrę saltem durissimæ te emolliãt, scissę, scilicet,ruptum velũ,creaturę cæterę permoueant. Quantò autẽ magis quàm illæ, tu qui rationẽ habes, qui intellectũ & voluntatem à deo suscepisti,Christo domino patienti cõpati debes? Scinde velamẽ pectoris tui, velamen rumpe inscitię & negligentię. O te negligentem,ô immemorẽ! neq; cogitantem qua sorte censearis, quantis teipsum priues bonis? scinde velamẽ, & aspice sanctum illum sanctorum omnium,dominũ deum tuum:ora eum,quatenus te illuminet cogitatione peccatorũ tuorum & bonorũ omnium. In tres siquidẽ partes diuisum erat templũ,sicut in Exodo legitur, velamen quoq; in eo geminum erat, alterum inter sanctuarium & sancta sanctorum, ibíq; arca stabat:alterum in ipso templi ingressu. Vtrunq; autem ruptũ est, ad designandum, ex sententia doctorum, quoniã mors Christi veritatem attulerit corũ,quę in veteri testamento sub extẽso figurarum *Exod. 26*

1 Cor. 10 velamine latuerant siquidem verũ est illud Pauli, quod omnia in figura contigerint illis. Ecce igitur aperi oculos tuos peccator, & vide quia veritas adest. contremisce & tu terra ab ira iusti iudicis, quam exercebit in die nouissimo. An ne petris durior es tu? an & terra grauior, obscurior velo? Expergiscere ô peccator, expergiscere inquam, scinde petram cordis tui, rumpe velũ pectoris, diffinde duritiem animi tui malleo charitatis & dilectionis Christi, qui tanta passus est pro te, scinde cor tuũ, contende & emolli ipsum super incude pœnitẽtiæ: aperi sepulchrum tuum peccatorum fœtidũ, sepulchrum cõscientiæ per confessionem integrã, vt sic spiritus tuus in peccatis sepultus, aliquãdo resurgat per gratiã dei & virtutem passionis Christi: sicq; tandem perueniat in ciuitatem sanctam Hierusalẽ, in vitam æternam: quoniam sola hac via adipisci poteris vel guttulam aliquã preciosissimi sanguinis domini nostri Iesu Christi, vt sic ab omnibus peccatis tuis resurgas. Vtrum autem mortui isti, qui simul cum Christo resurrexerunt, corpore pariter & anima cum Christo ascenderint in cælum quoq;, nullum extat certum

August. scripturæ sanctæ testimonium. & quia in hoc Augustinus,

Hieron. cum Hieronymo non cõuenit, nos quoq; missum facimus.

CONSIDERATIO IIII.

¶ Verũ quid hic insuper vides, mea animola, super eundem hũc piæ contẽplationis gradũ cõstituta? Horrendũ, inquit, video spectaculũ demortui iã domini latus lancea video aperiri, atq; inde largiter sanguinis & aquę fluẽta effundi. Fecit hoc Lõginus, volẽs sic gratificari Iudæis, qui hoc modo

Theoph. certi esse volebant de morte Christi, vt inquit Theoph. Inde verus sanguis emanauit & aqua. Inde militantis ecclesiæ mysteria nata sunt. Ecce enim quam vigilãti verbo vsus est euãgelista, vt nõ diceret, latus eius percussit aut vulnerauit, aut quid aliud: sed aperuit, vt illic quodãmodo vitæ ostium pãderetur, vnde sacramẽta ecclesiæ manauerũt, sine quibus ad vitã, quæ vera vita est, non intratur. Et sicut Eua sumpta est ex latere primi Adam in paradiso, sic ecclesia veluti creuit natáque est ex latere secũdi Adam Iesu Christi in cruce. Neq; sacramentis tantùm virtutem suam attulit sanguis ille, sed idipsum quoq; antea malè videntẽ sanauit Longinũ, non ignarum vtiq; corpus Christi, si exanime foret & mor-

Augu. tuum, exangue etiã esse. Quid quod Augu. refert, aqua quæ

fluxit è latere Christi, baptizatum esse latronem alterum, quoniã ad corpus eius guttulæ aliquot aspersæ pertigerint? ¶ Quæres autem, quomodo hæc lateris apertio fuerit Christo dolorosa iã demortuo. Dico illam variis modis à nobis intelligi posse: & primùm quidem quoad Iudæos, quorum vesanus furor tot Christo illatis suppliciis satiatus nondum erat, nisi insuper mortuum transfoderent. 2 Quæ mortuis infertur cõtumelia, vergit & in viuos, vt si quis vel sub furca sepeliatur, vel mortuus comburatur, vel rotæ iniiciatur.
3 Quicquid semel assumpsit deus, nunquam dimisit filius dei, sicut in incarnatione sua corpus assumpsit & animam: ita in morte neutrum deseruit: & corpus quidẽ illud Christi, quando etiam mortuum, adhuc tamẽ vnitũ fuit deitati, maior fuit ista Christo illata contumelia confosso latere.

4 Virgini verò Mariæ insignis ista fuit ignominia, ita vt quanuis sensu iã carẽs, nõ senserit illud Corpus Christi sanctissimum, tamẽ deum immortalẽ quàm acriter sensit hoc Maria, adeò vt eadem lancea quæ latus Christi aperuit, in compassione pectus etiã traiecerit Mariæ Et nos igitur dilectissimi cõtemptum hũc saluatoris nostri, amarissimámq; passionem & mortem recogitantes, dicamus, O domine Iesu Christe, qui iam moriturus spiritum tuũ in manus patris cõmendasti, suscipe quæsumus & spiritũ nostrũ tẽpore mortis nostræ, ne suppliciis mortis deputemur æternæ, Amen.

¶DE SEPVLTVRA CRISTI, ET SEPVLCRI CVSTODIA.

ARTICVLVS OCTAVVS.

CONTEXTVS EVANGELICVS.

ET cùm iam serò esset factum, venit quidam homo diues & nobilis decurio ab Arimathia, Ioseph nomine, vir bonus & iustus, eò quòd esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum, qui expectabat & ipse regnum dei, nec consenserat consilio & actibus eorũ. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu, Pilatus autem mirabatur si iam obiisset: & cùm cognouisset Pilatus, iussit reddi corpus. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centum. Acceperunt autem corpus Iesu & ligauerunt linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat, Ibi ergo propter parasceuem Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt

Iesum, & aduoluerunt saxum magnum ad ostium monumenti, & abierunt. Erant autem ibi Maria Magdalena & altera Maria, sedentes contra sepulchrum, aspicientes monumētum, & quemadmodum positum erat corpus eius: & reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, vt venientes vngerent corpus Iesu.

ENARRATIO ARTIC. HVIVS VIII.

CONSIDERATIO I.

¶Etiámnum solicita circunlustras vndique cuncta, neque dū finē aliquam cōtēplationis tuæ facis, anima mea? quid igitur vides? quídve intenta adeò miraris? Et video, inquit illa, & miror deum vbiq; gloriā magnā, insignem splēdorē, summam magnificentiā exhibere circa humanitatem Christi: quā & si contemptum magnum, multa supplicia & horrendas sustinere permisit passiones, subinde tamen in omnibus illis plurima concomitata est præclarę gloriæ diuiniq; honoris declaratio. Ecce enī in horto attoniti omnes in terram velut fulmine icti considunt Iudæi. Malcho auris restituitur, innocens vbiq; & innoxius ipse pronunciatur ab omnibus, rex Iudęorum inuitis, scribitur, Iudęis, ipseq; magna voce, & (vt Paulus ait) clamore valido spiritum emittit. Sic nunc quoq; (id enim iam video & stupeo) ab optimis quibúsq; sepeliendum poscitur à Pilato corpus domini mei Iesu Christi. laudatur ob id Iosephus hîc ab euangelista, quoniā & diues fuerit, & nobilis & decurio, & pius. quia Christi discipulus & timens deum. Venit ergo ab Arimathia oppido Iudæ, quod olī fuerat Helchanæ patris Samuelis, distabátq; tribus pene miliarib⁹ Germanicis à Hierusalē. Venit is ad Pilatum, petens sibi dari corpus Christi sepeliēdū.

Ioseph.

Hieron.

¶Verùm quid obsecro etiā hoc cernis? aut quomodo illud videre potes anima mea, dum gradibus meditatoriis dominicæ passionis insistis? & tamen hoc honestū fuit Christo, puta à sanctis hominibus exhibitum pietatis officiū Quāuis id ita sit, inquit anima, nescio tamē quomodo miserabile habetur, corpus illud sanctissimum de cruce depositum, instar cadaueris alteri⁹, hinc inde poni & deportari, vtut benedictum illud corpus Christi, ab omnis corruptionis contagione immune præseruatum sit, propter vnionē diuinitatis, adeò etiam vt forma cadaueris ad ipsum nō pertigerit.

¶Et quanuis non persenserit hoc Christus iã tunc demortuus, quantũ tamẽ doloris inde sibi maternũ cor concepit? Imo quàm piè & sanctè credendum est, Mariam illum in sinum suum acceptum tunc exosculatam & amplexam esse, atque vndique vulnera ejus contemplatam, qui sanè ei dolor fuit maximus. O quãtum lachrymarum profudisti, sanctissima mater! quot edidisti suspiria! quantũ luctus & gemitus coram demortuo exhibuisti corpore! quàm profusis fletibus irrigasti mẽbra illius! quàm vero intortis manibus animi tui dolorem significasti! quot, quibus & quãtis eiulatibus præmissis, vix tandem tantum extorsisti vocis, & diceres, O te dulcissimũ filium quàm omnino extinctus es! O spes, ô gaudium meum, quàm es in omnem tristitiam versum! O vita mea, quàm ignominiosam subisti mortem! O igitur fili charissime, quare sic me post te dereliquisti! Aut cur non & ego tecũ morior! Aut vbi tuæ excellens ille radius est diuinitatis? Quid ita iaces concussus? Porrò cum iã Ioseph & Nicodemus sepulturam pararent, quilibet apud se cogitet, quidnam Maria tunc secum cogitarit, quę lamẽta profuderit. Quanuis ad extremum illa quoque consenseri voluntati diuinæ, neque ab illa diuersum quicquam voluerit, vt impleretur prophetia, quæ habebat, Et erit sepulchrum eius gloriosum. Dixit ergo, Fiat domine deus meus voluntas in me tua, & nõ sicut ego volo. Quis verò dubitet Mariam Magdalenam hîc quoque in summo luctu pedes domini exosculatam, ad quos iam antè in vita sua sedulò iacuerat? *Esa. 11.* *Luc. 7.*

¶LVBET HIC SVPER PLANCTV MARIÆ CARMEN ASCRIBERE, QVOD puer Italus Adriano pontifici obtulit: & secretarius suus Hetzius mihi illius copiam fecit.

Ah mater, non iam mater, sed flentis & orba.
Infœlix simulacrum, & functi corporis vmbra.
Ante crucem disciſſa genas, laniata capillum,
Stat lachrymans, tristique irrorat pectora fletu.
Inspectánsque sui demum morientia nati
Lumina, crudeles terras, crudelia dicit
Sidera, crudelem sese, quòd talia cernat
Vulnera, sæpe vocat. tum lucti sono vlulatu

QVOMODO IN CRVCE QVOQVE IAM PENDENS, MVLTIS MODIS irrisus sit dominus, & quæ præterea circa crucem illius contigerint.

ARTICVLVS VI.

CONTEXTVS EVANGELICVS.

Postquam autem crucifixerunt eum, acceperunt milites vestimenta eius, facientes quatuor partes, vnicuique militi partem. Erat autem tunica inconsutilis contexta desuper. Dixerunt ergo ad inuicem, Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. vt scriptura impleretur, dicens, Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt: & sedentes seruabant eum. Scripsit autem & titulum causæ eius Pilatus, & posuit super crucem: Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorũ legerunt: quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus. & erat scriptum Hebraicè, Græcè & Latinè. Dicebant ergo Pilato põtifices Iudæorum, Noli scribere rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi Et prætereuntes blasphemauerũt, mouentes capita sua, & dicentes, Vah, qui destrais templum dei, & in tribus diebus reædificas, salua temetipsum. Similiter & summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum scribis dicebant, Si tu es Christus rex Israël, descendas nunc de cruce, & credimus tibi. Vnus autem qui pendebant ex latronibus, blasphemabat eum dicẽs, Si tu es Christus saluum fac teipsum, & nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicens, Neque tu times deum, qui in eadem damnatione es? & nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum, Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Cum vidisset ergo Iesus matrem & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ, Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. A sexta autem hora tenebræ factæ super vniuersam terram vsque ad horam nonam, & sol obscuratus est.

EXPOSITIO ARTICVLI HVIVS VI.

CONSIDERATIO I.

¶Quid verò iam hîc conspicis anima mea, in hac ipsa graduũ piæ cōtēplationis summitate? Quò altius, inquit, ascēdo, hoc plus doloris tũ ipsa mihi concipio, tum in deo creatore meo intueor misera. Et tamē inter cætera quoddā hic video, quò merito totus gaudeat Christianismus, titulũ illũ triumphalē crucis Christi, à Pilato descriptũ, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Scripsit hunc quidē titulum Pilatus, vt se Romanæ conformaret consuetudini: & tamen nihilò interim minus in corde illius virtus operabatur diuina, quanuis idipsum & latebat. Chrysostom⁹ refert Pilatũ scripsisse titulum hunc, tum vt Iudæos vlcisceretur, tum vt Christum excusaret: quia tanquā trophæo cuipiam literas insculpsit, clara voce & victoriā & regnũ profitentes. Hoc illud nobilem est vitæ nostræ chirographũ, hoc insigne & pręclarũ Iesu Christi vexillum, hic ille color, quo gaudere debent omnes aulici illi⁹: hoc præsidiũ firmũ aduersus omnes insidias diaboli, & quæ aliâs ingruere solent pericula. Quid enim dicas vel manè è lecto surgēs, vel serò cubitũ abiens, quod magis te iuuet, & confirmet animũ tuũ in bono, nisi hac ipsa tituli inscriptione, simúlq; frontē locúmq; cordis crucis figura signes? Titulus iste vnicuiq; Christiano qui ipsum dicit vel defert bona credulitate, valet cōtra omnes insultus diaboli, quod quidam qui ex reuelatione illud habuerunt, constanter asserunt Titulus iste hodie vicit, triumphauítq; aduersus pontifices & primores Iudæorum, qui ideo etiam mutari illum volebant Et quāuis iniquus erat Pilatus, titulus tñ iste triumphat: vnde pia & sancta illa cōsuetudo fluxit, vt quidā crucis signo se cōsignātes, sic orent: Iesus Nazarenus rex Iudæorũ, titulus triumphalis defendat nos ab omnibus malis: Sācte de⁹, sancte fortis, sancte & immortalis deus, miserere nobis. Neq; temerè titulus hic tribus pręcipuis descript⁹ erat linguis, Latina, Gręca & Hebræa: quoniam ex omniũ nationum & gentiũ linguis aliqui essent ad Christi fidē peruenturi, sic in tribus iis linguis sancta celebrātur peraguntúrque missarũ solēnia. Verùm titulus hic licet membranæ fuerit inscriptus, tabulæ tamē deinceps illius est ex oliua, & cruci impositus. Nec est quod putes crucem hanc Christi sic fabricatam esse, vt supra caput truncus

Remyg.

Chrysost.

Prudētius in hymnis

Gerson.

Remig. extaret eminentior tranſuerſo, ſed huiuſmodi fuit, vt capiti Chriſti nihil eſſet quod ſuſtineri fulciríq; potuiſſet, iuxta il-
Mat.8. lud quod prædixerat, Vulpes foueas habẽt, & volucres cæli nidos, filius aũt hominis nõ habet vbi caput ſuum reclinet.

PARTICVLA SEV CONSIDERATIO II.

¶Quid autem eſt, ô anima mea, quod hîc dolorẽ Chriſto magnũ adeò conciliauit, túq; adeò id in hoc gradu es conſpicata? Contemptus, inquit, quẽ paſſus eſt à miniſtris pontificũ & ſenioribus plebis, ipſóq; etiã latrone peſſimo. Diabolus nãque inſpirabat Iudæis, vt dicerent. Si filius dei es, deſcende de cruce, & credimus in te. Oſtẽdebãt per hoc & declarabant filios ſe eſſe diaboli, ſicut eis antè ꝑdixerat dominus: quem conſimili planè modo in deſerto diabolus tẽtauerat, dicẽs illi, Si fili⁹ dei es, dic vt lapides iſti panes fiãt. Neq; parum coniecturã dæmonis de Chriſto vero Meſſia, augebat inſignis illa exultantiũ in limbo patrũ lætitia. Noluit aũt deſcẽdere de cruce dominus, quin potius opus perficere voluit humanę redemptionis: quin multò maioribus ſignis & miraculis hactenus eos conuertere non potuit. Fraudulenta enim hæc fuit promiſſio, quia quod horũ maius eſt, de cruce adhuc deſcendere viuentẽ, an de ſepulchro mortuum reſurgere? reſurrexit ille & tamen ô iniquiſſimi Iudæi, non credidiſtis: ergo etiam ſi de cruce deſcenderet,
Hierony. non crederetis. Sed mihi, inquit deinceps Hieronymus, videntur hoc dæmones immittere. Statim enim vt crucifixus ęſt dominus, ſenſerunt virtutẽ crucis: & intellexerũt fractas eſſe vires ſuas, vnde hoc agunt, vt de cruce deſcẽdat. Maior tamen adhuc cõtẽptus Chriſto fuit, quòd eũ latro perditus quoq; probris inceſſuit, qui vitæ largitor erat: dixitque, Si tu es Chriſtus, ſalua temetipſum & nos. Sed tu maximum illud duorum latronum diſcrimen cõſidera: in vno ſcelere ambo erãt: latro fuerat vterq;, in vno ſupplicio ambo, quia crucifixus vterque, vterque iuxta vicin⁹ Chriſto, neuter ab eo erat remotior. Alter tamen Chriſtum ecce cõtemnit, & damnatur: veniã alter petit, & ſaluatur. Pulchrum eſt quod ſuper hoc Hieronymus ait, Chriſtus in paradiſum de cruce
Hierony. etiam latronem tulit. & ne quis aliquando ſeram cõuerſionem putaret, fecit homicidij pœnam, martyrium: latro hic ſuſpenſus erat in cruce manibus pedibúſq; pẽdebat affixus. præter cor & linguam liberũ nihil habebat, vtrunque tamẽ

illud

illud membrũ per gratiã dei totũ impendit & obtulit Christo,& latronẽ alterũ corruit,& ad christũ sic dixit, Domine,memento mei cũ veneris in regnũ tuum Vincentius ait vmbrã corporis christi tetigisse hũc ipsum à dextris pendentem latronẽ. Sic itaq; dominus latroni regnũ, crucifixo cælum,dãnato paradisum ꝓmisit & tribuit. Latro hic & homicida erat,& crucifixus,& ad mortẽ damnatus:illi tamen regnum,cælum & paradisum nõ negauit dominus,plus ei cõferẽs quã petierat. Ecce hîc,charissimi,feudalia sua hoc modo confert dominus,sicut rex in maiestate sua:vt sic nec temerè,nec frustra Pilatus in titulo Christũ regem inscripserit Iudæorũ. Primáq; adeò hæc in Christo fuit regiæ dignitatis suæ declaratio,dum latroni confert feudum paradisi. *Vincẽtius*

CONSIDERATIO III.

¶ O domine Iesu Christe,inquit anima fidelis, quid hîc tu doloris,quantum tristitiæ & mœroris habuisti iam conspicatus sub cruce stante virginẽ matrem,nõ ignorans vtique afflictionem & miserandã materni pectoris passionẽ? quia omnia quæ tu passus es in corpore,illa pertulit in corde:& quamuis in partu tanto perfusa est gaudio,vt nullã illius senserit acerbitatem:tamen omnis ille dolor iam hîc ei conduplicatus est,adeò vt si vnquã vlla præ mœrore & doloris grauitate mortua est mulier, quid mirum si Maria in tãto dolore deficiens fuisset mortua, nisi peculiari quadam virtute desuper ei collata suffulta esset? Heri pedibus ingressa fuit iam inde à Bethania vsque,totam egerat integrã noctem peruigil,hinc inde cursitando circumlustrans,quid de filio suo dulcissimo fieret, neque dum manducauerat quicquam. Sic ergo dicit textus, Stabat iuxta crucem Maria mater Iesu. Non corruit neque concidit in terrã prona,sed stabat, quia floribus optimarum fulcita erat virtutũ, subinde per Gabrielem confirmata,dicentẽ sibi, Non est quod metuas Maria,tertia enim die resurget filius tuus,túncque immensum concipies gaudium. Insuper diuina virtute & gratia sustentata est. Neque suspicandum puta,illam vel indecenti clamore, vel importunis gestibus animi sui mœrorẽ declarasse,cõstans fuit & firma,magnáque misericordia sic voluit per filiũ suum vniuersum redimi genus humanũ. Verùm illud Christi verbũ,intima cordis sui viscera pertrãsiit, quando dixit, Mulier ecce filius tuus. Constans doctorum *Canti.2.* *Luc.1.*

KK

sentētia est, christū honorificè semper matrē suam salutasse, Sed quòd hîc matrem nō appellauit, Gerson & Lyra factum putant, vt illi parceret, quā si materno cōpellasset nomine, cor ei disrumpi poterat. Ait ergo, Mulier, ecce filius tuus. hoc dicto, Ioannem ipsi cōmendare volens & tradere O mutationē miserabilē! pro cōditore ei dat creaturā, pro deo hominē, pro filio proprio amicū, pro magistro discipulum, pro præceptore cōmendat piscatorē! Quid ni dixerit tunc illud Iob, Versa est cithara mea in luctū? Quicquid in vniuersum gaudij habuit in angelica annunciatione, in cōceptione filij dei, in natiuitate eiusdē, id omne in mœrorē iam mihi vertitur, luctū & dolorē. Deinceps quoq; Ioanni dixit, Ecce mater tua. En testamētū quod in ara crucis fecit dominus, quo, puisum matri suę voluit: quò nos admonuit sedulā parentū nostrorū curam habere, vt prospectum sit illis. Constituta igitur in tanta cōpassione Maria, potuit vtique recordari illius quod ei prædixerat Simeon, Et tuā ipsius animam pertrāsibit gladius doloris. Atque quid mirū, si inter continua suspiria perpetuósq; gemitus cor illius assidua palpitatione pene defecit, facie tota lachrymis madente, voce cōfracta, oculísque iam penitusperturbatis? An nō tacita secū cogitarit ipsa? O fili dulcissime, aperi benedictum & sanctissimū os tuum, verbum benignum eloquere mihi. Quàm decuit autē, vt gloriam tātam quam nunc præ omnib' creaturis longè maximā habet Maria, tam honestè promereretur & acquireret? Ac si quidē dilectissimam suam matrem, virginem virgini cōmendauit Ioanni. Vnde & honorifica & venerabilis trium horum omnium mentio est, Iesus, Maria, Ioannes, súntque ea in quacunque necessitate præ omnibus inuocanda. In omnibus membris suis passus est, vt omnia peccata tua aboleret Quòd si ob magnitudinem & multitudinem peccatorum tuorū Christum accedere nō audes, age Mariam implora & Ioannē: animam tuā, corpus tuum, téque adeò totum & omnia tua cōmitte Mariæ & Ioanni, sicut Christus Mariam Ioanni commēdauit, Ioannem Mariæ. Quòd si tu fide recta, bonáq; feceris mēte, non te mater illa omnis gratiæ & misericordiæ, fons pietatis, deseret. Quilibet hîc consideret, quomodo sol & luna clarissima mundi luminaria obscuratione sua cōdoluerint domino, cuius miserti non sunt durissimi Iudæi. Eclipsim

Gerson. *Lyra.* *Augu.* *Chrysost.* *Iob 3.* *Luca 2.* *Hierony.*

hanc, vt erat miraculosa, vidit Dionysius adhuc Gentilis, & agnouit eam naturalem non esse. ideóque dixit, Aut naturę deus patitur, aut mundi machina dissoluetur, deinde cóuersus ille à Paulo, fidei Christianę factus est ꝓpugnator acerrimus. Hæc omnia in gloriam Christi sanctissimæq; virginis honorem meditantes, clamemus ad dominum, oremúsque dicentes, O benignissime domine Iesu Christe, qui in cruce pendens matrem tuam Ioanni cōmendasti, commenda nos quęsumus matri tuę in perpetua custodia, vt tecū sicut latro in paradiso mereamur sine fine gaudere, Amen. *Dionysi°. Act. 14 Oratio.*

¶QVOMODO IN CRVCE MORTVVS DOMINVS, ET QVÆ MORtem illius sequuta sint miracula, simul ac lateris eius apertione.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

TEXTVS EVANGELISTARVM.

ET circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicēs, Eli, Eli, lama sabatani, quod est interpretatum, Deus meus, deus meus, vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant, Eliam vocat iste. Postea sciens Iesus quia iam omnia consummata sunt, vt impleretur scriptura, dicit, Sitio. Vas autem erat positum aceto plenum: & continuò currens vnus ex eis, acceptum spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cùm ergo accepisset Iesus acetum, dixit, Consummatum est. Cæteri verò dicebant, Sine, videamus an veniat Elias, liberans eum. Iesus autem iterum voce magna ait, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato capite, tradidit spiritum. Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum: & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt: & exeuntes de monumentis, post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu & his quæ fiebāt, timuerunt valde dicentes, Verè filius dei erat iste. Et omnis turba eorū qui simul aderāt ad spectaculū istud, & videbāt quæ fiebāt, percutientes pectora sua, reuertebantur. Iudæi ergo, quoniam parasceue erat, (erat enim magnus dies ille sabbati) rogauerūt Pilatum, vt fran-

gererentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primò quidem fregerũt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo ad Iesum autem cùm venissent, vt eum viderunt iam mortuum, non fregerunt eius crura: sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verũ est testimonium eius: & ille scit quia vera dicit, vt & vos credatis. Facta

Exo.12. *enim sunt hæc, vt scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Et*

Zach.12. *iterum alia scriptura dicit, Videbunt in quem transfixerunt.*

EXPLICATIO HVIVS VII. ARTICV.

PARTICVLA SEV CONSIDERATIO PRIMA.

¶ Verùm quid hîc vides anima mea? Video, inquit sensualitatẽ iam in Christo pene cõtabescẽtẽ deficere ex amarissimis suppliciis, quorũ hacten⁹ finis nullus est. Rationẽ quoque audio in Christo pro sensualitate orare ad deũ, & summis ardentissimísq; votis inclamare, Deus meus, deus me⁹, vt quid dereliquisti me? Nõ est quod hîc vel cogitet secum, vel suspicetur quisquã, deũ ipsum etiam rationẽ in Christo dereliquisse. Sed doctores sãcti, quicquid id est, exponũt in hũc modũ, Quia enim virtus spirit⁹ & rationis se diffundit in corpus, eiusmodi hîc effusio virtutis à deo patre erat corpori Christi subtracta. Quò factũ est, vt quocũque tãdẽ furore Christũ tractarent Iudæi, non impedirentur in illo per assistentẽ rationem. Aliter autem cõtigit in virgine Maria, quã quotiescũq; aspiciebãt Iudæi, tam fauorabilis & iucundissimus quidã radius exhibat è facie eius, vt nõ possẽt isti furore suo præualere in illã, eò quòd virtutes animę emanabant & redũdabãt in corpus. Similiter in aliis quoq; sãctis sensualitas cõsolationẽ & confortationẽ habuit à virtutib⁹ ex anima diffusis, vti in S. Laurentio, Agnete & aliis liquet.

August. Verũ singulari quadã dispensatione dei, sensualitas huiusmodi in Christo derelicta est, nõ habẽs solatiũ aliquod ex virtutibus animę, iam tũc quoq; nõ redũdante gaudio à superiori portione rationis in illã: quia nõ tãta audacia & temeritate cũ Christo agere omnia potuissent Iudęi, si ex vultu Christi radius exisset, qui eos à furore eorũ deterruisset:

Matt. 21 sicut antè quũ è templo ipsos pelleret, aliásq; sępius factum

Ioan. 2. legitur, vbi influxus spiritualis Christo subtractus nõ erat.

¶ Et ideo passio Christi supra modũ omnibus omnium sanctorum suppliciis maior fuit, quod illi influxu isto & cõso-

latione destituti nō sunt. Et hîc ille clamor rationis in Christo fuit ad deum, Deus meus, de⁹ meus, vt quid dereliquisti me? Sācti autē ratione sensualitatis suæ, in qua patiebātur, geminam habuêre consolationem: alteram ex ratione virtutibúsq; suis, alteram à deo. sic Laurentius carbones rosas & rorem esse putabat. Verùm sensualitas Christi cōsolationem hanc priorem non habuit, alteram tantùm ex deo, qui Christū cōfortabat ad ista sustinenda supplicia, nō etiā cōsolabatur. Ita igitur sensualitatis nomine deum rogabat ratio in Christo. Cōmunis autem sanctorum patrum expositio est, quod nō secus tam dira filiū suum pati supplicia permisit deus, atque si dereliquisset eum, quamobrē & Gerson dicit preciosum Christi corpus, velut lampada fuisse extinctam & absconsam, Mariā verò sicut lampadē vitream, quæ per interiorem relucet claritatem. Tamen in hoc docemur, in omni necessitate & afflictione nostra cōfugere ad deum. *Gerson.*

¶ Expende etiā homo, quo pacto hîc Christus defatigatus & continuis lassatus suppliciis, tantum non defecerit: quomodo vigilia perpetùa, ieiuniis quoque & siti emaceratus fuerit. Et quāuis re vera multùm sitiret iam Christus, satiaríque & refici cuperet secundū sensualitatem: maiorem tamē sitim in oratione habebat de salute vniuersi generis humani. Quid multa? de nostra siti sitim ipse sibi cōceperat, vt & nos quoq; sitiremus ad fontē gratiæ viuū. Sed quod deinceps ait, Consummatū est, non ad acetum referendum erit, quoniā paucissima in cruce loquutus est dominus, & ea tantùm quę multū grauitatis habebant. Quādo ergo dixit, Cōsummatū est, tantundē est atq; si dixisset. Hæc omniū summa est, hic exitus, facta transactáque iam sunt omnia impleta etiam quæcunque de me prædixerant ꝓphetæ, opus obedientiæ quod assumpserā perfeci. Cōsummatū iam opus est totius meæ passionis. Illud ego tibi dn̄e pater cœlestis offero ꝓ peccatis & salute generis humani. Sic ergo intelligēdum est, quomodo christus omnia esse cōsummata dixerit.

CONSIDERATIO II.

¶ Quid hîc obsecro vides amplius, animula mea! Ah video simúlq; iam audio dominū nostrū Iesum Christum, elata sublimíq; voce cū clamore valido spiritū suū tradere inq; patris manus cōmendare dicendo, Pater, in manus tuas cōmendo spiritū meū Hieronym⁹ hîc putat eum Psalmū hūc *Hieron.*

Psal. 21. totũ peroraſſe, Deus deus me⁹, reſpice in me, Ait enĩ, Hoc verſiculo dominus in cruce pendẽs vſus eſt: ex quo animad uertimus, totũ pſalmũ à domino in cruce poſitũ decantatũ. Alij exiſtimãt eũ oraſſe pſalmũ, In te domine ſperaui: cũq; perueniſſet ad hũc vltimum verſum, clamaſſe, Pater, in manus tuas cõmẽdo ſpiritum meum Eſtq; hoc inſigne ſolatiũ Chriſtianis omnibus: quia ante Chriſti mortẽ non poterat quiſquã in manu patris cõmendare animã ſuam, ſed deſcẽdẽtibus in limbũ & tenebras omnib⁹, poterãt fortè in ſinũ
Luc. 16. Abrahæ cõmendare animã ſuã, ſicut Lazarus. Nunc verò animæ iuſtorum aſcendunt ad deum in virtute huius verbi
Sap. 3. Chriſti, Pater, in manus tuas comendo ſpiritũ meum. ſunt animæ iuſtorũ in manu dei, vt teſtatur Sapiens. Sint igitur hæc nobis verba Chriſti memoriale perpetuũ, velut à chariſſimo amico nobis relictũ. Poſtremũ etenim ea loquutus eſt domin⁹, vt & nos ſemper illa in memoria habẽtes, quotidie clamemus ad dominũ. Pater, in manus tuas commẽdo ſpiritũ meũ. Cùm manè ſurgis, ſigno crucis te cõſigna, ſanctiſſima hæc tria nomina exprime, Ieſus, Maria, Ioãnes: adde inſuper ex Pſalmo hoc Chriſti verbum, Pater, in manus tuas cõmẽdo ſpiritũ meum, redemiſti enim tu me domine
Ioan. 10. deus veritatis. Notãter autẽ dicit Euãgelium, & emiſit ſpi-
Augu. ritum: quia poteſtatẽ habuit ponere animã ſuam, & iterum ſumere eã: neq; etiã mori coactus eſt, neq; inuitus, ſed vltrò mortu⁹ eſt. Id declarare volẽs, cũ clamore valido expirauit.
Gloſſa. ¶ Nos autẽ cum nulla voce, vt habet Gloſſa, vel cũ ima morimur, qui de terra ſumus: ille verò cum exaltata voce expirauit, qui de cœlo deſcenderat. Clamans quidẽ, ſuã declarauit deitatẽ: flens & lachrymans, hominẽ ſe eſſe teſtatus eſt. Notabile eſt quoq; eadẽ qua paradiſo Adam peccauit hora, meridiana, ſcilicet, Chriſtũ eſſe demortuum, & ſic vna & eadẽ hora qua mors in mundũ itruperat, etiã deſtrueretur. Quã doloroſa & mœſta quoq; Chriſto fuerit mors ſua, vel hinc colligi poteſt: quia enim mors terribiliũ omniũ longè maximè terribile eſt, vt teſtatur Ariſtoteles, quid tandẽ de omniũ nobiliſſima anima chriſti vel cogitari poteſt, cũ iã à corpore ſanctiſſimo, cui vnita erat diuinitas, ſeparari debe-
2. Cor. 5. ret? Paulus quoq; dixit, Nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur qđ mortale eſt à vita. Quãtò plus dolorũ
Hebr. 5. habuit anima chriſti, cũ eſſet iã derelictura corp⁹? ideoq; cũ

lachrymis & clamore valido mori volens,exaudiri quoque meruit pro sua reuerentia. Et ô vocē magnam atq; prçualidam,quæ cælū terrámq; cōmouit, quæ totū penetrauit orbē ad ima tartari vsq;! O preciosam Christi mortē,cui creaturæ omnes cōpassç cōdoluerūt! O mortē præclarā,quæ vitam & salutē attulit mūdo? O efficacē,ô potentissimā mortē,quç vno morsu vtrinq; momordit inferos, limbū cōfregit,vinctos eripuit,purgatoriū euacuauit! Quòd præuidēs ꝓpheta,in ꝑsona Christi dixit,ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero,inferne. Quis enim vel dubitet vel recuset credere,Christum aduētu suo lætissimo iis q in pugatorio detinebantur,plenā dedisse peccatorū remissionē, pœnçq; totius immunitatē? sicut cū rex regnū occupatur⁹ aduenit,captiui omnes,qui modò regno insidiati non sint,nec contra illud bella mouerint,dimitti solēt. Quia igitur in purgatorio erant amici dei,decebat,vt adueniente rege Christo, & ipsi ex carcere & vinculis pœnarum dimitterentur,abire. *Osee 13.*

CONSIDERATIO III.

¶Quid insuper hîc vides,anima mea? Admirāda, inquit, & stupenda miracula cerno, quæ Christi mortem sunt consequuta,& quomodo creaturç omnes conditori sui compatiūtur. O te infelicē,& miserrimum peccatorem,qui adhuc in cœno & luto vitiorum delitescis,non te supplicia dei tui tanta,non vulnera,non sanguinis effusio,non acerbissimæ mouerunt pœnæ! petrç saltem durissimæ te emolliāt, scissç, scilicet,ruptum velū,creaturç cæterç permoueant. Quantò autē magis quàm illæ, tu qui rationē habes, qui intellectū & voluntatem à deo suscepisti,Christo domino patienti cōpati debes? Scinde velamē pectoris tui, velamen rumpe inscitiç & negligentiç. O te negligentem,ô immemorē! neq; cogitantem qua sorte censearis, quantis teipsum priues bonis? scinde velamē, & aspice sanctum illum sanctorum omnium,dominū deum tuum: ora eum,quatenus te illuminet cogitatione peccatorū tuorum & bonorū omnium. In tres siquidē partes diuisum erat templū,sicut in Exodo legitur, velamen quoq; in eo gemnum erat, alterum inter sanctuarium & sancta sanctorum, ibiq; arca stabat: alterum in ipso templi ingressu. Vtrunq; autem ruptū est, ad designandum, ex sententia doctorum, quoniā mors Christi veritatem attulerit eorū,quç in veteri testamento sub extēso figurarum *Exod. 26*

1 Cor. 10 velamine latuerant siquidem verũ est illud Pauli, quod omnia in figura contigerint illis. Ecce igitur aperi oculos tuos peccator, & vide quia veritas adest. contremisce & tu terra ab ira iusti iudicis, quam exercebit in die nouissimo. An ne petris durior es tu? an & terra grauior, obscurior velo? Expergiscere ô peccator, expergiscere inquam, scinde petram cordis tui, rumpe velũ pectoris, diffinde duritiem animi tui malleo charitatis & dilectionis Christi, qui tanta passus est pro te, scinde cor tuũ, contende & emolli ipsum super incude pœnitẽtiæ: aperi sepulchrum tuum peccatorum fœtidũ, sepulchrum cõscientiæ per confessionem integrã, vt sic spiritus tuus in peccatis sepultus, aliquãdo resurgat per gratiã dei & virtutem passionis Christi: sicq; tandem perueniat in ciuitatem sanctam Hierusalẽ, in vitam æternam: quoniam sola hac via adipisci poteris vel guttulam aliquã preciosissimi sanguinis domini nostri Iesu Christi, vt sic ab omnibus peccatis tuis resurgas. Vtrum autem mortui isti, qui simul cum Christo resurrexerunt, corpore pariter & anima cum Christo ascenderint in cælum quoq;, nullum extat certum

August. scripturæ sanctæ testimonium. & quia in hoc Augustinus,

Hieron. cum Hieronymo non cõuenit, nos quoq; missum facimus.

CONSIDERATIO. IIII.

¶ Verũ quid hîc insuper vides, mea animula, super eundem hũc piæ contẽplationis gradũ cõstituta? Horrendũ, inquit, video spectaculũ demortui iã domini latus lancea video aperiri, atq; inde largiter sanguinis & aquę fluẽta effundi. Fecit hoc Lõginus, volẽs sic gratificari Iudæis, qui hoc modo

Theoph. certi esse volebant de morte Christi, vt inquit Theoph. Inde verus sanguis emanauit & aqua. Inde militantis ecclesiæ mysteria nata sunt. Ecce enim quam vigilãti verbo vsus est euãgelista, vt nõ diceret, latus eius percussit aut vulnerauit, aut quid aliud: sed aperuit, vt illic quodãmodo vitæ ostium pãderetur, vnde sacramẽta ecclesiæ manauerũt, sine quibus ad vitã, quæ vera vita est, non intratur. Et sicut Eua sumpta est ex latere primi Adam in paradiso, sic ecclesia veluti creuit natáque est ex latere secũdi Adam Iesu Christi in cruce. Neq; sacramentis tantùm virtutem suam attulit sanguis ille, sed idipsum quoq; antea malè videntẽ sanauit Longinũ, non ignarum vtiq; corpus Christi, si exanime foret & mor-

Augu. tuum, exangue etiã esse. Quid quod Augu. refert, aqua quæ

fluxit è latere Christi, baptizatum esse latronem alterum, quoniã ad corpus eius guttulæ aliquot aspersæ pertigerint? ¶ Quæres autem, quomodo hæc lateris apertio fuerit Christo dolorosa iã demortuo. Dico illam variis modis à nobis intelligi posse: & primùm quidem quoad Iudæos, quorum vesanus furor tot Christo illatis suppliciis satiatus nondum erat, nisi insuper mortuum transfoderent. 2 Quæ mortuis infertur cõtumelia, vergit & in viuos, vt si quis vel sub furca sepeliatur, vel mortuus comburatur, vel rotæ iniiciatur.

3 Quicquid semel assumpsit deus, nunquam dimisit filius dei, sicut in incarnatione sua corpus assumpsit & animam: ita in morte neutrum deseruit: & corpus quidē illud Christi, quando etiam mortuum, adhuc tamē vnitũ fuit deitati, maior fuit ista Christo illata contumelia confosso latere.

4 Virgini verò Marię insignis ista fuit ignominia, ita vt quamuis sensu iã carēs, nõ senserit illud Corpus Christi sanctissimum, tamē deum immortalē quàm acriter sensit hoc Maria, adeò vt eadem lancea quæ latus Christi aperuit, in compassione pectus etiã traiecerit Marię. Et nos igitur dilectissimi cõtemptum hũc saluatoris nostri, amarissimámq; passionem & mortem recogitantes, dicamus, O domine Iesu Christe, qui iam moriturus spiritum tuũ in manus patris cõmendasti, suscipe quæsumus & spiritũ nostrũ tēpore mortis nostræ, ne suppliciis mortis deputemur æternæ, Amen.

¶DE SEPVLTVRA CRISTI, ET SEPVLCRI CVSTODIA.

ARTICVLVS OCTAVVS.

CONTEXTVS EVANGELICVS.

ET cùm iam serò esset factum, venit quidam homo diues & nobilis decurio ab Arimathia, Ioseph nomine, vir bonus & iustus, eò quòd esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum, qui expectabat & ipse regnum dei, nec consenserat consilio & actibus eorũ. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu, Pilatus autem mirabatur si iam obiisset: & cùm cognouisset Pilatus, iussit reddi corpus. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centum. Acceperunt autem corpus Iesu & ligauerunt linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat, Ibi ergo propter parasceuem Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt

¶Et quanuis non persenserit hoc Christus iã tunc demortuus, quantũ tamẽ doloris inde sibi maternũ cor concepit? [illegible] quàm piè & sanctè credendum est, Mariam illum in sinum suum acceptum tunc exosculatam & amplexam esse, atque vndique vulnera eius contemplatam, qui sanè ei dolor fuit maximus. O quãtum lachrymarum profudisti, sanctissima mater! quot edidisti suspiria! quantũ luctus & gemitus coram demortuo exhibuisti corpore! quàm profusis fletibus irrigasti mẽbra illius! quàm vero intortis manibus animi tui dolorem significasti! quot, quibus & quãtis eiulatibus præmissis, vix tandem tantum extorsisti vocis, & diceres, O te dulcissimũ filium quàm omnino extinctus es! O spes, ô gaudium meum, quàm es in omnem tristitiam versum! O vita mea, quàm ignominiosam subisti mortem! O igitur fili charissime, quare sic me post te dereliquisti! Aut cur non & ego tecũ morior! Aut vbi tuæ excellens ille radius est diuinitatis? Quid ita iaces concussus? Porrò cum iã Ioseph & Nicodemus sepulturam pararent, quilibet apud se cogitet, quidnam Maria tunc secum cogitarit, quę lamẽta profuderit. Quanuis ad extremum illa quoque consenseri voluntati diuinæ, neque ab illa diuersum quicquam voluerit, vt impleretur prophetia, quæ habebat, Et erit sepulchrum eius gloriosum. Dixit ergo, Fiat domine deus meus voluntas in me tua, & nõ sicut ego volo. Quis verò dubitet Mariam Magdalenam hîc quoque in summo luctu pedes domini exosculatam, ad quos iam antè in vita sua sedulò iacuerat? *Esa. 11.* *Luc. 7.*

¶LVBET HIC SVPER PLANCTV MARIÆ CARMEN ASCRIBERE, QVOD puer Italus Adriano pontifici obtulit: & secretarius suus Hetzius mihi illius copiam fecit.

Ah mater, non iam mater, sed flentis & orba.
Infœlix simulacrum, & functi corporis vmbra.
Ante crucem disciſſa genas, laniata capillum,
Stat lachrymans, tristique irrorat pectora fletu.
Inspectánsque sui demum morientia nati
Lumina, crudeles terras, crudelia dicit
Sidera, crudelem sese, quòd talia cernat
Vulnera, sæpe vocat. tum lucti sono vlulatu

Cuncta replens, singultatim sic ingemit ore,
Ingemit, & duro figit simul oscula ligno.
Heu quis me miseram, exclamat, quis culmine tanto
Deiectam, subitis inuoluit, nate, procellis?
Nate, patris virtus, sanguis meus, vnde repente
Hæc fera tempestas? quis te mihi liuor ademit?
Quæ manus indigno fœdauit sanguine vultus?
Cui tantùm in superos licuit? bella impia cœlo
Quis mouet? hunc ego te post tot malè cauta labores
Aspicio? túne illa tuæ lux vnica matris?
Tune animæ pax & requies spésque vltima nostræ
Sic raperis? sic me solam, exanimémque relinquis?
O dolor, extincto iam te pro fratre sorores,
Pro natis toties exorauêre parentes.
Ast ego pro nato, pro te, dominóque deóque,
Quem misera exorem? quò tristia pectora vertam?
Cui querar? ô meme diræ me perdite dextræ,
Me potius, si qua est pietas, immanibus armis
Obruite, in me omnes consumite pectoris iras,
Vel tu, si tantùm est hominum genus, eripe matrem,
Quæ rogat, & Stygias tecum duc nate sub vmbras.
Ipsa ego te per dura locorum, inamœnáque viuis
Regna sequar. liceat frangentem cernere portas
Æratas, liceat pulchro sudore madentem
Euersorem erebi, materna extergere dextra.

PARTICVLA SEV CONSIDERATIO II.

¶ Adhuc nõ definis, neq; circunlustrare omnia cessas? quid igitur, mea animula, in eodẽ hoc gradu stãs vides? Sãctissimum, inquit. Christi corpus video à Iosepho & Nicodemo in monumẽtũ excisum nouũ deponi. Ex multis hæc quoq; omnibus hominib' cõmunis miseria vna est, quòd nos sepeliri oportet demortuos, sicque in eã, ex qua nati & compacti eramus, terram resolui. Christi aũt corpus quãuis putrefactioni obnoxium non erat, illud tamen Iudęi (quantũ quidẽ in ipsis erat) eò vsq; perduxerant, quòd iã putrescere deberet. Consultò itaq; factum est, illud sepulchro esse re-
Gene. 3 conditũ, vt sic omnis calũniandi Iudęis auferretur occasio, quasi mortuus ille in cruce nõ fuisset. Quia etiamnum hodie sepultura argumento est nobis. Christũ post tot supplicia tãdem esse in cruce demortuum. Quidã hoc etiã mysti-

cè exponens, dicit, Disce hinc quisquis sanctam eucharistiã suscepisti ab altari dominico, inuoluere sanctissimum illud Christi corpus in sindone bene purgatę cõsciētiæ, ipsũmq; colloces in monumento nouo pectoris tui, qđ etiã excisum recẽs sit ligone cõtritionis & pœnitentiæ. Monumẽto huic cordis tui custodis deinceps adhibe, virtutũ & operũ bonorũ studia, ne irruens tentator Christum tibi subripiat, imo vt sic illũ tecum custodias, ne ab ipso relinquaris in æuum.

CONCLVSIO PASSIONIS HVIVS

¶ Simul atque omnia hæc eo quo iam commemorata sunt modo cõtigerunt, quid deinceps sit insecutum, quilibet secum tacitus cõsideret, quomodo nimirum Maria, Ioannes, Martha, Magdalena, aliæq; sanctæ mulieres, quæ dominũ secutæ fuerant à Galilæa, redierint in ciuitatẽ. Oculis mentis suæ quisque cõtempletur, quo pacto loca suppliciorum omnia, omnes vicos demonstret illis, quibus vel afflictus à Iudæis vel locutus eis fuerit. Sic igitur cum eis domũ reuersa, dicto inter se mutuum vale, semet in locũ peculiarẽ abdidit. inde nõ exiuit, nec ad se amisit quẽquã, neq; aliquod vlli hominum verbum fecit, tantũ resurrectionem filij expectauit constanter, certa existens illũ tertia die resurrecturum. Et quis dubitet illam hîc velut raptam spiritu, vitam omnino vixisse contẽplatiuam? Quia si in monte Moyses, *Exod.24* in conuersione sua Paulus, Ioannes tũ in cœna Christi vlti- *Deut.33.* ma, tum in Patmos insula, & alij plerique sæpenumero san- *1. Cor.12* cti dei homines sic rapti sunt, vt viderent mirabilia & my- *Ioan.13* steria dei: piè credendũ est, Mariã quoq; illius gratiæ factã esse participem hîc in terris, & tũc quidem maximè, cùm & tristissima erat, & plurima indigebat consolatione. Planè *Gerson* itaq; succẽsus fuit spiritus virginis in contẽplando profundissima illa mysteria passionis Christi super redemptione generis humani. Considerauit etiam tunc immensam lætitiam & exultationem patrũ iam liberatorũ, quomodo illos fulgentissimo iubare circũfulserit anima Christi, quomodo & ij quoque ipsam benedixerint, quæ digna sola inuẽta esset parere saluatorẽ mũdi. Huiusmodi & plures alias habere potuit cõtemplationes, tantisper dum filius sibi rursus in die resurrectionis apparuit summa cũ gloria & maiestate. Vbi tũc rursus illud dicere potuit, magnificat anima mea dominũ, spiritus quoq; meus exultauit in deo salutari meo

Sed amarissima passio Christi vtiliter ab omnibus conside-
retur,non sine fructu & vtilitate preciosissimi illius sangui
nis effusi. Nos quoque ad dominum deum patrem omni-
potentem clamãtes in orationibus nostris,sic dicamus. Re-
Oratio. spice quæsumus domine deus noster, oculis misericordiæ
tuę super hanc familiam tuam,pro qua dominus noster Ie-
sus Christus non dubitauit manibus tradi nocentum,& cru
cis subire tormẽtum:per eundem Christum dominum no-
sttum,Amen.

PIA ET SANCTA PRECATIO CHRI-
stianissimi Cancellarij Ioan.Gersonis.

¶Iesu vere totius mundi saluator,concede nobis per passio
nis tuæ virtutem,quod & pendere fixi in cruce pœnitentię,
& talem mortificationem concupiscentiæ & vitiorum ha-
bere possimus,quòd spiritus noster se tibi totum dedat per
eleuatam contemplationem & in cęlis conuersationẽ:vtq;
corpus nostrum sepultum sit in pace & tranquillitate, sine
damnabili tentatione passionum: vt reddatur velut immor
tale per abundantiam gratiæ tuę:etsi imperfectè in pręsen-
ti vita,perfectè tamen in resurrectione nostra per gloriam.
quod concedat nobis Iesus Christus per meritũ benedictæ
passionis suæ & gloriosæ resurrectionis suæ,Amen.

PASSIO HÆC INGOLSTADII PRÆ-
dicata est per D. Ioannem Eckium, & per eundem
in hanc formam redacta Anno 1512.dein
ceps translata Anno salutis 1532.
die 28. Octobris.

ALIA PASSIO, SED BREVIOR.

Quæ vtilitas in sanguine meo,dum de-
scendo in corruptionem?Psal.29.

TAm amara fuit passio Christi, vt eã vel exprimere, vel
cogitare satis nec hominis lingua sufficiat,nec anim⁹.
Amarissima enim fuit,si eos qui continuis ipsum suppliciis
affecerunt respicias,quoniã amarulẽtia & odio pleni erant:
neq; dira adeò excogitare potuerũt supplicia,quin ea infer
Ioan.15. re domino modis omnibus elaborarẽt:suũq; sic in ipso ve-
sanũ animũ explerẽt,citra tamẽ omnẽ illius noxã,sicut iam
antè discipulis suis dixerat. Quia viderũt me, atq; oderunt
Psal.34 & me & patrẽ meũ:vt impleretur sermo qui in lege eorum
Damasc. scriptus est. Quoniam odio habuerũt me gratis. ¶Deinde

non minus amara fuit Christo, quando & ipse omnium hominum tenerrimus extitit, corpúsque habuit ex purissimis & sanctissimis sanguinibus virginis coalitũ. Et sic cõplexio illius nobilissima, dolores tantos magis persensit, quàm vllus hominum sensisset: sicut & oculus vel leui ictus bacillo magis offenditur, quàm tergum fuste aut sude contusum. *Rom. 8* Atque hæc omnia, peccator durissime, Christus passus est, non propter se, sed vt sic mederetur cicatricibus & vulneribus peccatorum tuorum. Vsqueadeo vnigenito & proprio filio suo non pepercit deus, quin pro nobis omnibus traderet illum. ¶ Nunc verò peccator attende, quisquis aures habes audiendi, arrige, quæstionem ausculta quam Christus tibi proponit. (quanuis iuxta contextum formet illam deo patri, ne se patiatur corrumpi more aliorum hominum vt eleganter exponit August.) En itaque ille te quærit, me *Augu.* quærit, quęrit omnes, & ait, Quæ vtilitas in sanguine meo? *Ioan. 3.* Ita enim deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum tradiderit, inquit Christus ad Nicodemũ. Paulus quoque dicit, Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores *1. Tim. 3.* *Galat. 1.* saluos facere. Et rursus ad Galatas, Cùm iam venit plenitudo *Augu.* temporis, misit deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege. Ad hoc ergo Christus venit, in hoc natus est, ideo defatigatus, prædicauit, miracula fecit: ideo passus crucifixus, mortuus est, vt nos diabolicæ potestati ereptos, liberatósque à morte & inferis, assereret militiæ cœlesti. Quando auté plurimi prohdolor sunt homines, qui quanuis dira durissimáque hæc Christi supplicia, nec agnoscunt, nec intuentur, nec pro tanta tam preciosi sanguinis effusione Christo gratias agunt: idcirco eos admonens, quærit ille & ait, Quæ vtilitas in sanguine meo? Sanguis hic, inquit *Bernar.* Bernardus, preciosissimus vtique est: adeò vt si guttula illius in vna lance posita, ex altera verò animæ omnes, omniáque omnium hominum penderent peccata, vnica illa gutta iis omnibus pręualeret. Et tamen plerique hominum hunc tam parui æstimant, iis præsertim temporibus, quibus nihil tam abundat, quàm mores mali, scelera, omniáq; genera flagitiorum: atque quod maximum est, nihil ferè iam vel dici, vel tractari, vel vendi potest, vbi non sacramenta Christi, sanguis Christi, vulnera Christi intermisceantur, & simul vendãtur. Factuosos taceo, imo scurras im-

pudétissimos, qui iã ne loqui quidem possunt quicquã, vbi non vulnera, passioné, sanguinem, morté, sacraméta Christi inserant, quò deũ blasphemãt & ad iracundiã prouocãt. ¶Ignominiosum id quondam in obiectissimis & infimæ sortis hominib' habebatur: nũc laudi ducitur impunè, nũc iurare licet omnibus, etiam ciuibus, optimatibus, opificib', rusticis, proh mulieribus quoq; garrulis, & pueris vixdum è testa progressis. Quid, quod innumeri adhuc homines in suis perseuerant erroribus, in quibus omnibus Christi passio vtilitatis nihil habet? cuiusmodi sunt Iudæi, Turcæ, Saraceni & tot peruersi Christiani. Rectè ergo & consulto Christus inclamat, Quænã vtilitas in sanguine meo? quid commodi in tantis suppliciis? qui profectus ex amarissima morte? Sed nos impetraturi dicendi audiẽdique copiam & facultatem apud deum passioné Christi acerbissimam corde & ore veneremur, & priusquam orationem dominicam dicamus, alacres cantemus, O crux aue spes vnica, hoc passionis tempore &c.

NEQVE ERAT OPERÆPRECIVM, NEQVE CONSVLTVM VIDEBATVR, TEXTVM euangelistarum hîc denuò ponere, quum satis sit, illum in superiori passione ad longum recitasse. Nunc summatim omnia in sex effusionibus sanguinis Christi perstringere sufficiat.

ARTICVLVS PRIMVS, DE PRIMA PRECIOsissimi sanguinis Christi effusione, quæ facta est in monte Oliueti, dum prostratus oraret.

Quæ vtilitas in sanguine meo?

¶Videte charissimi spectaculum, sed horrendum, sed miserabile, Christum aspicite humi prostratũ, super faciem suã iacentem, expansis manibus, non genua tãtùm (vt pingũt, solita sua licentia pictores) flectentem, sed toto corpore pronum, vndique dolore & angustia circundatum, adeò vt sanguinem exsudaret. Si enim nos dum angimur, sudorem frigidum emittere prouerbio dicimur, quo mœrore confectus fuerit dominus, nec sudorem tantùm, neq; illum frigidũ, sed & sanguineũ ex se guttatim distillans, idipsum ille etiã verbo testatus, dixit, Tristis est anima mea vsque ad

Dominus in monte Oliueti.

mor-

mortem. Sudor hic argumentũ certũ est nobis acerbissimæ passionis Christi.quia quis vnquã homo in tanto mœrore, luctu & tristitia fuit, vt etiam sanguinem sudarit?Inauditus igitur ille sudor,inauditũ significabat angorẽ. Sed quia impij quidã & ingratissimi Christiani Christo improperantes angustiam hanc,sudorẽ & sanguinẽ illi exprobrãt, meritò conqueritur & interrogat, Quæ vtilitas in sanguine meo? Quærentẽ autẽ hîc mihi audire videor aliquẽ, Quæ causa tam admirãdi fuerit sudoris, Iudæorũ adhuc nullo præsente. Ei sanè respondeo,dicẽs ex multis præcipuas causas tres esse,quarũ prima est,Cũ iã ratio in Christo apertè & manifestè indicaret sensualitati omnes pœnas imminẽtes,totãq; adeò passionẽ,vult ob oculos proponere,& ex illo virtutes animæ,ipsiúsq; etiam corporis sensibiles spiritus omnes cõmouerentur,per omnia membra,pérque ipsas sanguinis vectrices venas,motus hic sanguinẽ fecit erũpere. Et hęc sanè pugna est & agonia,hic cõflictus in quo Christus constitit orans aduersus mortẽ,inter rationẽ & sensualitatẽ. Quomodo Dauid quoq; rationem introducit loquẽtem animæ sensibili,& cõsolantem ipsam in hũc modum, Quid tristis es anima mea?& quare cõturbas me? Spera in deo,quoniã adhuc confitebor illi,salutare vultus mei & deus meus. *Psal.42.*

Sudor sanguinis.

¶Ratio secunda est,quoniã sic perturbatũ nouimus hîc dominũ propter fugam discipulorũ & peccatum Iudæorũ,& in vniuersum,scelera & delicta omniũ hominũ, super quæ fleuit. Atq; ideo etiã si omnis omniũ,quotquot vnquã vixerunt hominũ,contririo in vnum cõferretur pro peccatis,illa tamẽ quã hîc Christus habuit,maior esset:quoniam ipse meli⁹ omnib⁹ cognouit offensam dei ex peccatis hominũ, peccatorúmq; grauitatem,& ortam hinc hominum cõmunem miseriã. Tertia porrò causa tantæ in Christo angustiæ est hæc,quoniã ille iam tum futuram præuidebat istam hæreticorum Iudæorúmque dissectionem, & malorum Christianorum defectionem,in quib⁹ passio sua tota,omnísque ille sanguis effusus periturus erat,adeò vt vix cum in cruce latronem acquireret,discipulum verò vicissim vnum perderet. Neque etiam asperrimæ spinæ,è quibus corona Christi cõtexta fuit,caput illius ita afflixêre,vt animam eius peccata tua pupugerũt: Imo,vt grauiùs quid addam delicta hominis,eius maximè qui dãnatur,maiorem illi dolorem in-

Ambro.

Chrysost.

cusserunt, quā flagella, virgæ, claui, lancea, & quicquid denique suppliciorū ei tulerunt Iudæi, vt meritò tunc cogitare vel etiam dicere potuerit illud, Quænam vtilitas in sanguine meo? Illùm ne in tot hominū milibus adeò perire, vt pro nihilo haberent isti terram desiderabilē, terram viuentium? Vnde rectè ab illo domin' introducitur, homini peccatori sic loquens, O homo, vide quę pro te patior: non est dolor sicut quo crucior. Ad te clamo, qui ꝑ te morior: vide pœnas, quib' afficior: vide clauos, quibus cōfodior: vide lāceā, qua trāfigor: & cùm sit tantus dolor exterior, extat interius plāctus multò grauior, te dum ingratū tātū experior.

Psal. 105 *Philip.* *Parisien.*

¶Disce hinc quisquis es, qui ex sanguine Christi fructum speras & vtilitatē, timere mortem, quā & Christus dei filius exhorruit: quia naturaliter illa terribiliū omniū lōgè terribilissimum est. Neq; malum est eā tum metuere, tum pestis tempore fugere, quàm Christus etiam non semel fugit, iam in Galilæam secedens, iam manus Iudæorum euadēs, aliâs per medium ipsorum transiens, nōnunquā sese abscōdens.

Aristo. *Ioā.* 11 7 *Luc.* 4 *Ioan.* 8

¶Disce imminēte iā mortis articulo, volūtatē quoq; tuā voluntati attēperare diuinę Domine, proroga aliquātulū mihi vitam meam, veruntamē nō sicut ego volo, sed sicut tu.

¶Disce cùm ęgrotas, vel multum orare, vel alios apud te orātes habere, cùm videas Christum & hîc in agonia, & tandem in cruce iamiam moriturū pro crucifigentibus se orasse, animámque suam in manus paternas commēdasse. Præterea quilibet moriturus vltrò & voluntariè mortem suam mortísque amaritudinem offerat deo pro remissione peccatorū suorum: quæ sanè tum efficax est medicina magni mali, tum verò deo apprimè placens. fieri enim potest, vt homo aliquis tam voluntariè mortem obeat, tantáque alacritate dolorem mortis offerat deo, vt eodem momēto & moriatur, & de salute certus viuat in cœlo. Quicunque ergo apud morituros homines cōmorantur, hoc vnum eis sæpius ingerant: quia melius est longéque vtilius, quā mille cuculis intruo quamuis idipsum etiā non vsquequaq; sit inutile. Non enim solùm ad pœnitentiā pertinet, pœnā sibi voluntariè infligere, sed etiam pœnā inflictam patiēter sustinere.

Gerson.

¶Disce verò omniū maximè tu peccator, de ꝓpriis etiā dolere peccatis, cū vides Christū tantopere afflictū ex alienis.

¶Postremò disce pios animi tui affect' iam hodie eleuare,

excitare & exercere coram imagine Christi in mōte Oliueti prostrati, sed & aliâs toto anno quoties montem Olіueti præteris huiusmodi quid ora, O domine Iesu Christe, propter acerbissimam agoniam tuam & sudorē sanguinis, aufer à nobis omnes dolores nostros, tribulatiōes & miserias.

¶ Sunt qui etiam hodie pietatem suam tum declarent, tum exerceāt coram venerabili sacramēto, quod hoc vesperi institutū esse cōstat. hoc tamē Christiana habet ordinatio, vt sacramentū illud iam tātùm colas & venereris in cōmemorationem dominicæ passionis. Atque ideo nullū sancto affectui tuo modum præscribo: quin poti' si te plus afficit mōs Olіueti, ora ibidem. Sin magis animum tuum permouet & demulcet sanctissimi sacramenti præsentia, coram illo precare dominum, & passionē suam recole. At nos iam quoque passionem illam & mortē Christi, sanguineúmque sudorē venerantes, oremus & dicamus, Pater noster qui es in cœlis.

QVOMODO CAPTVS DOMINVS ET *pontifici sit præsentatus, atque de negatione Petri.*

Quæ vtilitas in sanguine meo?

¶ Contemplare hîc mihi diligenter, quomodo dominus idémque deus tuus Christus Iesus, à peccatoribus capitur ligatúrque: quas ibi sustinet contumelias, quæ opprobria, quantósque dolores: quæ illi verbera, iam percutiendo, iam huc illuc detrudendo, inferunt Iudæi, omnium qui in ciuitate erant, velut delectu habito sceleratissimi: quorum impetum, furorem, tumultum ecclesia adhuc repræsentat pulsibus illis, in triduanis iis matutinis fieri solitis. Aut non Christo fuerit molestissimum à proprio apostolo Iuda tradi, à cæteris omnibus derelinqui, solúmq; se in mortem abduci? sicut iam olim prædixerat per os Dauid sui fidelis, dicentis, Longe fecisti notos meos à me. & per Esaiam, Torcular ego calcaui solus, & non est vir mecum ex gentibus. *Psal. 87* *Esa. 63*

¶ Deinde considera alapam istam grandem & miserabilem quā vesanus seruus domino dedit, armatus vtiq;, tantā vt toto tū concuteretur corpus illius & cōtremisceret, erūpente dehinc sanguine & largiter ex naribus emanāte. Oportet autē maximā alapā hāc fuisse, deinde magnū quid eā designasse quā de' per tres prophetas tanto tempore antè prædixerat. Sic enim Iob dicit, Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserūt maxillā meam, satiati sunt pœnis meis. *Alapa.* *Iob 16*

Thren.3. Per Hieremiã quoq; ait dominus, Dedit maxillã percutiẽti.
Mich.5 Et Micheas, In virga, inquit, percutient maxillam iudicis Israel. Et magna itaque & molestissima domino fuit hęc alapa, nõ sine impressa faciei cicatrice maxima. Quídq; mirũ,
Gene.19, si vel ignis de cęlo lapsus eũ deuorasset, Sicut Sodomã perdidit
Num.16 & Gomorrhã, vel terra illũ sicut Dathan cũ sociis suis
4. Reg.2 dehiscẽs absorpsisset, vel irruens ex sylua leo siue per deuo-
& 17. rasset, sicut de Eliseo & Chutæis legitur: vel subiranea sta-
Actu.5. tim morte correptus fuisset, sicut Sapphira & Ananias, vel
Matt.21 saltem brachiũ ei exaruisset, sicut ficus? Nũquid enim temeritas fuit extrema, stolidũ istum & abiectissimũ seruum sibi tantũ sumere, vt filiũ dei loqui doceat, sapientiã dei erudire præsumat, eum à quo omnis in cœlo & terra est sapientia,
Bernard. quíq; linguas infantiũ facit disertas, instituere cupiat? O immensam dei patiẽtiã! quę nõ statim se vindicauit. Et tu igitur infelix homo, humani generis peruersam maliriã considera, domin⁹ Iesus à seruo cæditur, creator à creatura percu-
Chrysost. titur, à peccatore deus. neq; dubitat hîc Chrysostomus seruum hunc fuisse Malchũ: vt eò maior fuerit iniquitas, quo ingratitudo deterior. ¶ Sed iam te quærere audio, (neque enim absurdũ neque inconueniens est, cõcionatorem talia propter simpliciores mouere, quia mirum quàm illa mani-
Augu. festissima fidei ignorent) quî fieri potuit, vt supplicia pateretur Christus, qui vt verus deus, fuit vtiq; impassibilis? Verum est sanè hoc & Christ⁹ quidẽ in natura diuina impassibilis est & immutabilis: quia autẽ in illo naturę duę sunt diuina & humana, sic secundũ naturam humanã tantùm patitur, quãuis existentibus sic in vnica persona naturis duabus persona illa propter geminã naturam, deus verus est & homo, ideóque ei vtriusque naturæ officia tribuuntur: vt quũ dicimus, deũ passum, mortuũ, sepultũ, quo ad humanitatẽ intelligẽdũ est. Rursus de Christo dicẽtes, quia homo deus est, homo cęlum creauit & terram, ad diuinam naturam respicimus. Sic verum corpus hominis habuit Christus carnẽ sensibilem, animam humanam, totáq; hæc communicatio est idiomatum seu proprietatũ Sed adhuc quæris, quo tandem modo pati potuerit Christus, quum etiam ratione humanitatis fuerit beatus, adeò vt gloriosa anima sua à princi-
Sapien.5. pio habuerit aspectum & visionem essentię diuinę, quando & beati nihil mali queãt pati: imo si fieri posset, vt quisquã

beatorum apud inferos detineretur, ab igni nihil aduretur? Ad hęc respõdendũ est, in beatitudine tria esse, visioné, fruitionem & delectationem. Quãuis ergo anima Christi beata fuerit in visione simul & fruitione essentiæ diuinæ ita vt iã beatitudo illa operari hęc duo debuerit in Christo, facere scilicet, ne anima ei⁹ quicquã tristitię aut corpus aliquid doloris persentiret: deus tamẽ per suã bonitatẽ redimendi generis humani gratia, animam christi vtroq; illo priuauit: sicq; admirabili quodã & miraculoso modo fecit, pmisitq; animã eius tristari & corpus pati, neq; quicquã beatitudinẽ illã animæ influxisse in exteriores animæ virtutes, neq; redũdare in corp⁹ quo ad sensualitatẽ. ¶Quò maiores Christo gratias agere debem⁹, quód quũ à principio futurus erat corporę & anima impassibilis, immortali & sine omni dolore, tribus tamẽ & trigĩta annis ꝓpter nos solũmodo, gaudiis tãtis priuari se voluit. Tu verò hinc disce socerũ tuũ venerari & amare, cõsiderans Caiphã hũc, qui quũ anni illius põtifex esset, per vices tamẽ magistratũ hunc Annæ socero relinquebat: sicq; ambo Simoniaci erãt, vt qui illũ pecuniis coemerant. quãuis id quoque in cõtumeliã & ignominiam Christi factũ est, quod ad Annã priusquã ad Caiphã ductus est. Tibi tamẽ hoc cõsulitur, & mãdato charitatis etiã præcipitur, vt diligas socerũ tuum. Verũtamen cũ eo noli consiliari, sed à zelantibus te abscõde consiliũ tuũ, ait Sapiens, Disce hinc serue, nõ assentari domino tuo, sicut hic Malch⁹ placere volẽs hero homini, offendit dominũ deũ: neque ipse peccauit tantũ, sed peccãdi occasionẽ suo etiam domino dedit, dũ super eius malitia cõplacẽtiam haberet, neq; eum corriperet fefellit igitur & se, & dominũ suum, sicut Sapiẽs dicit, Simulator ore decipit amicum suum. Quãto pręstiterit, fuisse hic Annę durum aliquẽ obiurgatorem, quã assentatorẽ, qui eũ in ꝓposita malitia cõfirmauit. Iuxta illud Sapientis, Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi. quia sicut sonitus spinarum ardẽtium sub olla, sic risus stulti. ¶Discite exemplo hoc potentes non quibuslibet credere, qui blandiuntur: quia dici nõ potest, quanta hæc sit in aulis principũ pestis adulatio, quę excęcat omnes, si modo verum est illud Augustini, plus persequi linguã adulatoris, quã manũ persequẽtis. Quid multa? hostes nostri sunt omnes assentatores & scintillæ diaboli, inquit

August. *Eccle.37.* *Prouer.* *Eccle.7* *August.*

Hierony. superPsa. Hieronymus. & rursus super psalmos, Nihil est quod tã facile corrũpat animos, sicut adulatio: quia plus adulator lingua nocet quã persecutor gladio. Sed nõ est plura iã de iis
Seneca. dicendi locus, dũ nõ sequũtur domini illud Senecę cõsiliũ, Claudẽdæ sunt aures adulatoribus. Prohdeum immortalẽ, quoties cũ potẽtissimis cõueniret & magnatibus, si per seruos liceret & adulatores? ¶Disce preterea cõsilia euãgelica
Mat. 5 nõ debere ad literã intelligi, sicut hic apertè vides. Christus enim cũ cõsuluisset cęsum in maxilla vna porrigere debere percutiẽti & alterã, id tamẽ hic ipse nõ fecit: neq; illud tantùm nõ fecit, verbis insuper eũ adoriri cœpit & dixit, Quid me cędis? ipsq; sic opere docẽs nõ se voluisse cõsilia sua ad literã tãtùm debere intelligi, quãdo sic ea neq; ipse seruauit: sed succosus ille & solidus intellectus est quisq; animo suo sic institut⁹ sit & cõparatus, ne quicquã p̃ximo neget, quin potius id quoq; ad ędificationẽ proximi parat⁹ sit sufferre.
Augu. in sermone domini in monte. Sic autẽ Christus quoq; bene obfirmato animo fuit vtique dũ non maxillas tantùm percutiẽti, sed & corpus totũ pro nobis tradidit affligẽtibus: & ita pl⁹ intelligi debet de præparatiõe cordis, quã exhibitiõe operis. Dictu mirũ est, quã dici multa possent de neochristianorũ insigni tum stoliditate, tũ imperitia, qui quęlibet Christi cõsilia præcepta facere cupiũt: quibus si nõ resisteremus, breui futurũ esset, vt ab iis omnino profligaremur. Et tamen vtut clament ipsi cõsilia Christi omnia pręcepta esse, nec cõsilia tamẽ seruãt, nec præcepta, ore tantũ Christũ cõfitentes. & fidem. lites enim & causas agunt pro iudiciis: fratres istos hortẽses, cõmunitatẽ rerum omniũ introducere molientes, minus omnibus ferre possunt, cane peius odiũt & angue. Miserã istã tumultuantiũ rusticorũ turbam quam excitauerãt ipsi, nõne trucidarunt quoque? nõne arma cõtra eos mouerũt vt alij? non quidem in hoc peccantes, sed tamẽ sibi ipsis aduersati. Lutherus cũ negasset bella aduersus Turcas esse gerẽda, paulò post miserãdas rusticorum cohortes sui ipsius scriptis seductas, neq; semel ab ipso defensas, cędi, trucidari, occidi iussit. indulgentias nobilib⁹ omnibus in hoc elargitus, qui imperitum & rude vulgus mactarent, cęderẽt, perderent. Ad hæc Satanę eos tradidit. O hominẽ nequissimũ, indulgẽtias paulò antè in bono vsurpatas, sustulerat: deinde easdẽ conferre conatur super occidendis trucidãdisq; miseris hominibus.

Sed quid mirũ?qualis euãgelista,tale ipsi' est euãgeliũ.periculũ est, ne preciosus Christi sanguis in iis & omnibus eorum sequacib' perierit.Nos deũ subinde oremus,vt nos ab omni ĩfidelitatis & hęreseos cõtagio custodiat,ne in nobis quoq; sanguis Christi depereat. Colam' & veneremur gloriosam Christi passionẽ, ne de nobis ille cõqueratur & dicat, Quæ tãdẽ vtilitas in sanguine meo?Orem' igitur & dicam', Pater noster qui es in cœlis,sanctificetur nomen,&c.

DE FALSIS TESTIMONIIS SVPER *Christo adductis, & de illusione eiusdem*, Quæ vtilitas in sanguine meo?

¶Euigila,erigere,& excitare anima fidelis , contemplare quæ & quãta pro te subiit supplicia dominus de' tuus Christus Iesus:adductus enim est ad iniquissimũ & Simoniacũ pontificem Caiphã,similiter & Annã,istius in omni impietate socium,vtriq; tamẽ ille etiã iniquè rogatus,verbũ malum nullum fecit,neque se indignũ. Aut nõ molestum fuerit domino,anxiè adeò super se vndique conquiri testimonia?Nõ fuerit illi ingratum,à posterioribus duob' testibus & verba sua & sententiã sibi non inuerti tantùm, sed etiam in sensum alium diuersum quoque torqueri? Nõ ei ima cõmouerit viscera,dum clamarẽt ipsum reum esse mortis?Iudęi enim quãuis forẽsis iudicij ad capitis condẽnationem potestatem non habebãt,penes ipsos tamen erat ius decernẽdi ex legis præscripto,quo facto , reum capitis declaratũ Romano offerebãt præsidi. Meditare quid ignominiæ,doloris & tristitiæ susceperit dominus,dũ cõspueretur, velata facie alapis cęderetur,cæterisq; modis omnibus indignissimè tractaretur. siquidem cõmunis hæc doctorum sentẽtia est,captũ esse sub nocte media dominum , atq; adductũ ad Annã:ibidem rem productã vsq; ad primam mediæ noctis horã:dehinc primates & potentiores (ita vt fit) dormitum se cõtulisse,innocentem verò dominũ furibũdis seruis cruciãdum,affligendum,& pro nutu vesaniæ suæ tractandum reliquisse:sicut adhuc Hierosolymis locus peregrinantibus ostenditur,in quem reliqua noctis illius parte dominũ abdiderunt,tãtisper dum manè facto illum rursus educerent.

¶Disce hinc falsum testimoniũ neq; de alio dare, neq; in illud cõsentire,quia falsus testis interibit,& falsitas hęc ĩpunè non abibit : tribúsq; adeò falsidicus testis sit obnoxius:

deo quem contẽnit, iudici quem decipit, innocẽti quem lędit. Cõſideret igitur quiſq; quid agat, quidve teſtetur: quoniam quicquid alter dãni patitur, hoc ille reponere tenetur qui teſtimoniũ de eo falſum perhibet. Sed hîc iam quęſtio naſcitur. Quando ſenatus Iudęorũ totus & põtifices anxiè adeò teſtimonia ſuper Chriſtũ conquiſiſſent, tandẽq; duos teſtes iniquos produxiſſent: quî fit quod eorũ, & quæ de tẽplo adduxerant teſtimonia, neq; apud Pilatũ neque Herodem, vel verbo meminerit minimo? Reſpondetur ad hoc, Quoniã poſtquã Chriſtus filium dei ſe eſſe dixerat, omiſſis prioribus, vnico illi inſiſtebãt, quod & pro bleſphemia habebãt: videbãtúrq; ſibi ex eo fundati eſſe in accuſãdo Chriſto, & in quo maiorem haberẽt apparentiã iuſtitiæ, quã in tẽpli deſtructione, ſicut & ad extremũ corã Pilato plurimũ illud exaggerabant. Verũ omnia hæc ita hîc fiebãt, ſicut in cauſa iniqua accidere ſolet, carebãt omni fũdamẽto, quere lam ſolidã nullã habebãt, ex liuore & odio faciebãt omnia Quid igitur mirũ, ſi ita ex vno errore in aliũ prolapſi ſunt, rati ſeditionẽ moliri Chriſtũ, ideóq; affligendũ, vt Theodã & Iudã Galilęũ? ¶ Diſce præterea hinc nõ blaſphemare dominũ, & Chriſto ſuppliciũ ſuũ, ſanguinẽ, anguſtiã, & mortem nõ exprobrare iurãdo. quiſquis enim temerè vel incõſideratè vel ex conſuetudine praua iurat, capitaliter peccat, ſicut ſecundo decalogi præcepto docemur. Iudæi ſanè grauiter in blaſphemos animaduertebãt, audiẽtes quoq; blaſphemari deũ, ſcindebãt veſtimẽta ſua. Atq; ideo hîc etiam quãuis Chriſtus deũ nõ blaſphemauerat, ſed honore debito affecerat, Caiphas vt blaſphemiã vel ſuo geſtu & exẽplo perſuaderet circũſtantibus, ſcidit veſtimẽta ſua. Mos ille ſi nunc quoq; duraret hoc infœlici & impio ſeculo, vnde tot petẽdi forẽt ſartores, qui ſciſſas ex blaſphemia veſtes nobis conſuerẽt? tam inoleuit perdita iſta peierãdi cõſuetudo, vt laudi ducatur & virtuti. ¶ Diſce autẽ & deum colere exemplo Chriſti, qui verbis iniquè ſuper ſe teſtantiũ nihil omnino reſpõdit, adiuratus autẽ à põtifice per deum viuum, dedit gloriã deo, & cõfeſſus eſt (in quo ei ſumma vitæ ſuę ſtabat) eſſe ſe filiũ dei. Et tu igitur dare deo gloriã ne dubita, veritatẽ liberè fateri caue diffidas, etiam capitis tui periculo: quia quiſquis chriſtum cõfitetur coram hominibus, cõfitebitur illum deum quoq; corã patre ſuo qui eſt in cælis.

Pro. 2.18 *Iſidorus.* *Actu. 5* *Leui. 24*

Disce nihil intermittere metu hominũ, quod facere teneris: tales enim iis cõparantur, qui faciem christo suam velârunt, cuiusmodi sunt, quos plenè confiteri pudet & alia opera bona exercere, vt in vrbibus & oppidis Lutheranis quidam faciunt: qui dum catholici haberi cupiunt, cum cęteris tamen catholicis nõ communicant: neque suos relinquẽtes hęreticos ad illorum sacra veniũt, domi potius cum suis confitentur & sacramẽtum suscipiunt. Ij quid aliud faciunt, nisi quod iuxta verbũ Ioãnis, magis amant gloriam mundi quàm dei? Quanuis possent nõnulli hoc prętexere se in hoc male non agere, dum illud in cœnobiis facerent, metuentes ne si id magistratus eorum & noui episcopi rescíscerent, etiam ablato ab eis cœnobio, abigerẽtur ab illis. ¶In vniuersum tamẽ quilibet christianus nõ planè, neque integrè cõfitens, christo faciem suã velat. Quid autẽ etiam hoc proderit homini, si totum mundũ lucretur, animã interim suam perdat? Quis dubitat verò in tanto insanientiũ seruorum tumultu, dominum, dum cæderetur, hinc inde truderent, & indignis modis tractaretur, rursus sanguinem suum effudisse, tam crudelem præcipuè suscipiens alapam? Nos pro amarissima sua passione & sanctissimo sanguine effuso, gratias agentes, illi dicamus, Pater noster, qui, &c. *Luc. 11.* *Ioan. 12.* *Mat. 8.*

QVOMODO ABDVCTVS AD PILA-
tum dominus, inde ad Herodem missus, & ab eo rursus ad Pilatum ductus, ad extremum post flagra & illusiones multas corona spinea sit coronatus.

Quæ vtilitas in sanguine meo?

¶Hîc iam bis sanguinẽ suum preciosum effudit dominus, inter flagra & spinas coronę. Vbi tu contemplare, quo contẽptu, quanta ignominia ductus sit ille clara luce in prætorium Pilati coram toto populo, quia tunc Hierosolymis ad diem sanctum & solennem festiuitatẽ, totus Iudæorum populus conuenerat. christus verò iam prope spiritu carebat, tota nocte nihil dormierat, sed tractatus huc illuc abductus à Iudæis pene vsque ad auroram fuerat. Quanta autem pro summis suis beneficiis recepit opprobria? quẽ nõ sustinuit contẽptum? dæmoniacos eorũ liberauerat à spiritibus immũdis, cęcos, claudos, surdos, mutos sanauerat, leprosos mũdauerat, febriẽtes paralyticos curauerat, suscitarat mortuos

fame afflicta nunc quatuor,nūc quinq; hominum milia sa-
tiauerat,optimis quibúsque doctrinis instituerat.Et pro o-
mnibus illis vicissim ab eis accusatur,cæditur,illuditur.

Herodes. ¶Cogita hîc & meditare, quomodo Christū Herodes pro scurra habuerit, quomodo petito ab eo signo contẽpserit, sapientiā dei,veste alba indutū Pilato remittens dominū. Fuit autem Herodes hîc filius eius, qui infantes trucidauit
Matt. 2. innocẽtes, cuius furorem vt euitaret Christus, in Ægyptū fugit:quẽ sicut infantẽ inquisiuit,pater sic filius iste in eius dem mortem cõsensit. Hic ille Herodes fuit, qui Iacobum occidit apostolum,vidẽnsq; placere hoc Iudæis,apprehen-
Act. 12 dit & Petrum. Tantum verò iusto dei iudicio condignū tātis sceleribus sustulerit præmiū grauissimo enim correptus est morbo:membra ei omnia facta sunt tremula,vermes & pediculi nati in omni corporis parte, spiritus interruptus, & totus fœtore corruptus anhelitus, adeò vt illum sustinere nemo posset.¶Iniquitatem præterea meditare & considera tumultuantium Iudæorum,qui qua erāt tum peruersitate,tum cæcitate,maluerunt præ Christo Barabbam eligere,eum qui mortẽ scelerib' & flagitiis meruerat, præponẽtes illi qui omnia viuificat, ídque tantùm persuasi consilio pharisæorum.Quàm diuersum verò est,quod nunc agunt,
Mat. 21. ab eo quod die Palmarum cõclamauerant, Benedictus qui venit in nomine domini.Hodie pro latrone cõtemnitur,& homicida,pro seductore habetur : quẽ benedictū pauculis ante diebus dixerunt,eum nunc tolli & crucifigi postulanr. ¶Vide & infœlicem Pilatum,quomodo ipse quoque furore tumultuantium Iudæorum compulsus est,ne expectaret responsum Christi,quod vel solum ipsum à proposito conuertere potuisset. Sic Augu.inquit,Credo, cùm dixisset Pi-
Augu. latus,quid est veritas, in mentem illi venisse continuò cõsuetudinem Iudæorum,qua solebat eis dimitti vnus in Pascha.Et ideo non expectauit vt responderet ei Iesus,ne mora fieret,cùm recoluisset morem, quo posset eis per pascha dimitti,quod eum valde voluisse manifestū est. Doctores alij hîc se exercent,in eo quid dominus Pilato responsurus fuerat,si expectasset.In euāgelio Nazaræorum aiunt nonnulli scriptum esse, quoniā responderit, veritatem de cælo esse,& nõ in terra.Quidam affirmant eum dicturum fuisse
Ioan. 14. illud,quod est apud Ioannem,Ego sum via, veritas, & vita.

¶ Quæris autẽ, cur tandẽ Pilatus responsum hoc de veritate non expectarit. Respondetur, sicut iã ex Augustino adduximus, sciuisse eum quòd ex odio & inuidia traditus esset à Iudæis, ideóq; modis omnib⁹ vel hac sola dimittẽdi aliquẽ vinctum cõsuetudine elaborasse vt Christus dimitteretur. Vbi prudentiam aduerte Pilati: nõ enim dicebat, Dimittite illi, si quicquã peccauit, propter imminentẽ festiuitatẽ: sed primò illum excusat, dicens nihil se in ipso inuenire morte dignum. Mox ex superabundanti cupit dimitti eum, si non ob suam innocentiam, attamẽ propter festum instans. Deinde latronem eis proponit improbũ & infamẽ, homicidã, Barabbam, ratus ipsos odio tanti facinoris potiùs innocentem dimissuros dominum, quã tot flagitiis notatum latronem Barabbam. Vtque eos magis mitigaret, regẽ illum vocet Iudæorum: quasi diceret, Si cuiusquã esset hic reus sceleris, ad quem potius res hæc pertineret, quã ad me Romani Imperatoris in hac parte vicariũ, cui vel maximè aduersum est, si quis regẽ se esse iactitet? Tamẽ id quoque omitto, neque accuso: quantò magis vos pios in illum esse decet, & eundem dimittere? ¶ Chrysostomus etiã aliam adhuc rationem asserit, cur responsum nõ expectarit Pilatus: ob rei ipsius magnitudinem & grauitatem. ait enim, Hoc pacto dominus Pilatum paucis verbis allicit, vt petat, Quid est veritas? Sed primùm rei ipsi instat. rogauit autem, quoniã tempus id postulabat, tunc eum de Iudęorũ manibus eripere cogitauit, ideo exibat. Sunt qui opinẽtur Pilatum audito illo ex domino, de duplici regno, putasse ad se nihil pertinere, sicque ex contẽptu abiisse. Neque desunt quidã existimantes indignum fuisse Pilatũ, qui responsum hoc audiret, eò quòd cum iudicij sui modum & formulam à veritate esset auspicatus, ab eadem dehinc decidit ipse. Alij ex præsumptione ipsum hoc autumant fecisse. Nõnulli inquiunt, Pilatum ratum se à Christo aliquid hìc auditurũ ex lege & prophetis, quorum scripta nihili faciebat, quoniam Gentilis erat. Quicquid id sit, et quo fecit hoc Pilatus, cõstat malè ipsum in eo fecisse, quod responsum nõ expectauit, semper enim deinceps à veritate defecit, Christúmq; mox seruis flagellandum, illudendũ & coronandum tradidit. ¶ Ob oculos cordis animíque tui hìc tibi propone & contemplare, præcipuum quendam dominicæ passionis articulum. Quomodo sanctissimũ christi corpus columnæ iniectũ &

Chryso.

Chrysost.

astrictũ,flagris cæsum est durissimè,ad ipsam vsq; preciosissimi sanguinis largissimã profusionẽ,quãdo tunc implebãtur verba Christi,quæ dixerat antè discipulis suis, Filius hominis tradetur Gentibus,& flagellabitur. Gentilis erat Pilatus,Pilati serui flagellantes dominũ,Gẽtiles erant, volẽtes in hoc placere Iudęis. Dicunt doctores largã hãc sanguinis Christi in sua flagellatione effusionẽ,satis futurã fuisse pro totius humani generis redẽptione. Hinc quæres igitur,cur mortuus sit Christus? In hoc sanè tu immẽsam considera iustitiã dei,qui cũ redimere hominẽ,& ex faucib⁹ diaboli potuisset sanguine illo Christi in coronatione, & inter flagra effuso eripere, vt tamen diabolo satisfaceret,ipsumq; vinceret potenter, voluit eundẽ & morte sua innocentissima superari,atq; sic hominẽ ab æterna morte liberari. Iterũ interrogas,quare Pilatus quẽ sciebat innoxiũ,tã duriter cædi voluerit & coronari? Eò nimirũ, quòd ipse prob⁹ ac vir bonus non erat, aspiciens furibũdos insaniẽtiũ Iudæorũ animos, quos nolebat offendere. Videbat ille apud eos nihil proficere innocentiã Christi,neq; eos festiuitati iam imminẽti parcere velle: quod tamen Herodes fecit,nolẽs nisi post pascha iudicare & occidere Petrum. Videbat nihil se promouere, etiã in electionẽ proposito homicida? sicq; cogitabat fieri haud posse, vt pace Iudæorum illũ sineret impunitũ abire: oblitus itaq; omnis iustitiæ,vt satisfaceret furori Iudæorũ, contra & præter æquitatẽ, innocentẽ tradidit flagellãdum. ¶ Considera hîc quoq; , quomodo sanctum & hactenus inuiolatum Christi caput crassis & durissimis spinis coronatum est. Spinæ autem istæ erãt marinæ,præacutæ,longæ ad proportionẽ ferè minimi digiti, sicut adhuc videntur in ciuitate Vuerdæa Sueuiæ, in monasterio ad sanctã crucẽ: vbi eas Frideric⁹ Imperator dono dedit. Illę caput Christi acerrimè pupugerũt,& vndiq; vulnerauerunt: quia eas summa violentia serui vsq; ad cranium adegerunt, emanẽte ex omni parte sanguine Christi sanctissimo. Potuit in hoc maximo dolore dicere dominus, Quæ tandẽ in te redũdat,ô peccator, vtilitas? sanguinẽ in te meũ perire sinis, quẽ ego propter te profudi copiosissimè? Sunt qui asserant Christũ vulnera habuisse quinquies mille,quadringenta, septuagintaquinq;. Illa si tu pietate motus honorare velles,orares quotidie quindecies orationẽ dominicã, & sic cuilibet vulneri

Mat. 20 (margin, beside "tus,Pilati serui flagellantes")

Act. 12 (margin, beside "cere velle")

oratio daretur dominica vna, euoluto anni circulo, tantum enim conficiunt quindecies 365. Neque verò mirum est, tot Christum habuisse vulneta, qui pro innumeris satisfacere venerat peccatis, vt iã dicere potuerit illud Dauidicũ, Vim faciebãt, qui quærebant animã meam. Nónne quæsierunt animam Christi, lãcea in latere, clauis in manibus & pedibus, in capite spinis, in facie alapis, flagellis & virgis toto corpore? Atq; inter omnia hæc supplicia ad te, ô durissime peccator, clamat dñs, Que obsecro vtilitas in sãguinè meo? *Psal. 37.*

DOCTRINA.

¶Tu hîc disce vulgi agnoscere instabilitatem, quem enim iã diligit, paulò pòst plusquã agresti & vatiniano odi persequitur. Maledictũ itaque quisquis confidit in homine, quoniã inconstãtia principum vernæ tempestatis simillima est. Ecce quã gloriosè dominum in vrbem comitabantur Iudęi die Palmarũ! Quàm ignominiosè illum vicissim nunc tractant! Aut quis vnquam chariorem habuit dominũ suũ quã Iudæi Dauidem? & tamen cũ primum se aduersus patrẽ suũ cõmouisset Absalon, totus cũ eo erat populus Israel à Dan vsque Bersabee, & sic iam senẽ persequebantur adeò, vt fugere cogeretur è regione sua cum paucis viris exercitus sui. Eat iã quisquis volet, & confidat in applausu populari. Disce deinceps hoc exẽplo orare dominum, ne te pungãt spinę, néue affligant flagra peccatorũ: quia multa flagella peccatoris, inquit Dauid. Si autem te deus ob peccata tua flagello ferit pœnę tẽporalis, feras modestè: quãdo enim innocẽs dominus tam patiẽs fuit in alienis peccatis redimẽdis, quid nos facere æquũ est pro propriis? quomodo se Dauid quoque in flagella paratũ esse dixit, & dolorẽ suũ oculis suis cõtinuẽ obseruari atque ideo Paratum, inquit, cor meũ deus, paratum cor meum. Moueant ad hoc te, quæ Christus pro te innocẽs ipse passus est supplicia. Moueat te amor dei qui homines sæpe ex charitate affligi sinit, vt pater filios suos, quemadmodũ pulchrè ad Hebræos scribit Paulus adducẽs in hoc dictũ Sapientis. Disciplinam domini, fili mi, ne abiicias, nec deficias cum ab eo corriperis. Quem enim diligit dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi, flagellat vnum quenque quem suscipit filium. *Hiere.17* *2. Re.17* *Psal. 1.* *Patientia* *Psal 31. & 107.* *Heb. 12.* *Prou. 3.*

¶Disce præterea neque salutare, neque adorare dominum ridiculè, similiter non aliud cogitare animo quàm lingua

ores, neq; aliud præstare opere qua verbis profiteatis. Nos autem cõmunibus iam votis largissimam illam preciosi san guinis Christi profusionem venerantes, oremus, quatenus à nobis flagella peccatorum nostrorum auferat pius ac propitius deus, dicamusq;, Pater noster qui es in cælis, &c.

¶QVOMODO POST TANTA *supplicia exhibitus Iudæis à Pilato dominus, da extremum mortis est adiudicatus.*

Sed, quæ vtilitas, clamat adhuc Christus, in sanguine meo?

¶Hîc iam cõtemplare, anima fidelis, quàm miserabilis hîc fuerit aspectus, dum Pilatus ex prætorio Christũ educeret spinis coronatũ, totúmque iam sanguine madentem. Ecce homo, quàm inhumana passus est supplicia Ecce hominem
Iordanus. illum, qui cùm sit etiam deus, quid non pro te sustinuit? Ad hanc exhibitionem Christi repræsentandã, adhuc quotidie ecclesiastico ritu in sancto missæ officio, sacramentum iamiam confectum, toti monstratur populo, & ad designandum, quia sacrificium est: ipso itaque velut gestu exprimere & dicere videtur sacerdos eleuans corpus domini, Ecce homo. Homo, inquam, hominem illum vide, eundemque deum & creatorem tuum Christum Iesum, pro te coronatum spinis, flagris cæsum, & ad extremum oblatum in ara crucis. Atque sicut illa verè facta sunt, sic eundem nunc in hoc altari offero sub speciebus panis & vini velatum. ¶Cõsidera deinde quàm iniquè Christum accusarint Iudæi, dicentes quòd se fecerit filium dei, cùm tamen à deo patre deus ipse ab æterno genitus fuerit, quod & paterna illa vox
Matt. 3. testata est, Hîc est ille filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et idem ipse professus est mira
Ioã. 5.10 culis suis, testimonio Ioannis & scripturæ sacræ. Exhorruit hîc quidem primulum Pilatus, & obstupuit, cogitauitque. Si hic filius dei est, nimium est quod flagris & spinis duriter adeò ipsum tractaui. Et tamen dictu mirum est, quam versatili simul & versuto animo Pilatus, versa subinde mentis suæ sententia, arroganter potestatem sibi iactarit esse & dimittẽdi & cruci affigendi Christum. vt sic nullam mereatur apud deum excusationẽ, vel septies etiam lotus in Iordane. Cogita insuper & vide Iudæorum insignẽ cæcitatẽ, qui dũ modò Christum cruci adiudicatum haberẽt, non dubitarũt

Christum pariter & deum abnegare, dicẽtes, Quoniam regẽ non habemus nisi Cęsarẽ. Quondã cùm Samuelem nollent amplius Iudæi iudicẽ, petentes regẽ, audierunt ex irato domino Samueli dici illud, Non te abiecerũt, sed me, ne regnẽ super eos. Quòd si ergo iam olim id accidit super vno petito rege, quãtò plus isti ad iracundiã prouocauerunt dominum, dum abnegãtes Christũ, obliti dei, Cæsari se submiserunt gẽtili & idololatræ? Merito igitur etiam nunc Iudæi extorres & exules regiõe sua, sacri Romani imperij serui sunt, neq; terrã amplius suam, nec ciuitatem, nec tẽplũ, neque sacerdotium, nec altare habent, nec sacrificium, neq; rege: iuxta quod eis prædixerat Daniel, dicens, Post hebdomades sexagintaduas occidetur Christus, & nõ erit eius populus qui eũ negaturus est. Promissum sibi Messiã habuere Iudæi, & idẽ popul⁹ Christi electus esse debebãt, q̃d hic corã Pilato abnegârunt, nolẽtes Christũ habere regẽ, cũ dicerẽt, Regẽ nõ habem⁹ nisi Cæsarẽ. Nõ sunt itaq; iã amplius populus dei, sed Gẽtiles in populum dei electum assumpti sunt. ¶ Tu verò interim hîc mihi considera, quomodo Pilatus & Iudæorum furore exasperatus & aliâs ethnicus, cõfessus tamẽ est innocentẽ esse Christum, omnémq; in Iudęos culpã retorquens, quãuis à propria pressus cõscientia, man⁹ tamẽ suas lauit: in hoc multo melior synceriorq́; iudicibus quibusdã Christianis, qui sine omni horrore cõsciẽtiæ, falsum iudicãt & pauperes opprimũt. Nota tamen, quòd Tertullianus in Apologetico cõtra gẽtes, cap. 21. inquit, Et omnia super Christo Pilatus, & ipse iam pro sua conscientia Christianus Cæsari tunc Tiberio nunciauit. Vide, Pilatum dicit Christianum, licet aliquæ historiæ dicunt, quòd sibi mortẽ cõsciuerit. Ioseph⁹ meminit, quomodo post decimũ annum à Iudæa recesserit in Romã, mortuo iã Tiberio, nil aũt de morte eius agit. ¶ Sed ecce quãto furore perciti fuẽre Iudæi, nõ Christũ tantũ & deum abiurauerunt, sed filios quoq; suos maledixerunt, dicentes, Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Si enim quilibet sanguis innocens effusus ad deum clamat de terra, sicut Abel suo sanguine testatur, an non sanguis Christi etiamnum in hodiernum diẽ clamat ad deũ, & vindictã petit super peccato? Dices autem, quomodo potest ista parentum culpa quicquã nocere filiis, quãdo dicit dominus, Quia nõ portabit pater iniquitatem

1. Reg. 8. *Dan. 9.* *Tertull.* *Pilatus.* *Lib. 18. c. 7.* *Gen. 4.* *Eze. 18.*

filij, neq; filius iniquitatē patris, sed anima quæ peccauerit ipsa morietur? Respondeo patrē non oportere sufferre filij sui iniquitatē ad pœnā æternā: quia sic quisque onus suum sustinet,& sic Ezechiel accipiēdus est. Interea tamen in pœ-
Galat. 6. na temporali sæpe parentū peccata in se recipiunt liberi, sic filius Dauid mortuus est propter peccatū parentis, secundū
2. Re. 12. quod Nathan dixerat ad Dauidē, quoniā blasphemare feci
3. Re. 11. sti inimicos nomen domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur. Sic pepercit dominus Salomoni vicissim ꝑpter Dauid patrē suū, dicēs ei, Quia habuisti hoc apud te, & nō custodisti pactū meū & præcepta mea quæ mādaui tibi, disrūpens scindā regnum tuum, & dabo il-
3. Reg. 11 lud seruo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciem, pro-
Filij puniūtur pro parētibus pter Dauid patrem tuū. ¶ Sicut ergo pater promereri potest filio suo apud deū, vt ei feliciter omnia succedāt, ita rursus demereri potest vt pereat, similiter & mater. Quomo-
3. Re. 14. do dixit deus, Ecce ego inducā mala super domū Ieroboā, & percutiam de Ieroboam mingentē ad parietē. Simili modo cū peccasset Cham, patrem suū Noe inebriatū deridens,
Gene. 9. dixit Noe, Maledictus sit Chanaā, seruus erit fratrū suorū. Cham peccauerat, & Noe filiū post Chanaā maledicit. Idē non paulò apertiùs in Psalmis insinuat Dauid, inquiens,
Psal. 108 Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. nutantes transferantur filij eius & mendicent, eiiciantur de habitationibus suis. Et infrà, Fiant nati eius in interitum, & in generatione
August. vna deleatur nomē eius. Vbi Augustinus manifestè patere inquit, quomodo reddātur peccata patrū in filios. Huc pertinet, quòd si patrem filius in malitia vitæ & morū improbitate sequatur, peccatum quoque illi sufferre tenebitur, se-
Exo. 20. cundū quod in lege deus sic loquutus est, Ego sum dominus deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatē patrū in filios, in tertiam & quartam generationē eorum qui oderunt me. Quia igitur filij & posteri Iudæorū, eorum quoq; maligni-
Iudæi mali. tatis erant hæredes, simul cum ipso lacte materno sugentes inuidiā erga Christianos, & blasphemiā in Christum, sicut etiamnū videmus eos ita liberos suos instituere, vt inter primos statim garritus maledicere discāt Christianis, Christū & Mariā contemptui habere, sacramēta spernere. Quid mirum, si super filios eorum & filios filiorum sanguis Christi
Psal. 108 deuenit, iuxta illud Psalmi, In memoriā redeat iniquitas patrum

trum eius in conspectu domini, & peccatum matris eius nō deleatur? Nōne tibi innocens Christi sanguis super Iudæos venisse videtur, in ipso iā olim excidio Hierosolymitano, vbi eorum vltra vndecies centum milia occisa sunt, vēditis aliis, aliis captis, nōnunquā Iudæis triginta vno denario diuēditis, sicut ipsi antea Christū triginta denariis Iudę exhibitis mercati fuerant? Non etiā Iudæorum capitibus adhuc imminere tibi videtur sanguis Christi, dum per vniuersum terrarum orbem exules profligati sunt? dum sic vbiq; habitant, nusquā (vt ille aiebat) habitant, sed & in metu, timore & tremore peregrinantur inter Christianos: à Turcis verò adhuc duriùs tractātur. quòd si non esset, neque apud Turcas miserrimis acciperentur modis, nō est quod eorū quenquam putes inter Christianos cōmoraturum, quod istis est vel natiuū Christiani nominis odium. Væ autē, væ inquā, quibusdam principibus nostris & optimatibus ciuitatum ac nobilibus, qui tamen fœnoris & vsuræ licentiā relinquunt Iudæis, subditos suos miserè sic perdi & corrumpi sinunt, plus plerunque eis libertatis præbent quàm Christianis. Vę eis, dum patiuntur istos sanguinem Christianorum sugere.

¶ Iam verò hic mihi cōsidera, quomodo deus creator, idēq; redemptor tuus, iudex futurus totius orbis terrarum, viuorum mortuorúmque omnium, hîc cōdemnatur ab effœminato & inconstanti pręside Pilato, qui & innocentem illum hactenus semper cōfessus erat, & tantùm regem Iudæorum appellauerat. Manè enim præsentantibus Christum sibi Iudæis dixerat, Nullam in eo causam inuenio. similiter fecit cùm reducerent eū ab Herode, ita vt priùs ter innocentem esse eum confessus sit, quàm sineret flagellari primùm. Dixit enim semel, Causam in eo mortis nullā inuenio, emendarum autem dimittam. Deinde cùm ex Christo quæsiuisset, Quid sit veritas egressus ad Iudæos, rursus dixit, Causam nullam in hoc homine inuenio. Iamque laturus sentētiam, iterum innocētem se quoque professus est à sanguine iusti huius. Nunc verò omnibus iis prætermissis, tantū metu & timore humano sentētiam tulit cōtra deum, aduersus Christum & suam ipsius cōscientiam, iuxta petitionem Iudæorum, Christum adiudicauit supplicio & ignominiosæ morti crucis. Quid tu hîc, Pilate miserāde, facis? quid tu audes? quantum tibi sumis? Cæsarē metuis, deum offendis ma

Christus quinquies excusatus à Pilato.

Luc. 23.

Ioan. 18.

Mat. 27.

MM

gistratum secularem times, dum benefacere debes & insontem absoluere. Sed quot iam, prohdolor, viuūt in terra Pilati? quā plurimi sūt qui fauore, amore, odio, metu vel similibus, malè iudicare nō dubitant? Postremò meditare hîc diligentiùs, & ob oculos cordis tui tibi propone, quo modo, quo furore, quātísque doloribus domino vestes suas exuerunt serui Pilati, quę iam vulneribus cōpactæ fuerant. Qua item acerbitate illi vulnera omnia renouârūt, dum eū de integro flagellare cœperunt. Quāuis enim sunt, qui Matthęū & Marcum putāt flagellationis huius tantū per modū repetitionis meminisse, maior tamen pars doctorū in hāc cōcessit sentétiā, vt existimet Christū bis esse flagellatū, primùm emēdationis & pœnæ loco: vnde illum dimittere cupiebat

Luc.23. Pilatus, sicut Lucas & Ioānes cōmemorant: deinde postquā

Ioan.19. adiudicatus addictusq; fuit cruci, ex cōsuetudine Romanorum, qua nemo cruci affigebatur, nisi flagellatus, eamq; flagellationē Matthæus & Marcus descripserūt, sicut pulchrè

Augu. testatur sanctus Augustin⁹. ¶ At tu hinc disce magis timere deū quam homines, neq; metu humano falsa ferre iudicia,

Exod. 23 nec cōtra cōscientiā tuā iniquā dare sententiam. Innocentē

Deut.16. & iustū ne occidas, munera super innoxiū ne accipias excę-

2.Pa.19. cant enim etiam sapiētem. Timorē potius dei ob oculos habe perpetuò, & omnia fac cū diligētia. Quisquis autē pusillanimis adeò est, vt timori huic nō queat resistere, iis & sciat se iudicē esse nō posse, & officio iudicis se abdicet, sicut di-

Eccle.7. cit Sapiens, Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute ir-

Hiere 22 rumpere iniquitates, ne forte extimescas faciē potentis. Sic

Iudices. Hieremias quoque nos præclarè docet, inquiens, Facite iudicium & iustitiā, & liberate vi opressum de manu calumniatoris, & aduenam & pupillū & viduam nolite contristare, neq; opprimatis iniquè, & sanguinē innocentē ne effundatis. Aut nōne vicissim durum te iudicem putas habiturū, Pilate iniquissime, illum, quem iniustè adeò condemnasti? ¶ Discite parentes & præceptores liberos discipulósque vestros diris non deuouere, illis iuramenta temeraria nō intēdere. Quanuis enim tritum istud vulgi verbū, Diræ maternæ nihil mordent: eo quidē verum est: quoniam patum ex animo procedūt, tamen ista quoque imprecandi deuouendíque cōsuetudo omnino deponēda. siquidem non raròiurandi peierandíque exempla hinc sibi sumunt pueri, pluri-

mum verò etiã deus permittere poteſt, vt vera fiant quæ vel iocum vel ex affectu repẽtino matres imprecantur liberis, ſicut D. Auguſtinus omnibus ſeculis annotãdo & memorabili illo facto cõmemorat, in Cæſareã, Cappadociæ vrbe viduã referens fuiſſe quam decem ſui quos habebat liberi, vſque adeò exacerbauerãt, vt illa imprecatione ſua & diris effecerat, quod eos deus horrẽdo membrorũ omniũ tremore afflixit, quibus ita pudore conciuium motis, inque exilium aliis alio digreſſis, duo quoq; Hipponam peruenerunt (vbi cathedræ pontificali Auguſtinus præerat epiſcopus) Paulus cũ ſorore ſua Palladia. vbi cũ ad ſepulchrũ ſancti Stephani quindecim diebus ante feſtũ paſchæ ſanat' ille fuiſſet, atq; deinceps cũ diuo Auguſtino prãſus, totam ei hiſtoriã enarraſſet, matris & ſuorũ miſerãdã deploraſſet infelicitatẽ. Auguſtinus ſanatum iã fratrẽ, & tremulã adhuc ſororẽ toti populo palàm exhibuit: ſicq; tandẽ illa ad idem illud ſancti Stephani monumẽtũ priſtinę reſtituta eſt ſanitati. Vbi nũc ſunt neochriſtiani, ſanctorũ & electorum dei cõtemptores maximi, miraculorum quoq; dei, quæ hîc in illis operatur, calumniatores peſſimi? Audiant hîc Auguſtinũ, eorum quę vidit & audiuit, teſtem certiſſimum, ne amplius confeſſam impugnent veritatem. Ne itaque parentes diris ſuos deuoueant liberos. quis enim nõ abhorret à Iudęis, temerè adeò ſe filióſque ſuos pro ſanguine Chriſti oppignerantibus. *Aug. 22. de ciuitate dei cap. 8.*

¶Diſce quoque, ſi ſemel peccatorum tuorum ſpinis Chriſtum pupugiſti, & flagris cecidiſti, illum amplius nõ flagellare: ſicut fecerũt ſerui Pilati, rurſum profundentes ſanctiſſimum ſanguinem Chriſti. Id tu caue feceris, noua alia ſuper alia accumulãdo peccata: iuxta illud Sapiẽtis cõſilium, Fili, peccaſti? non adiicias iterum, ſed & de priſtinis deprecare, vt tibi dimittantur, Et ſuprà, De ꝓpiciato peccato noli eſſe ſine metu, & ne adiicias peccatũ ſuper peccatum. Poſtremò etenim ſi nos ſic vitam moréſque noſtros inſtituerimus, vt de præteritis peccatis cõtriti veniam ſuper iis impetrãtes non adiiciamus noua, ſed cuſtodiam de futuris ſedulam habeamus, nõ peribit ſanè in nobis ſanguis Chriſti: ſed erit nobis ſanguis precioſus & ſalutaris, emũdãs nos ab omnibus peccatis. Gratum porrò animũ deo exhibentes, & illi & pro amariſſima paſſione & morte gratias, quas poſſumus maximas agentes, oremus, Pater noſter, qui es in cælis, &c. *Eccle. 21.* *Eccle. 5.* *1. Ioan. 2*

QVOMODO CRVCIFIXVS SIT DOminus, & quæ ibidem circa crucem dicta factaque sint.

Quæ vtilitas in sanguine meo?

¶Rursus hîc cōsidera, quã ignominiosè eductus sit dominus, suam ipsius crucē humeris ferens pro peccatis tuis. Cōtemplare quid hîc miseriæ, quātū doloris & plāctus exhibitū sit. Meditare, quomodo lassus & iã inde à nocte media cōtinuis afflictionib' defatigatus ille, etiamnū tractat' sit hîc duriter, cōsputus, cōtēptus ab omnibus, totóq; corpore vulneratus: cū iam satis nō erat furori Iudæorū cernere sanctissima mēbra Christi vndique sanguine madētia, & cōpactas vulnerib' vestes, nisi grauissimã insuper crucis molē humeris eius imponerent. Vt figura impleretur, quia sicut Abraham præcepto dei pariturus, ꝓpriumq; suū filiū immolaturus, illi ligna imponebat ad sacrificiū cōsūmādū: ita quoq; æternus Abrahã, multarū gentiū pater, deus omnipotēs, filium vnicū suū pro genere humano per modū sacrificij cōsummaturus, crucē illi propriã baiulari permisit. ¶Et quanuis ignominia hęc ei maxia fuerit corã omni populo: iuxta illud legis, Maledictus qui pendet in ligno. tamē id quoque totum ordinatum à deo fuit in gloriam & honorē Christi. Sicque licet ignominiosa hæc crucis portatio apparebat, ferebat ille tamē eam tanquã magnificius triumphator & victor, in qua etiam nūc gloriamur omnes, in qua victurū se certò audiuit sibi dici ac ꝓmitti Imperator Constantinus. Signum hoc illud est, quo frōtes seruorū dei signari ab angelo Ioānes in spiritu vidit. Pręterea ipse quoq; crucē suã tulit Christus velut rex sceptrum, quia regnaturum à ligno deum iam olim prædixerat, tanquã iam factum, Psalmistes. Quo pertinet illud eregium & nobile euãgelici prophetæ vaticinium, Et erit principatus eius super humerū eius. Hîc nimirū princeps & vniuersalis totius mūdi dn̄s est Christ', huiúsq; adeò domini & principatus sui sceptrū habuit crucem, eò quòd in vestimēto suo descriptum est, Rex regum & dominus dominãtium. Ad extremum crucē ille ꝓpriam portauit, non secus atq; clauem præualidã, qua ianuam aperuit tum sacramentorum, tum regni cælorum, secundum quod olim deus per os ꝓphetæ sui fidelis dixerat, Quia dabo clauem Dauid super humerū eius. id factū hodie est, cū ipse suam detulit crucē Christus ad locum passionis. Eadem

Marginalia: Gen. 22. — Deut. 21. — Crux. — Galat. 6. — Apoc 7. — Esa. 9 — Apoc. 19. — Esa. 22.

porrò deinceps claue aperuit & limbum & cælum, nobisq; illam abiturus ipse reliquit, vt ea arcã aperiam' gratiæ dei. ¶Deinde tecum ipse quoq; recogita, quã lassus & fatigatus sub tãta crucis molle fuerit dominus: quę cùm per se grauis esset, innumeris adhuc magis grauabatur toti' mũdi peccatis: quæ quomodo nõ in terram vsque depresserint obsecro dominũ, sicut in illi' persona iam antè dixerat Dauid, Infirmata sunt genua mea & rursus in alio loco, Conturbatum est cor meum, dereliquit me virtus mea, & lumẽ oculorum meorũ, & ipsum nõ est mecũ. Pio affectu soliciti hîc sancti doctores anxiè omnia perquirentes, considerant impossibile hoc fuisse humanæ naturæ in Christo, tãta sufferre supplicia, tot pœnas, plagas, trusiones, verbera, tantumq; contemptum sustinere, dũ hinc inde traheretur & raperetur, veriùs quàm quod ducebatur ad Annam, Caipham, Pilatum, Herodem, rursusq; ad Pilatum, & tandẽ ad Caluariæ locũ fœtidissimum, nisi affuisset illi virtus diuina adiutrix & cõsolatrix perpetua: quæ tamẽ hîc cùm ei subtraheretur, quid mirum si sub graui crucis pondere succubuit, sicut per prophetam locut' est dominus, Ad pũctum in modico dereliqui te? Vidẽtibus hoc ipsum Iudæis, iamq; metuẽtibus, ne inter manus deficiẽs subitò moreretur, nõ quidẽ ex cõmiseratione sui, sed vt propriam implerent voluntatem in crucifigendo, baiulum illi crucis adhibuerũt Simeonem Cyrenæum. ¶Et tamen hîc quoq; latere non potens, euidenter se aperit diuinitas Christi, dum propheta fit, futuraq; prędicit, quem malefactorem credebãt omnes, in quem prona tota iam tumultabatur ciuitas, eius ille miserandũ excidium sexui vaticinatur muliebri. Iterũ hîc recogita, quãtis doloribus rursus exutus hîc dominus fuerit, quo furore adeptus crucіq; sit iniectus, manibus statim ac pedibus perforatus, & in crucem suffixus: vbi cũ vbertim sanguinis sui fluenta profudisset, impleta est prophetia Dauidis, Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea hoc est, adeò me totum extẽderũt, vt in numero ossa mea omnia habere poterãt. Sublata dehĩc & erecta in altũ cruce, impetuosè in paratam foueã deiecerũt. Hinc dolor Christo maximus, corporis totius viscerumq; omnium tremor, vulnerum renouatio, foraminũ in manibus simul & pedib' ampliatio maior. Cõsidera deinde immensam, in summa Iudæorum vesania,

Psal. 108 & 37.

Esa. 14.

Psal. 21.

Christi bonitatē tumultuātur isti: neque ex summa inuidia pœnis illi⁹ satiari poterāt, & īterim pro eis patrem orat ille, dicēs, Pater, ignosce illis, quia nesciūt quid faciūt. Hęc oratio ex sententia Augustini virtutē suā etiā deinceps in die Pētecostes manifestē exhibuit, quādo ex ei⁹ efficacia ad primum Petri sermonē tria milia Iudęorū baptizarentur, sicut & Paul⁹ illū in oratione exauditū refert pro sua reuerētia.

August. *Act. 2* *Hebr. 5.*

¶Contēplare porrò continuā istā Iudæorum peruersitatē, quæ ne quicquā haberent quod nō fraudulenter obiicerēt Christo, tēplum quoque exprobrarunt illi. Verū qui verbo cælum creauit & terrā, poterat & templū tantillū (si ad immēsam totius mūdi machinā referas) in triduo reædificare: quoniā iubere & dicere ei⁹ ipsum factū est: iuxta illud Dauidis, Ipse dixit & facta sunt, ipse mādauit & creata sunt. Neque verò hac vna obiectione cōtēti Iudęi, īsuper clamārūt, Alios saluos fecit, seipsum nō potest saluū facere. O cæcitatē Iudæorum, ô vos homines hominū omnium peruersissimos! veritatem, quam sequi nō vultis, hîc tamen pendenti in cruce domino cōfitemini. Nāque si ille verbo adolescētem resuscitauit defunctum in Naim, & quatriduanū iam ex sepulchro fœtentē Lazarum, quid ni etiam ipse de cruce potuerit descendere? Clamatis insanissimi Iudæi, vt descendat de cruce. nónne maius fuit miraculū & auribus vestris inauditū, quod tertia die clauso benéq; per vos obmunito resurrexit monumento, neque tamē etiamnū credere in illum vultis durissimi? Cōfidit ille sanè in deo, ideoq; & resuscitauit eum deus, vt inquit Petrus, solutis dolorib⁹ inferni Quod & Dauid in spiritu præuiderat, sic loquēs in persona Christi, Proposui dominum in cōspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne cōmouear. Propter hoc lætatū est cor meū, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniā nō derelinques animam meā in inferno, nec dabis sanctū tuum videre corruptionē.

Psal. 23. & 150. *Luc. 7.* *Ioan 11.* *Ambro. ..* *Act. 2.* *Psal. 15.*

¶Meditare præterea quā ignominiosum Christo fuerit, quod vilissima Pilati mancipia vestes Christi inter se diuiserūt, quas sine dubio illi sāctissima virgo manib⁹ propriis cōtexuerat. Siquidē non temerè id quoque spiritus domini prędixerat per os Dauidis, Diuiserūt sibi vestimēta mea, & super vestē meā miserunt sortē. Vestis hęc inconsutilis, ipsam inuiolatam designat ecclesiæ catholicę vnitatē. Vnde & Augustin⁹,

Psal. 21. *Augu.*

Quadripartita, inquit, vestis domini Iesu Christi, quadripartitã figurauit eius ecclesiã, toto orbe terrarũ diffusam. Tunica verò illa sortita, omniũ partium significat vnitatẽ, quę charitatis vinculo cõtinetur. ¶ Neq; adhuc satis erat opprobrij, quod Christo maledicti intulêre Iudęi, nisi insuper & latro peruersus illi insultaret. Verùm hic quoq; diuinitas sua in altero patuit latrone, qui manifestè videns insignem Christi patientiã pariter & innocẽtiã, quòd patrẽ suum pro crucifixoribus orasset, increpauit sociũ, Christóq; testimoniũ dedit innocẽtiæ, vnde voluntas illius bona declaratur. *Gregor. lib. 18. moral.* Manibus pedibúsq; suffixus in cruce pẽdebat, nihil in eo à pœnis liberũ, nisi cor & lingua remãserant. Inspirante itaq; deo, totum ei illud obtulit, quod in se liberũ inuenit. Dixit ergo, Domine, meméto mei cùm veneris in regnum tuum. ¶ Hìc autem admirari nescio magis, aut venerari cõueniat immẽsam Christi bonitatẽ, qui in cruce quidẽ pẽdens, non tamen vt qui torqueretur, sed tanquã rex magnificus feuda sua distribuẽs, dixit ad latronẽ, Amẽ dico tibi, hodie mecũ eris in paradiso. Vbi mirari tibi fortẽ succurret, quid paradisi nomine designetur. neq; enim cœlũ intellexit corporeũ, regnũ illud cœleste, quo ipse quadragesimo demũ die post resurrectionem peruenit. Sed ibi intelligunt nõnulli paradisum, ex quo primi parentes nostri fuerant expulsi. sicque putant Christum confracto limbo, patres sanctos inde ereptos in paradiso illo locasse, tantisper dum in die Ascensionis cum ipso ascenderent in cœlum. Alij interim opinẽtur, paradisum hìc intelligi aspectum essentiæ diuinæ, verũ vtique illud regnum cœlorum: quod quia nulli alligatũ est loco, ibi est, vbicunq; Christus est. sic Ambro. Vita, inquit, est esse cum Christo, quoniam vbi Christus, ibi regnum dei. *Ambro. super Lucam.* Quando igitur post Christum latro hic mortuus est, nõ in limbum patrum cõmigrauit, sed in momento ad Christum peruenit, vbi nõ caruit visione essentiæ dei. De hoc latrone multa habẽtur in euãgelio Nicodemi, qui eundẽ Dismam appellatum fuisse refert. *Dismas.* ¶ Disce hinc proximo tuo ex animo dimittere, vt sic tibi quoq; deus remittat peccata tua, sicut Christus hìc non dimisit tantũ crucifigentibus se, verũ etiam pro eis rogauit, quod demum est perfectorum, iuxta illud euãgelicũ. *Matt. 5.* Dico vobis, diligite inimicos vestros, bene facite iis qui vos oderunt. orate pro persequẽtibus & calũ-

niãtibus vos,vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt:qui ſolem ſuum oriri ſinit ſuper bonos & malos, qui pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.Magna & verè magna hæc eſt gratia alicui conceſſa diuinit⁹,qui ex corde ſuo dimittit proximo,ſicut oram⁹ oẽs,Dimitte nobis debita noſtra,ſicut & nos dimittimus debitorib⁹ noſtris. ¶Diſce deinceps bene vti inuicto illo titulo crucis Chriſti,Ieſus Nazarenus rex Iudæorum.ſcriptus hic quidẽ à Pilato, ſed tamen iam olim à deo præuiſus eſt,quo nomine eũdem Pilatus immutare nec auſus eſt,nec potuit.Titulus enim iſte, ipſe eſt quẽ oẽs formidant inimici Chriſti,à quo fugiunt, quem trepidantes abhorrent,de cuius vſu paulò pòſt videbitur. Diſce præterea tunicam domini inconſutilẽ non ſcindere, eccleſiæ ſcilicet ſanctæ vnitatẽ non diſſuere:quoniã deus vnus eſt,fides vna vnum baptiſma. deus vnus & pater omnium ſuper omnia, & per omnia,& in omnibus vobis. Nemo ſe ſeparet ab vnico iſto ouili Chriſti,niſi volet à lupis infernalibus diripi & laniari. Vſque adeò peiores ſunt neochriſtiani miniſtris Pilati,qui cũ Chriſtũ crucifixiſſent,huic tamen tunicæ pepercerunt,neq; tamẽ id diligẽter adeò propter tunicã tantùm, ſed ad noſtrã tum informationẽ,tũ ſalutẽ eſt deſcriptũ, vt alia pleraq;,Et quia illa vnitatem eccleſiaſticã ſignrauit,turpiſsimè errãt & peccant neochriſtiani iſti, alias ſuper alias introhucentes ſectas,quatũ nullus pene iam neque modus habetur,nec numerus,aliis Lutherũ ſectantibus,aliis Zuinglium etiam occiſum imitantibus,aliis Catabaptiſtarũ partes & errores fouentibus.Omnes ij ſectas introducunt perditionis:ipſi quoque amittunt fidem & charitatem omniáque dona,quorum diuiſiones à deo ſunt in eccleſia ſancta. ¶Diſce poſtremò,vel vltimo ſaltẽ termino pœnitẽtiam habere & agere de peccatis cõmiſsis,quod quanuis tum difficile eſt,tum periculoſum,quiſquis tamen eam habet, peruenit ad vitam. Quomodo Leo papa de nemine, dum viuit, deſperandum eſſe docet. Non carere autem hoc diſcrimine,vel Augu.ſatis magnus tibi teſtis erit,qui ad longum diſputans,multis modis nos adhortatur pœnitentiam agere dum valemus rectè,dum vires corporis ſuppetũt. ſiquidem quiſquis pœnitentiam dum ſanus eſt, differt eouſque dum iam morbo occupatus,extremos vix ducere queat ſpiritus, quum iam amplius peccare non poteſt, non peccata relin-

Mar.6 Ephe..4. Ioan.10. Rom.15. 2.Pet.2.

quir,sed ab eis ipse relinquitur. Et quanuis vel tarda etiam & sera melior est quam omnino nulla pœnitentia, periculosum tamen est atque damnationi multum propinquum, ad vltimum vsque spiritum differre pœnitentiã. Tarda quidem fuit latronis huius pœnitentia, sed nihil minus quam tarda peccatorũ remissio. Nos iam deum oremus, quatenus ante finem vitæ nostræ plenam nobis pœnitẽtiam donare dignetur, ne in nobis perierit sanguis Christi, sed prosit nobis ad vitã æternã. Dicatis orantes, Pater noster, qui es, &c.

DE IIS QVÆ SVB MORTEM CHRISTI, *& post eandem contigerunt.*

Etiam iamiam moriturus Christus, clamat ad peccatores, Quæ adhuc vtilitas in sanguine meo?

¶ Quid quantũq; hîc obsecro doloris habuit dominus, videns sub cruce stantẽ virginem matrẽ, nõ ignarus vtiq; implerũ esse iam tempus prophetię, quam Simeõ prædixerat, Tuam ipsius animã pertransibit gladius? Quid mirũ enim, si eò maior fuerit hîc passio Christi, dũ vltra suppliciũ crucis ex cõpassione matris adhuc cruciabatur? Præordinauerat autem tutorem virgini Iosephũ deus abæterno. is vidit quidem duodenẽ Christũ: triginta verò annos natũ, morte præuentus videre nõ potuit, aliâs ipse quoq; nuptiis interfuisset cũ Maria. Successit autem mortuo illi Christus, qui tantisper curam eius habuit, dũ & ipse iam moriturus eandem velut testaméto instituto, cõmẽdatam relinqueret charo discipulo suo Ioanni, quem nimirum intelligẽs, dicebat matri, Mulier, ecce filius tuus, qui vtut magnus fuerit sanctissimæ virgini dolor, ex mirabili illa mutatione, dũ tradi sibi videret pro deo hominem, pro magistro discipulũ: tamẽ aliquid in se habuit dulcedinis & suauitatis, filiũ in tãta iamiam imminẽtis mortis amaritudine, dolẽtissimę matris recordatum esse, curãmq; ei quẽ habebat dilectissimũ, demandare. ¶ Vicissim nũc Iudęorũ mihi cõsidera duritiem qui ne tantillũ quidẽ miserti Christi, cui iam cõdolebãt cœlum, terra, sol & luna, sicut idipsum Diony. tũc tẽporis adhuc infidelis existẽs, vidit & animaduertit in vrbe Heliopoli, quando dicebat, Vel deus naturę patitur, vel mũdi machina dissoluetur. Tertullian⁹ in Apologetico aduersus gẽtes, refert ethnicos scriptis istius eclipsis mẽtionẽ fecisse. Quicquid autẽ id est, cõstat & petras scissas, & terrã esse motam,

Luc. 2. *Ioan. 2.* *Tertul.*

pectora verò Iudæorum quibuslibet petris duriora, emolliri nõ potuisse, vt aliquantulũ Christo cõpaterentur: ad designandum quia lex eorũ, tẽplum quoq; & sacrificiũ, aliáque omnia finẽ habitura iam essent. Verũ eos quoq; malitia sua
Sap. 2 & peruersitas ꝓpria excęcauerat, sicut olim Sapiẽs præuiderat,
Ioan. 12 & deinceps ex Esaia inducit euangelista, Erige præterea aures cordis tui, & si paulò fueris attẽtior, audire videberis ipse tibi vocem & clamorẽ Christi horribilẽ, Eli, Eli, lamazabathani? quod est, Deus meus, deus meus, vt quid dereliquisti me? sicut ante aliquot secula spiritus sanctus prædixerat per os Dauid sui fidelis, Psal. 21. qui totus est de passione domini. ¶ Quęris autẽ, quomodo Christus à deo derelictus fuerit? ita ne vt turpiter simul & impiè nostro hoc infelici seculo neochristiani quidẽ blasphemantes deũ mẽtiti sunt, Christum quasi desperasse, aut alio quopiã modo? Proh pudor & dolor, adeò insanos esse nũc homines, vt nihil agnoscant? adeò quoq; cæcos esse principes quosdã qui blasphemos istos foueant? Porrò vt mittamus hæc, constans quorũdam doctorum sententia est, Christum hoc dixisse respiciẽ-
Hieron. do ad sensualitatem animæ suę, quã tunc deus interna cõsolatione priuauerat. Hier. dicit Christũ à patre derelictũ esse non propriè loquendo, sed illum tanquam derelictum exhibuisse se, cùm in tanta iã peruenisset supplicia, vt ab aliis quoque Iudæis verò maximè, pro derelicto haberetur. vnde & dicebant, Confidit in deum, liberet eum nunc, si vult. Omnia autẽ hæc prædicta olim fuêre, Esaias propheta ait,
Esa. 53 Putauimus eum quasi percussum à deo, & humiliatũ. Quid multa? nos quoq; dum videmus, & in Christo formam serui agnoscimus, hoc est naturã humanã, dum offensam crucis cõsideramus, minus mirari debemus cur dixerit dominus Vt quid dereliquisti me? id est, q̃d ita tot me suppliciis affi-
Augu. ci permittis, quasi mei planè sis oblitus? Sãctus Augu. putat
per Ps. 21 Christum hîc vidisse mẽbra corporis sui mystici à deo derelicta, qui sanè ꝑpetuus est sacræ scripturæ mos, vt quæ sunt
Actu. 9 membrorum capiti tribuantur: sicut & ad Paulum dixit dominus, Saulæ, Saulæ, quid me persequeris? Me inquit, cũ tamen nõ Christum, sed Christianos, Christi mẽbra perquireret. Sic autẽ dicit Aug. Quare me dereliquisti? quare hoc dicitur, nisi quia nos ibi eramus, nisi quia corpus Christi ecclesia, lõgè à salute mea verba delictorum meorum? quo-

modo dicit delictorũ meorũ, nisi quia pro delictis nostris ipse precatur,& delicta nostra sua deiicta fecit, vt iustitiam suam nostrã faceret iustitiã? Vnde & Raban*, Filius, inquit, dei factus est aduocatus noster, & quorũ suscepit culpã, deplorauit miseriã. Ita hic clamat se derelictum, nõ quòd ipse sed mẽbra sua derelicta conquereretur, vel aliquãdo derelinquenda, quorum nomine tãta ille sustineret supplicia. Tũc autem derelinquere hominẽ dicitur dominus. cùm in peccatum cadit sic, vt eum nõ statim deus iustificet rursus quomodo in tantã miseriã totũ semel collapsum est genus humanũ: vnde mors & quicquid erat emersit calamitatis. Eo pertinet quod in Psalmis Dauid dicit, De* reliquit eũ, persequimini eum & cõprehẽdite eum, quia nõ est qui eripiat. *Rabanus.* *Psal. 70*

¶ Possem hæc omnia ex eo psalmo, vnde verba illa domini sumpta sunt, ad lõgum dilatare & extẽdere, quando statim postea sequitur, Longè à salute mea verba delictorũ meorũ (quæ quidam dicunt Esdrã addidisse) neque possunt intelligi ista de Christo, qui (vt Petrus ait) peccatum nõ fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Sicut itaque non de proprio loquitur peccato, ita etiam nõ de illius agit remissione, sed vt pro nostro orat peccato, sic de nostra queritur derelictione. Verè enim corpus Christi pendebat in cruce, & corpus Christi mysticũ ipsa est ecclesia sancta dei ¶ Sed & alterum Christi verbum auribus cordis tui percipe, Sitio. Vbi quanuis certò certius est Christũ maximã habuisse sitim ex tantis cruciatibus atque doloribus immensis, eò quòd iis qui torquentur, sitis molestissima est, vt nõ fuerit hæc minima afflictio Christi: voluit tamen per hoc impleri scripturam illam, In siti mea potauerũt me aceto. Insuper quoque maximã ista sitis fuit, quam habuit de salute animarum. *1. Pet. 2.* *Psal. 21* *Psal. 88.*

¶ Considera præterea, quanto clamore dominus Iesus spiritum suum in paternas manus commẽdauerit. Neq; enim cygnus est homo, qui claro clangore queat subtracto iã spiritu inclamare, sicut hîc Christus virib* omnib* iam exhaustus exclamauit, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. O mortem præclaram, ô inclytam, atque ô felicissimam mortem! Tu verò insuper contemplare admirandã & stupẽdam sanctissimi sanguinis profusionẽ è corpore mortuo, cùm tamen aliàs naturaliter corpus demortuum frigescat, exanguefiat, spiritúsque vitales in eo omnes diffluant

atque intereāt. Verus itaque Christi sanguis hic, in mortuo
Ambro. illius corpore miraculosè est cōseruatus. Sic Ambrosius super Lucā, Aduertam⁹, inquit, ꝙ licet corporis Christi fuerit natura mortis, licet qualitas similis, dissimilis tamen gratia: nam vtiq; post mortem sanguis in nostris corporibus cōgelascit, ex illo aūt incorrupto corpore, sed defuncto, omniū vita manabat. Viuid⁹ ergo iste Christi sanguis duo operat⁹ est, clarū Lōgini aspectū: qui q̄uis latus Christi nō ita bono aperuit affectu, volēs per hoc placere Iudæis, sicut & reliqui serui Pilati, tamen qn̄ de sanguine Christi emanāte oculos suos liniuit admiratus stupēdū illum sanguinis effluxum, sanatus est, vitamq; suā deinceps in Cæsarea Cappadociæ finiuit martyrio ꝓpter confessionē nominis Christi, illiúsq; ideo festū ex more ecclesiæ Romanę celebratur die 13. Martij. Alterū quòd hîc exhibitū est miraculū, illud est, quia ex
Aug. de orig. ani. ad Renatum lib. 1. c. 9. sentētia Augustini guttulæ sanguinis asperserūt corp⁹ latronis alterius. Ait enim, nō dici incredibiliter, latronē, qui tūc credidit, iuxta dn̄m crucifixū, aqua illa, quę de vulnere lateris ei⁹ emicuit, tāquā sacratissimo baptismo fuisse ꝑfusum.

¶ Inter cætera ipse quoq; tecū pio affectu contēplare, quot homines ex tātis, quæ hîc exhibita sunt miraculis, emēdati sint & cōuersi, pulsantes pectora sua in signū cōttitionis & fidei. Indurati autē & obstinati homines, cuiusmodi adhuc nostrates sunt neochristiani, nullis poterāt miraculis ad fidē adduci. Quantū itaq; sanguis Christi vtilitatis in bonis inuenit, tantu obstaculi & impedimenti habuit in malis: qui, quia misericordē illū habere dominū recusārunt, ferent aliquādo iudicē æquissimū, quādo ad inferos detrusi, vermen habebunt nō intermoriturū, & ignem sustinebunt qui non
Esa. vlt. extinguetur. O domine Iesu Christe, misericordiā & gratiā nobis dona, quatenus tecū cū latrone manere possimus in æuum, Amen. ¶ Disce autem ex iis tu parētes colere & obseruare, eisque de necessariis ꝓuidere, neq; id tantū simpli-
Exod. 20 citer ex præcepto dei, sed ex hoc Christi exēplo, in extrema etiam necessitate, eorū meminisse, aut quis vnquā filius in maiore fuit anxietate & solicitudine, quā hic pēdēs in cruce Christ⁹! & tamen matris ille suæ, ne tum quidem obliui-
August. sci potuit, imo ex sentētia Augustini hęc illa extitit hora, de qua Iesus aquā cōuersurus in vinū, dixerit matri, Quid mihi
Ioan. 2. & tibi est mulier? nondū venit hora mea. Hanc itaq; horam

prædixerat, in qua deberet agnosci à matre moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Operaturus itaq; miracula, diuinã respiciebat naturã, secundũ quam etiam illa faciebat: quam à patre habebat, ad matrẽ nihil pertinentem. Deinde cùm iam flagra, spinas, clauos, crucem & lanceam sustinere volebat, omnia hæc secundũ humanã carnem, quam ex virgine matre sumpserat, passurus matrem suam meritò agnouit, illius meminit, eandem quoq; suo cõmendauit Ioanni. Ad eundem planè modũ nos etiã parentũ curã habere debemus: quia quisquis suorũ curã non habet, fidem negauit, & est infideli deterior, ait Paulus. Disce deinde pauperibus morti adiudicatis misericordiam exhibere, & recreationẽ impartiri. Quod olim quoq; pij homines faciebant Hierosolymis, qui addictis morti vinũ porrigebant, plurimáque omnis generis cõfortamẽta subministrabãt, iuxta illud Sapiẽtis consiliũ, Date siceram (id est, omne illud quod inebriare potest) mœrentibus, & vinũ iis qui amaro sunt animo, vt bibãt, & obliuiscãtur paupertatis suæ, atque doloris sui non recordentur amplius. Neq; deerant tunc qui potiones confortatiuas domino continuis hactenus suppliciis tãtùm non penitus oppresso miserunt: verũ quod nũc fieri potest, & proh dolor non rarò solet, epotabãt vinum illud lictores & apparitores, Christo pro illo porrigẽtes acetũ, sicut prædixerat Amos, Vinum dãnatorũ bibebant. ¶ Disce porrò & piũ esse & conducibile, corã moriẽtibus vel etiam iam demortuis, psalteriũ decantare vel legere: quæ etiamnũ apud catholicos durat consuetudo, ex hoc christi exemplo traducta. Quia quãdo legitur dixisse, Deus meus deus me', vt quid dereliquisti me, sanctus Hieronymus vult eũ psalmum illum totum ad finẽ vsq; perorasse, ac deinceps illum quoque, In te domine speraui, tacitè orando ad illũ versum perduxisse, In manus tuas dñe commẽdo spiritũ meum: Ita vt sic dñs noster Iesus Christus spiritum sanctissimum suũ inter orationes sedulas tradiderit, cum clamore, lachrymis & sancti capitis inclinatione. ¶ Disce postremò animã tuã, spiritúmq; tuum cõmẽdare in manus dei patris, sicut Christus fecit. Aut si adsis ipse morientibus, idem tñ tu fac illi' nomine: siq; animę tuæ curã & rationẽ habes, fac hoc quotidie tum è lecto surgẽs, tũ cubitũ abiẽs quãtulũ ẽm hoc est tẽpusculi, quo id facere poteris, tantũq; dicere, Dñe, in ma-

1. Tim. 5.

Pro. 31.

Amos.

Hierony.

Hebr. 6.

nus tuas cõmendo spiritũ meũ? Nihil est hoc, si conferas ad ea, quæ sacerdotes ex officio in reliquis orationibus suis tenentur persoluere. Tibi verò molestum erit. hæc tam parua dicere? 1 In nomine patris & filij & spiritus sancti.

2 Iesus Nazarenus rex Iudæorum, Titulus triumphalis defendat & custodiat nos ab omnibus malis.

3 Sancte deus, sancte fortis, sancte immortalis & misericors deus, propitius esto mihi miserrimo peccatori.

4 Domine Iesu Christe, tibi laus & honor, tibi gloria in secula, pro amarissima tua passione & morte.

5 O domine Iesu Christe, misericors & propitius sis parẽtibus meis, benefactorib⁹, fautoribus, amicis omnibus viuis & defũctis, illisq; pro qb⁹ me vis velle & debere orare, &c.

6 Iesus Maria Ioannes, Iesus Maria Ioseph, Iesus Maria Anna. 7 A subitanea & improuisa morte libera nos domine Iesu Christe. 8 In manus tuas domine commendo spiritum meum, redemisti me domine deus veritatis.

9 Domine Iesu Christe, miserere animæ meæ, quando emigratura est de corpore meo.

10 Maria Mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe.

11 Angele sancte dei, cui⁹ custodiæ deputatus sum miser, protege me ab omni malo, ab omnibus hostibus meis, defende me, & tecum me perduc in locum felicitatis æternæ.

12 Sancte Michael, S. Gabriel, S. Ioannes, S. Petre, S. Paule, S. Iacobe, S. Sebastiane, S. Christophore, S. Maurici, S. Achari, S. Augustine, S. Chrysostome, S. Martine, san. Gregori, S. Vuolffgãge, S. Leonarde, S. Roche, S Anna, S. Magdalena, S. Barbara, S. Catharina, S. Apolonia, S. Otilia: oẽs sancti angeli & archãgeli, vosq; omnes sancti & electi dei, orate ꝓ me. Hic quisq; suos peculiores imploret patronos.

13 Domine, requiem æternam dona defunctis, & lux perpetua luceat eis. 14. O domine Iesu Christe, propicius & misericors esto mihi in illa tremenda nouissimi iudicij hora, da mihi tunc cum omnibus electis tuis gaudium verum & lætitiam vitámque sempiternam.

¶ Sit nomen domini benedictum vsque in seculum. Adiutorium nostrum in nomine domini, qui fecit cœlum & terram, Amen. Hæc & huiusmodi quædam alia quilibet pro animi sui deuotione permutet, prout illum spiritus

ſanctus edocuerit. Et poſtremò diſce & cognoſce ſacramen ta omnia, vim virtutémque ſuam fluxiſſe hinc ex latere domini noſtri Ieſu Chriſti. ſicut enim quondam ex latere Adæ præuaricatoris creata eſt Eua, ita nunc altera Eua, eccleſia ſcilicet catholica, nata eſt & creuit ex ipſo latere Chriſti cœleſtis Adæ, qui & ipſe obdormiuit per mortē in ara crucis. Verùm de hac re aliâs. *Gen.2.*

CONCLVSIO PASSIONIS HVIVS.

¶ Iam igitur dilectiſſimi in Chriſto fratres admonitos vos volo, vt piè, idque profundè, contemplemini paſſionem & mortem domini noſtri Ieſu Chriſti. Conſiderate obſecro ſudorem ſanguineum, captiuitatem & cōtemptiſſimam illuſionem, quomodo truſus, raptúſque huc & illuc miſerè ſit impulſus ille, dum ad Annam primùm, deinde ad caipham, Pilatum & Herodem duceretur: qua inuidia, quo furore, qua veſania vbique ſit accuſatus. Ad animum tuum reuoca, quàm miſerabiliter innocentiſſimus ipſe ſit flagellatus, quàm crudeliter coronatus, quàm miſerè morti turpiſſimæ adiudicatus, quàm ignominioſè coram omnibus ſub grauiſſima crucis mole exierit iam condemnatus, veſtibúſque ſuis ſpoliatus, cruci iniectus, & eidem clauis affixus duriſſimè: ex illa pependerit omnium ſannis, eluſionibus & ſcommatibus expoſitus, à miniſtris ſimul & magnantibus Iudæorum deriſus, latronis peruerſiſſimi cauillo & calumniis obiectus. Quódque dolorem ei omnium vel maximè auxit, ibidem dolentiſſimam matrem cruci aſtantem: quæ plus pœnæ & afflictionis ibi ſuſtinuit, quàm omnes poſt eam martyres. Quo etiam nomine meritò plus omnibus martyribus honoratur, quoniam inter reliqua ſupplicia dilectiſſimum illum filium ſuum felle & aceto potatum vidit, audiuítque eundem cum lachrymis & clamore valido in manus paternas ſuum tradere ſpiritum. Hæc omnia ne ad momentum quidem recedāt à corde tuo: pro te enim ille ea ſuſtinuit omnia, pro te captus & ligatus eſt: peccata tua illa flagra ſunt, quibus cæſus eſt dominus: ſpinæ etiam iſtæ, quæ ſanctiſſimū eius caput pupugerunt, peccata inquam tua ſanguinem CHRISTI profuderūt, ſicut præuidit propheta Eſaias. Vere languores noſtros ſuſtulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Exiſti- *Adde Bernar.* *Eſa.53.*

mauimus eũ tanq̃ leprosum, pcussum à deo & humiliatum. Vulneratus est ꝑpter iniquitates nostras, attritus est ꝑpter scelera nostra. Quis ergo tam ingratus erit, qui cum videat propter se tanta sustinuisse filiũ dei, non vicissim omni cura & diligentia gratias agere laudésque debitas illi cantare laboret: ne fortè de eo conquerens ille dicat, Quæ vtilitas in sanguine meo? Et nos itaque nunc & semper pro tantis suppliciis gratias illi agamus maximas, iã verò eò maiores, ꝙ memoriale mortis & passionis suæ nunc suscepimus eucharistiam sanctam, vt sic gratiæ pręsentis hîc participes, & gloriæ æternæ fiamus cõsortes. Id adeò tu christe solita bonitate præstare dignare, per ardentissimã tuam erga genus humanũ charitatẽ, qua vt animæ tuæ nõ pepercisti, quin eã dares in redemptionem pro nobis, ita per eandẽ misericordiã nobis quoq; illam tuã cõcede pius ac propitius, Amen.

PASSIONIS HVIVS FINIS.

¶ Animus erat plures passiones huc annectere: quia quatuordecim equidẽ me memini prædicasse, sed me iam parãtem deterruit futuri operis, quod sic mihi crescere videbatur in immensum prolixitas. Tantum igitur variãdi modũ & formulam hîc visum est adscribere. ¶ Aliâs nanque passionẽ ad septem horas canonicas contraxi. Aliâs ad ea quæ Christus corpore animo & spiritu passus est: aliâs adhibitas similitudine sex alarũ Cherubin: aliâs etiam, quomodo ad exemplum passionis Christi nos crucem nostram tollere conueniat Lucæ 9. Interdum quo pacto audire hîc debeat: filia, hoc est anima fidelis, quę dicta sunt: aliquãdo verò quomodo nos omnia hîc perlustrãdo quæ pass' est Christus, & spiritualia quædam considerare debeamus, aliâs sub parabola septem mulierũ, quę cõprehenderũt virum vnum, aliâs adducto in hoc themate illo, Deus meus, de' meus, vt quid dereliquisti me? & aliis multis modis, quos hîc singulos percẽsere molestum fuerit, atque ex superioribus duab' passionibus cuique promptũ est idem tentare. Nunc tãtùm passionem secũdũ euãgelium Ioãnis breuiter visum est explicare, vt qui libet amplissimam habeat ex scripturis sacris super hac re dicendi materiam, possitque huius modi quædam sub conuenienti textu vel præfatione inducere.

Multę rationes applicandi. seu prædicandi passionem. *Psal. 44.* *Esaiæ 4.* *Mat. 27.* *Iob 39.*

IN NOMINE TVO DVLCIS IESV.

PRÆ-

¶ PRAEFATIO IN EVANGELIVM IOANNIS DE PASSIONE CHRISTI.

¶ *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis sicut dolor meus.* *Thren. 1.*

Verba sunt ex planctu Hieremiæ desumpta.

ERige in meditullio cordis tui, ô homo, qui verè Christiano titulo gaudes, crucem signaculum illud passionis Christi, imo ipsum etiam crucifixum Christum erige: qui sanguinem sanctum suum hodierno die vbertim voluit profundi in sudore, inter flagra, sub capitis durissima corona & aliâs sæpius. Roga dominum, vt ille vel guttulam saltem sanguinis sui stillare sinat ad emolliendum cor tuum, ne semper frigidum illud & durum permaneat: quia cor durum male habebit in die iudicij. Id adeò ille ipse ex te vel durissimo petit, qui dolores tantos sustinuit, quantos non sustulit homo, qui vnquam spirauit super terram. Eò respiciens etiam in Eucharistiæ institutione. Hoc, inquit, facite in meam commemorationem. Memento igitur, ô homo, passionis illi', recordare subinde peccatorum tuorum, quę nisi essent ad mortem non pro eis filius dei mereretur. Aspice, infelicissime peccator, pendentem in cruce Christum, deum, conditorem, saluatorem & redemptorem tuum. Vide caput quod adorant angeli, præacutis spinis vrgeri, vide oculos sole nitidiores iam caligantes, os aspice quod docet angelos aceto & felle potari. Considera faciem, in quā sancti & electi dei omnes desiderant prospicere: ea iam spūtis maculatus fœdissimis, alapis turpissimè cæditur. Manus sanctisimæ, quibus cœlū & terra totúsque adeò mundus fundatus est clauis affixæ, mirabiliter extenduntur: pedes qui mare calcauerunt, duriter transfodiūtur. Neque omnia hæc quantumuis maxima, sufficiunt: cor ipsum quoque, in quo thesauri sapientiæ & scientiæ dei latebant reconditi, in quo ardens illa in genus humanum delitescebat charitas, lancea percussum aperitur. Quid multa? Totū en hîc mihi Christū aspice, qui pro te mortuus est, quā nihil omnino in toto illo liberum præter linguam: qua etiā hic elocutus est immēsa dei mysteria, qua pro persecutoribus suis rogauit deum: ostendens quoque desiisse iam vetus testamentū, latroni paradisum promisit. eadem etiam dolentissimā matrem dile-

Eccle. 2. *Luc. 22.* *Bernard.* *Lingua Christi.*

ctissimo suo cõmendauit discipulo. Eadem quoque, quam solam ex omnibus totius corporis suis mẽbris liberam habuit, lingua, sitim salutis generis humani expressit. eadẽ denique spiritum sanctum suum in manus patris cõmẽdauit. Sicque adhuc nos alloquitur, volens nos ad cõtemplãdam passionis suæ acerbitatem adducere, O vos, inquit, omnes, qui transitis per viam. Hinc illa pia & laudabilis cõsuetudo, vt in triuiis passim & omnibus cõpitis, ante portas quoque ciuitatum crux Christi erigatur, omnésque prætereuntes admoneat & velut rapiat ad amorem Christi & meditandã passionem eiusdem. Quilibet ergo crucifixi videns imaginem; sic cogitet tanquam ex cruce loquentem, illum audire videatur & dicentem. O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor similis sicut est dolor meus. Pater noster.

¶ DE CAPTIVITATE CHRISTI, ET QVÆ CIRCA EANDEM CONTIgerunt, ex capite Ioannis 18.

TEXTVS PRIMVS.

Mat. 26. Mar. 14. Luce. 22. *IN illo tempore, Egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrẽtem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius. Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum, locum istum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cùm accepisset cohortem & à pontificibus & pharisæis ministros, venit illuc cum laternis & facibus & armis.* Matt. 26 Mar. 14. Luce. 22. *Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit & dixit eis, Quem quæritis? Responderunt ei, Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus, Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Iesum Nazarenum. Respondit Iesus, Dixi vobis quia ego sum, si ergo me quæritis, sinite hos abire. Vt impleretur sermo quem dixit, Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam.* Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dextram. Erat autem nomen seruo Malchus. Dicit ergo Iesus Petro, Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum?*

DEum immortalem, quàm sublimi volatu aquila hæc prouolat! quàm commodum dedit sanctissimus euangelista narrando Christi supplicio principium, Egressus, in quiens, est Iesus! quasi dicat, imminente iam illo temporis articulo, quo pati Christus volebat, vltrò exiuit, vt ab hostibus capi posset: quorum manus antea sæpius effugerat, cùm nondum aderat tempus passionis: iam tandem appropinquante hora, ipse egressus est. siquidem nunc venerat hora vt transiret ex hoc mundo ad patrem. *Ioan. 7.*

¶Egressus igitur est trans torrentem Cedron. Per torrétem *Ioan. 13.* autem passio Christi designatur: vnde ille torrentis transitus, suppliciis imminentibus dare videbatur initium. Nam qui propè montes habitant, pene quotidie experiuntur, feruente sole & increbescente pluuia, niues resolui & turbidas aquas exundare vndique. Ita hîc Christus feruore diuinæ charitatis, æternæque & perpetuę adeò veritatis lumine accensus, flumina sustinuit passionis: sed vltrò & volens quidem, non inuitus. Egressus itaque trans torrentem supplicij peruenit ad fœlicitatem æternam. Quod & Dauid in spiritu designare volens, dixit. De torrente in via bibet. bibit enim *Psal. 109.* calicem passionis quem susceperat. Hoc ipso autem caput suum exaltauit, dum semet humiliauit, patri suo factus obediés vsque ad mortem: ideóq; etiam exaltauit eum deus, & dedit ei nomé super omne nomen. *Philip. 2.* ¶Egressus inquã, est Iesus trans torrenté Cedron, hoc est, caliginis siue tenebrarũ: quoniam ibi arbusta & spineta erant vndique, atq; ideo caligo, quæ non malè cõgruit supplicio Christi. Nam & illud quod captus est Christ⁹ in primordio passionis suæ, primóque adeò gustu eiusdé tenebras istas atq; caliginem inscitię & ignorãtię designat: quod intelligens Christus, capiétibus se dixit, Quotidie apud vos eram docens in templo, & non *Luc. 22.* me tenuistis, sed hæc hora vestra est, & potestas tenebrarũ. Veruntamen in cruce quoque pendens, ignorantiæ huius tenebras declarauit, dum pro crucifixoribus suis oraret, Pater, dimitte eis, quia nesciunt quid faciunt. *Lucæ. 23.* ¶ Quod autem sibi hoc vult obsecro, quod discipulos quoque suos secum assumptos duxit trans torrenté illum: illud nimirum, quoniã & ipse ex eodé bibituri erant flumine passionis, sicut filios Zebedæi interrogauit, bibere ne possent ipsi quoq; calicem qué ipse bibiturus erat, neque inficias tunc ibant illi. *Matt. 20*

Idem eis post cœnam etiam prædixit, inquiens, Non est discipulus super magistrum. si me persecuti sunt, & vos persequentur. In huius rei figuram iam olim Dauid trans torrētem profectus esse legitur, cum proprij filij sui Absalonis persecutionem sustineret, coactās hac persecutione cū suis ex torrente bibere, iam senex & vetulus. Quāobrem Dauid Christum, Absalon autē Iudā significat. Quāuis & idipsum morali nō caret sensu, quod discipulos sibi suos Christ⁹ adiunxit comites, vt eosdē haberet testes certißimos, quia voluntariè se in mortē obtulerit, quia iis obuiā ierit, quia verbo in terrā eos deiecerit, dum præsidiū Petri recusaret. Potest inde quoque huiusmodi doctrina colligi, vt hoc exēplo Christi discant parentes liberos suos, præceptores discipulos secū in tēplum adducere, ad sermones cæteráque diuina officia. Ecce enī aquila pullos suos assuefacit recto aspectu intueri solem, quem quisquis nō aspicit rectus, miniméque auerso vultu, eum pro suo non agnoscit. Leo quoq; in prædam & rapinam leunculos suos adducit, quorum quicūque fortem & expeditū se nō præbet, vel vngulis cōpressum necat. Sic itaque & Christus suos secū assumpsit discipulos, à quib⁹ (quia diuersæ sortis erat) Iudas aberat, neq; id christū latebat. siquidē faciebat iuxta illud Moysis, sicut aquila prouocans ad volandū pullos suos & super eos volitans expandit alas suas, ita Christus orare simul & supplicia subire volens, vt in vtroque imitatores sui haberet apostolos, eosdē secum eduxit. ¶ Et vide quā propriè hic euangelista describit fuisse hortū ibidem: quia hortus, à quo salus nostra originem sumpsit, paradisum referebat: vt sic qui olim cecideramus in horto paradisi, nūc rursus videremus in horto salutarē paßionem sumpsisse initiū: vt vnde perditio nostra orta fuerat, inde sal⁹ exordiū susciperet. In hoc horto lignū vitæ Christus erat, Iudas serpens. Et quod Iudas cum cohorte quam adducebat, cecidit retrorsum, lapsum significat & ruinam serpentis, hoc est, diaboli cū sociis suis. Nimiū verò hîc diu immoramur. Quāuis enim aquila hęc cœlorū arcana superans, verbum nullū frustra posuit singula tamē ponderate exactiùs, & longum nimis & fortè futurum erat molestius. Itaque cū sancto Augustino iis quę manifesta sunt, ne immoremur. vbi hoc opus est, causa poscente, faciamus.

1 Neque verò egressus dominus hortum intrauit, quasi,

2. Reg. 15 · *Similia.* · *Ioan. 6.* · *Deut. 32.* · *Theophy.* · *Gene. 3.* · *Augu super Ioā.* · *Cyrillus.*

pasionem fugiturus: sed vt ibidem à Iuda faciliùs inueniri
posset, qui & hortum nouerat, & eò frequenter dominū venire
solitum ad orationem non ignorabat. Vbi primùm retruduntur
neochristiani, qui nullum locum præ altero eligentes,
omnes iuxtà orationi aptos dicunt esse & idoneos.
Cōtrà fecit Christus, per aliis locis montem hunc Olíueti,
veluti peculiariter suę dicans orationi. Deinde hinc tn quoque
disce, in magnis festiuitatibus aliquāto plus magísque
piè orare, quia idem hîc fecit Christus. Disce præterea (cōtra
scismaticos) manè surgere, matutinis ĭteresse, peruigilare,
pia esse & Christianis digna officia: & Christus plerunq;
noctu in hortum hunc venit oratum, idipsum non ignorás
Iudas, sui similes sibi adiūxit, eiusdem impietatis socios ser
uos Romanorum: quos & ipsos Iudæi corruperant, pecu- *Theophy.*
niísque imperrarant, vt se iuuarent. Militaris enim ordo, au *Aurea*
ri mancipium est. ¶ Solerter etiam illud ideo præcauerant, *sententia.*
ne quis se in capiendo impediret, absterritus Romani præsidij
præsentia: & ne quicquam deesset, pontificum quoque
& pharisæorum seruos in comitatū assumpserant, vt ne quis *Ioan. 6.*
se ob legem Mosaicam conatibus eorum opponeret. ¶ Vidēs
aduenisse iam tempus suum dominus, obuiam perrexit
aduenientibus, qui antea properantes ipsum creare regem
procul fugerat. Nunc vltrò se eis præbens, quem quærant,
etiam interrogat. illi respondent, Iesum Nazarenum. non
inquiunt, Teipsum volumus, te quæsitum aduenimus. quia
nec voce illum norant, nec specie. Vides igitur, ait Chryso- *Chrysost.*
stomus, vim insuperabilem, quomodo in medio existēs eos
cæcauit. Quod enim non tenebris id noctis cōtingeret, ostendit
euāgelista, cùm dicit eos faces habuisse, quas nisi ha
buissent, saltē voce cognit⁹ esset. Quòd si illi Iesum ignorabant,
nō tamen Iudas ob cōtinuam cū eo cōsuetudinē. In- *Cyrillus.*
terrogat autē quē quærāt, nō quod ignoraret, sed vt eos argueret.
qui nec cognoscere quidē poterant ipsum: sicq; nos
doceret nō potuisse se capi, nisi vltrò se quęrētib⁹ obtulisset
¶ Respondit ergo dominus, Ego sum. Et subitò regredientes,
ceciderunt retrorsum. Quanta erit obsecro tum maie- *August.*
stas, tū potētia Christi venientis ad iudicium, qui tam potēs
extitit in prosternendis hostibus, cùm iudicari vellet?

2 Et quoniam hîc mortales prostrati corruerūt ad vocē
Christi, ita ad eandē in die nouissimo etiā mortui resurgēt. *Ioan. 5.*

3 Non temerè quoq; ceciderunt retrorsum, quoniam id
Psal. 39. ipsum Dauid quoq; in persona Christi prædixerat, Conuertantur & erubescant simul qui volunt mihi mala. Conuer-
1. Re. 4. tantur retrorsum & erubescăt valde velociter. Sicut Eli de
Esa. 28. sella legitur decidisse: simile quiddă habet & Esaias, dicens,
1. Re. 29. Vadant & cadant retrorsum. Boni verò antrorsum procidũt
Luc. 5. in faciem suam, sicut hîc Christus in monte Olyueti, sicut Abigail coram Dauid, & Petrus procidit ante dominum.

4 In hodiernum quoque diem retrorsum abeunt Iudæi, quantumcunque clamet dominus, Ego sum, Ego sum quẽ quæritis Messias. tamen instar cancrorum retrocedunt ad Antichristum, nolentes nec agnoscere, neque recipere Christum. neque sic retrorsum ambulant tantùm, sed & in barathrum præcipites cadunt damnationis æternæ.

Cyrillus. 5 Præterea signum quoque futuræ gentis Iudaicæ casus, hic ministrorum casus est: neq; in hunc vsque diem semel col lapsa resurrexit synagoga Iudæorum, quemadmodum
Hierem. fore prędixit Hieremias, Cecidit Israel, & nemo est qui excitet. Ita cadunt, & hactenus quoque ceciderunt omnes ad-
Cyrillus. uersarij verbi dei, hæretici omnes. ¶ Porrò Christus quoniă semet obtulisset in mortem, suos tamen tutatus est discipulos, Sinite, inquiens, eos abire. Qui tam paucorum in tali tempore curam habuit, quomodo innumerabiles fideles non proteget? Omnipotẽs fuit illud verbum Christi: vnde & Iudæorum compescuit furorẽ, aliâs quomodo Petrus solus in gladio percutiens, euadere tam potuisset multitudinem? Verum virtus diuina verbi illius ipsum protegebat. O quoties ab infinitis periculis nos deus custodit & ignaros, & tale nihil præcauentes. Sicut ergo verbum illud dei Iudæos prostrauit, ita pari virtute discipulos ab eorum vesania potuit eripere. ¶ Disce hîc peccatorem, nisi cõuerti nolentem, non perire, quia apostoli iamiam fugituri & per fugam peccaturi erant: tamẽ de ipsis dicit Christus, non amisisse se quenquă. siquidem dum sperabatur, imo apud Christum certa erat illorum conuersio, nullus eorum perierat.

Mat. 10. 3 Quum verò audis, quia Petrus Malcho auriculă abscidit, mirari forsitan posses, vnde hîc Petro gladius cõtigerit, quădo discipulis suis iam antè præceperit Christus, nec peram gestare nec virgă, tantum abest vt gladium illis permiserit. Verùm quidem est, id ita eis præcepisse dominum,

quando eos prædicatum abblegauit: sed tamẽ hoc ipsum in necessitatis casu sustulit, dicẽs, Quando misi vos sine marsupio & pera, nunquid aliquid defuit vobis? Nunc autẽ qui habet marsupium & perã, tollat eam: & qui non habet gladium, vẽdat tunicã & emat. Hoc ipso docere nos voluit ille tempore periculoso licere etiã ministris, suis vt sese armis instruant verùm quomodo pugnare debeant, statim audiemus. Disce hîc non malè facere ecclesiã, dum pro temporũ opportunitate aliquid in cõsuetudinibus & legibus mutat & variat. Quondã cõiugatus poterat sacerdotari, nunc non item. Olim legitima ętas eorum qui ordinari debebãt presbyteri, erat triginta annorum, nunc vigintiquatuor tãtùm. Hîc Christus etiam arma eorumq; vsum ante hac apostolis prohibitum relaxat, & cum eis dispensat. Antea vetuerat, ne abirent in vias gentium: deinceps idipsum eis mãdauit, ascensurus iamiam in cœlum: idem quoq; peculiariter præcepit Petro, qui illud primum nó satis acceperat. Peccãt igitur neochristiani & turpiter errãt, dum ecclesiã atq; cõcilia reprehendunt, super eiusmodi legum & constitutionũ alteratione. Neq; est quòd hîc cõfugiamus ad excusandum Petrum, qui gladiũ hũc portauerit in vsum agni paschalis, vel insidias veritus, vel quòd gladiolus tãtũ siue pugio fuerit piscatorius: quia iam antè Christus eos præmonuerat, euidẽtem & vrgentẽ ipsis significãs necessitatẽ. quamobrẽ & ipsi dicebãt ecce duo gladij hîc. Vidẽs Petrus vnico Christi verbo perculsos prostratosq; esse Iudæos, plenus ipse tũ confidẽtiæ erat, tum feruoris, audiensq; Christũ dicere, Sinite hos abire, ratus iam instare tempus vindictæ, percussit seruũ pontificis: & ita percussit, quasi qui caput illius mediũ dissecturus esset, verũ singulari ordinatione dei tãtùm præscidit auriculã. Atq; sic (inquit Aug.) permissus fuit Petrus dolorẽ facere, nõ occidere. & in alio loco, Petrus errans in amore domini, seruo, nõ libero auriculã abscidit. Neq; id tamẽ suo caret mysterio: quia enim seruũ percussit, designat eos qui sub lege Moysi viuebãt, & seruos fuisse, & seruilem habuisse timorẽ. Atqui nos iã in nouo testamento liberi sumus, secundũ quod dixit in euãgelio Christus, Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Et ꝙ seruo pontificis abscidit auriculã, hoc ipsum significat, quia legẽ carnaliter tantùm intelligebat ideoq; auris dextra, qua eam secundũ spiritum

Luc. 22. *Mat. 10.* *Mar. 16.* *Act. 10* *Theop.* *Lyra.* *August.* *Quęs. no. & ve tes.* *Ioan. 2.*

accipere debebat, ipsi amputata est per principem apostolo rũ. Vel etiã in cõmune vniuersum significat Iudæorũ omnium cæcitatẽ: siquidẽ ista auriculæ præcisio, signũ fuit inobedientiæ Iudaicæ: quoniã aures habuerunt quidem Iudęi, sed non audierũt, eò quòd partim cõtigit cæcitas in Israël.

Ro.10. 4 Post increpationem Petri Christus sanationem, cuius meminit Lucas, aggreditur serui, cui nomen erat Malchus. Et id ob euidentiorẽ historiæ certitudinem apposuit euãgelista, vel quoniam illum aliâs etiam corporaliter loquendo magis nouerat, eò quòd seruus iste esset pontificis, cui ipse quoq; notus erat. Quod autem ad correptionem Petri attinet, nõ ille quidem procul à lege talionis aberat, sed tamen Christus, qui nos supra legẽ venerat adducere, vehemẽtiam eius, & nimium feruorem cohibuit. Siquidẽ multò melius est iusto iudici rationẽ iniuriarum reddendam relinquere, quàm pietatis causa nostri sanguinis petere vltionẽ. Ad eũdem modum aliâs quoq; discipulos cõpescuit, petẽtes ignis de cœlo descẽsionem, dicens ad eos, Nescitis cuius spiritus estis. Sed miraberis, quid ita generosi animi & peculiaris cuiusdã vehemẽtiæ homines elegerit deus. In veteri testamẽto synagogæ principẽ voluit habere Moysen, qui quendam occiderat, & eundem in arenã sepelierat. In noua lege princeps futurus ecclesiæ Petrus, Malchum occidere parabat: & declinante ictu, auriculam tantùm illi amputauit. sic Augustinus, Quid, inquit, indignum, si Petrus post hoc peccatũ factus est pastor ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Ægiptium, factus est rector synagogæ? Et quanuis hîc Augustinus tacitè Moysen insimulare nititur peccati, tamen eundem excusat sanctus Stephanus, dicens, quia existimabat illẽ itelligere fratres, quoniam deus per manum ipsius daret salutem illis. ¶ Quæres adhuc, an hîc in gladij percussione peccarit Petrus? Cõmunis ibi respõsio patrum est, peccasse Petrum: quia si malè non fecisset increpatus à Christo non esset. audiuit enim sibi dici, Mitte gladium tuum in vaginã. Aut non vis, vt calicem illum bibam? Qui gladio pugnat, gladio peribit. Insuper pro Petro dicere quis poterit.

Exod.21. *Cyrillus.* *Luc.9.* *Exo.2.* *Aug. li. 22. contra Faustum. cap.70.* *Act.7.*

1 Attamen gladios gestare dominus eos iusserat, non ob aliud vtique, nisi in tutelam & protectionem suam.

2 Deinde ad illud quod Petro dixerat dominus de negatione sui, responderat ipse paratum se vel mori pro illo.

3 Eius quoq; quod factur' erat, antequã faceret, veniam à Christo petiit, dicens, Dñe, nunquid percutimus in gladio?
4 Pro Petro etiam facere videtur illud, quod dixit dominus, Sinite vsque huc. Quasi dicat, Satis hoc est quidem. neque nimium videtur in eo factum, dum ad aurem pertingit ictus, ne modo vlterius procederet cœpta isthæc violentia.
5 Quid quod ius idipsum quoq; naturæ pmittit, Vim vi repellere? 6 Fecit hoc præterea amore dñi sui, & laudandus est seruus, nõ dubitans animã ponere pro domino suo.
7 Ad extremum etiã glosa testatur Petrũ hoc ex feruentissimo zelo fecisse, sicuti, & Phinees, occiso Iudæo, quẽ inuenerat cognoscentẽ mulierẽ alienigenã, nihil minus quã quòd peccarit, laudatus insuper à deo: sicq; diuina ira mitigata, & cessauit quassatio, & promissum ille sibi suscepit sacerdotium sempiternum ¶ Ad hęc omnia singulatim sic respondebimus, primumq; statim dissoluim' illo dicto beati Aug. cùm ait, Ferre iussit Christus gladios, non ferirę. Quò si nõdum es cõtẽtus, sed adhuc opponis: quî id potuerit fieri, aut quare & in quem vsum ac finẽ gladios gestarent, nũquid vt cum iis scriberent aut pingerẽt? Ecce non desinis in magno mysterio puerilẽ intermiscere significationem. Respondeat itaque ad hoc etiam tibi August. dicens, Christus interrogauit de gladiis, non propter vsum, sed significationem. Ecquid autẽ designarũt & repręsentarunt gladij duo? Geminã scilicet potestatem, secularem & ecclesiasticã. Petrũ verò iamiam papam summumq; ecclesiæ pontificem futurũ, non decebat gladio vti seculari. Sicq; conueniũt hæc duo quæ dixit dominus, Sufficiunt gladij duo. Et mitte gladium tuum in vaginã, quoniam non conuenit papã quoq;, sed imperatorẽ gladio seculari vti & pugnare, Idem hîc dicere oportet neochristianos, si modò volent extricare se ex illo, quomodo Christus admissis gladiis duobus tanquam sufficientibus, vetuerit tamen Petrum gladio suo vti. Ad 2. dico, verum quidẽ id esse, & cõfidentiã suam tantam Petrũ Christo prænunciasse: veruntamẽ & ipse nõ semel à Christo audiuit passionẽ suam prædici, vnde & oportebat illum voluntatẽ suam eidẽ cõformasse, & minimẽ illum negasse. Ad 3. Veniam quidẽ petiit Petrus, si expectare potuisset eandem: sed præstolatus non est, sed simul pene & petiit & percussit Vulgatũ autẽ iam est illud, Nihil & inutile æqui-

Num. 25.
Psal. 105
August.

Mat.10. pollent. Ad IIII. Quod Christus dixit, Sinite vsque huc, nõ ad illam Petri inquisitionẽ pertinebat, qua quæsierat an percutiendum sibi esset, quasi, eo ipso respondere illi visus dominus annuisset, Nihil minus. Quin potius præcipere sic voluit illis, vt suum relinquerent Iudæis impetũ, seq; ab eis capi sinerent. Id autem dum diceba dominus, iam amplius sibi tẽperare non valebat Petrus quin percuteret. Ad V. Vera quidẽ illa est lex naturæ, & vim vi licet coercere, dum id ita visum placitumq; fuerit magistratui, non item si aduersetur illi. Non itaq; inuito domino percutere debebat Petrus, eoq; minus, quia audiebat dominũ sibi dicentẽ, An putas quia non possum rogare patrẽ, & exhibebit mihi modo *Mat.26.* plus quàm duodecim legiones angelorũ? Quomodo ergo implebũtur scripturæ? Ad VI. Non imus inficias fecisse hoc Petrum ex amore erga Christũ: veruntamẽ & amor errare potest ac decipi, si nimium vehemẽs sit: quia tunc celeritas & nimium præpropera vehemẽtia non sinit rationem circunstantias omnes præmeditari, quorum defectu ipsum deinde opus malũ redditur. Sic Paulus Iudæos quoq; habere quidẽ zelum, sed non secundum scientiã, testatur. Debebat itaq; responsum Christi expectasse Petrus, eò maximè, quia & ipse iam antè à Christo seorsim reprehẽsus fuerat, quãdo multis ex Christo de passione sua auditis dixerat illi, Absit à te domine, non erit tibi hoc. Respondit autẽ tunc illi do*Matt.18* minus, Vade post me Satana, scãdalum es mihi: quia nõ sapis ea quæ dei sunt, sed ea quæ hominũ. Ad VII. & vltimũ, quando factũ Petri confertur Phinees, respondetur id non secundum se fieri: quia alterum bonũ, alterũ verò in se malum erat, sed quoniã vtrunq; ex feruẽti factũ est zelo, ideo cõferuntur inter se. In Phinees ergo amor laudatur cũ opere, in Petro charitas tantùm, non factũ. Et hoc est quod doctores discretionẽ dicũt rectricẽ & gubernatricẽ omnium *Peccatũ Petri.* esse virtutũ Sicq; dũ illa caruit Petrus, peccauit in temeritate sua, præsumens se propriis viribus à negatione Christi posse abstinere. peccauit etiã percutiendo Malchũ vetitus à Christo, nec aliquã habens illius cõmissionem: peccauit insuper fugiens à domino. peccauit præterea negando illum. Discamus hîc nos Christiani nõ ex vindictæ & vltionis cupiditate, citra legitimã iuris formulã, proximũ velle offendere. Animaduertamus hæc ipsa verba Christi, Qui gladio

pugnat, gladio peribit. Horrendum hoc dictum est aduersus eos, qui nihil magis in voto habēt, quàm ferire, percutere, pugnare: ne eis contingat quod accidit Adonibezec, qui postquā septuaginta regibus summitates manuū ac pedum amputasset, ita tandem ipse quoque plexus dixit, Sicut feci, ita reddidit mihi dominus. Pestis hominū est, non homo, qui tāto feruore, imo furore, fertur ad pugnas, gladios & verbera, cum aliâs vniuersa se ingerat malorum omnium lerna. Audi quisquis sic insanis, audi inquam furiose, quid Dauid dicat, Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: contritio & infœlicitas in viis eorum, non est timor dei ante oculos eorum. Ecce quàm propriè & axactè vesaniam istorum expressit Dauid, quàm pulchre depinxit mores, vitam, omnesque conditiones eorum. Oremus deum, & gratias agamus illi, dicentes, Pater noster. *Iudic. 1.* *Psal. 13.*

QVOMODO DVCTVS AD ANnam dominus sit, & ab Anna ad Caipham: ibidemq; quo pacto Petrus negarit illum.

TEXTVS SECVNDVS.

Cohors autem & tribunus & ministri Iudaeorum cōprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum, & adduxerūt eum ad Annam primum. Erat enim socer Caiphae, qui erat pontifex anni illius. Erat autē Caiphas qui consilium dederat Iudaeis, quia expedit vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autē Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipul⁹ autē ille erat notus pontifici, & introiuit cū Iesu in atriū pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariae, & introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria, Nunquid & tu ex discipulis es hominis illius? Dicit ille, Non sum. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius, Respondit ei Iesus, Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga & in templo, quo omnes Iudaei conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt, quid locutus sum ipsis. Ecce ij sciunt quae dixerim ego. Haec autem cum dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens, Sic respondes pontifici? Respondit ei Iesus, Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: Si autem bene, quid me caedis? Et misit eum Annas ligatum ad *Matt. 26 Mar. 14 Luc. 22. Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22.*

Caipham pontificem. Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens
Mat.26. *se. Dixerunt ergo ei, Nunquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille*
Mar.14. *& dixit, Non sum. Dicit ei vnus ex seruis pontificis, cognatus eius cu-*
Luc.22 *ius abscidit Petrus auriculã, Nõnne ego te vidi in horto cum illo? Ite-*
rum ergo negauit Petrus: & statim gallus cantauit.

¶ Tria hîc principiò nota, quæ fecerunt Iudæi, Dominum ceperunt primum, quod & ignominiosum illi erat, & plenum dolore. Deinde ligatũ illum vi & impetu pertraxerunt ad pontifices: idipsum etiam quàm præter omne meritum suum sit factum, tu ipse tecum expende & cogita, quomodo captus sit assertor ille & restaurator libertatis: vinctus, qui peccatorum vincula venerat soluere: ad iudicem adductus, qui natus in hoc fuerat, vt homines tunc exulantes in paradisum reduceret. Quid multa? ad Annã ductus est primùm, qui socer erat Caiphæ pontificis anni illius. idipsum sic iam antè constituisse, vt ita fieret, Caipham, testis est sanctus Augustinus, plurimis de causis.

1 Quia hoc modo socerum suum honorare volebat, dum primas iudicij partes illi deferebat.

Augu. 2 Vel quòd sic coram multitudine videri cupiebat, declarans hoc modo quam iam secum certò cõceptam habebat sententiam, eo æquiorem esse & iustiorem, quòd à senioribus etiam foret approbata.

3 Quanquam idẽ in maiorẽ Christi cõtumeliã fecisse putari potest, vt sic à multis iudicibus condẽnatus haberetur.

Cyrillus 4 Cyrillus, ducunt, inquit, eum primo ad Annã: vnde subintelligere datur, artificem insidiarũ ipsum fuisse, pactámq; proditori mercedem promisisse.

5 Fieri tamen potest, vt quando domus Annæ in ipso itinere statim primũ ducentibus sese obtulerit, occasione hac moti isti, eo primũ induxerint illum. ¶ Quid autem in hoc sibi voluit euãgelista, quod eũ pontificem anni illius appellat? nihil aliud vtique, quàm quòd eò ipso insignem eorum innuere malitiam voluit & peruersitatem. Quũ enim primum episcopatũ siue põtificatũ instituisset deus, nõ annuũ voluit, sed cuiusq; vitæ perpetuum, atque adeò hæreditario
Exod.29 iure filiis succedentẽ, sicut de Aaron patet & Phinees. De-
Num.25 inde pro filiis subinde se ingerebãt alienĩ & exteri. Tandẽ verò summus ille ecclesiasticę dignitatis magistrat⁹, etiam venalis factus est, adeò vt quisquis plus pro eo pecuniarum

expenderet, is possideret. Ad extremū facta etiam mutatio *Iosephus* est in illo per vices, succedentibus sibi mutuò iis, qui coemptam dignitatem in suā redegerant potestatem, nō sine Simoniæ vitio. Vnde & Caiphas iste à Romano tandem imperatore Vitellio, loco suo turpiter amotus est. ¶ Narraturus itaque Ioannes quid de Christo coram Anna sit actum, non se tātum, sed & Petrum inquit esse secutum: quoniam ij duo fideliùs adhæserunt domino. Vnde sunt qui duo genera vitæ in iis expressa dicunt, actiuum, & contēplatiuum. Atque vt se testem verissimum & in nullo suspectum ostendat, etiam modum insinuat, quo peruenerit in domum pōtificis: quoniam notus ei fuerit, eò magis ingredi audebat, non facturus idipsum, si notus ei non fuisset. *li. 20. c. 9* *Iose. lo. 18 cap. 8* *Augu.*

2 Animum hîc mihi Ioannis ingenuum & fortem considera, quem à sequela Christi, & ab ingressu domus pōtificis absterrere nihil potuit: quāuis ipse & ætate minimus natu, & corpore tenerior fuerit. Chrysostomus tantū ideo cōfidentiùs ingressum putat Ioannem, quia notus erat pōtifici. Verū equidem putarim eò ipso magis ab ingressu absterritum illum fuisse, quem & norit pontifex, & Christi sciuerit cōsanguineum simul esse & discipulum. Quia ergo captus iam magister erat, metuendū & illi fuit, ne ipse quoque parum tutus esset. Sic ad Petrum etiam dixit ancilla, Et tu ex illis es, quasi dicere voluisset, Ioannē hūc noui ad eos pertinere. Nunquid & tu ex eis es? Ingressus autem Ioānes dixit ostiariç, vt illa quoque introduceret Petrū. Quod significatione etiā non malè conuenit: quia sic vita cōtemplatiua actiuam quoq; ducit ad deum, quę aliâs ab ipso futura erat, vt ille inquit exclusissima. Interrogatus porrò ab ancilla Petrus, an ne & ipse ex eis esset, pernegauit. Ecce colūna firmissima, ad primum eumq́ue minutissimum vnius ventuli impetum, contremiscit. Vbi est illa promittentis audacia, & de se plurimum præsumētis? Hoccine est magistrum sequi, se negare discipulum? Siccine pro domino anima ponitur, vt hoc ne fiat vox ancillulæ formidetur? Neque verò id mirum cuiquam videatur, si deus verum prædixit, & homo de se falsum temerè præsumpsit: sicque Christum simul magististrum, & se negauit esse Christianū. Quid ergo Petre, nec ostiariam rogantē perferre potes? Num miles, num aliquis eorum qui Iesum ceperant, rogabat te? Vilis erat o- *Chrysost.* *Beda* *Iob 26* *Augu.* *Chrysost.*

ſtiaria & abiecta, neque aſpera percontabatur. ¶ S. Cyrillus
Cyrillus. illud Petri peccatum extenuare conatur, dicẽs. eum peccaſſe quidẽ negãdo Chriſtũ, ſed id tamẽ feciſſe ipſum metu vrgẽte, ſic quod interim nõ caruerit charitate, quæ eò illũ impulerit, vt finẽ videret eorũ quę circa Chriſtũ fierent. Factũ igitur hoc modo eſt, vt hinc vrgente timore, illinc amore cogente, ad Chriſtũ negandũ facilè adduceretur. Quo nomine miniſtris etiã ſe cõiunxit, inter quos & minus ſuſpectus haberetur, & magis videret quem ardẽter expectabat, finẽ. Sed hîc malorum ſocietas perdidit Petrum, illéq; adeò dimiſſo Chriſto, mixtus lupis etiã denuò abnegauit magiſtrum. Neq; à vero diſcedit, alienũmve exiſtit, Petrũ bis in atrio Annæ, tertiũ verò in ædib' Caiphę dñm negaſſe: quãuis negationes has omnes in domo Annę: alij apud Caiphã exiſtiment factas. Verùm iſtas & huiuſmodi alias quæſtiones plures, ſcholis relinquo & diſputationibus. Quilibet hîc miſericordiam dei immẽſam cõſideret, Chriſtus in ſummis erat afflictionibus, captus & vinctus tenebatur coram pontifice, inter hoſtes ſuos ſtabat medius: neque tamen negatoris ſui oblitus eſt, quin eum tũc quoq; oculis miſericordiæ ſuæ aſpiceret, nó contemnens illum qui ſe plurimis (ſicut euangeliſtæ teſtantur, quorum quilibet aliis atque aliis verbis idipſum deſcripſit) pertinaciter adeò verbis negauerat. Verùm is tamen gallicantu, Chriſtíque adeò benigniſſimo aſpectu ad pœnitentiam permotus, exiuit & fleuit amarè: neque tũc tantùm, ſed deinceps per omnem vitæ ſuæ decurſum, ad galli cicuriẽtis vocẽ fleuit. Tu itaq;, ô miſericordiſſime dñe Ieſu Chriſte, nos quoque oculis miſericordiæ tuæ clementer aſpicere dignare, gratiámque ſimul & fontem lachrymarum nobis dona, vt ſic nos quoque peccata noſtra animo contrito integrè confiteamur & deploremus. 3 Interrogauit Chriſtum Annas de doctrina & diſcipulis ſuis. Hi, quia omnes aufugerant ab illo, carentes iam lumine fidei, ideo de eis nihil reſpondit. Simúlq; ſuo te docuit exemplo, vt tu quoque dum nihil boni quod de proximo dicas habes, malum etiam ne proferas, niſi id fiat vel in aliorũ emendationẽ, vel iuſtam reipublicæ tranquillitatem & adminiſtrationem. Verùm de doctrina reſpondens,
Theophy. teſtimonio innixus eſt audientium, eo ꝙ palã in ſynagoga docuerit ſemper. Neq; id pertinacis erat, ſed fidentis in di-

ctorũ veritate. iſta enim eſt veritatis indubitata demõſtratio, quando quis habet inimicos, teſtes eorũ quę dicit: illud autẽ multò maximũ eſt, quod doctrinæ rationem ex miniſtris pontificis & phariſæis, qui ipſum ceperant, requiri ac peti deſiderabat: quoniã ipſe quẽ nihil latebat, ſciebat vtiq; cuiuſmodi teſtimonium iam antè dederant ij, qui ad ſe capiendũ venerant. dixerãt etenim, Nunquã homo loquutus eſt talia. Annas autem quia contemptor erat verbi dei, indignus habebatur qui illud audiret. Quanuis id eo modo etiã accipi poteſt, quaſi dominus phariſæos ad cognitionẽ ſcripturarũ ſic adducere voluerit, dum nihil ſe locutũ diceret in occulto, quaſi digito ſemet demonſtrans diceret, Ille ego ſum, de quo Eſaias, Non, inquit, in abſcõdito loquutus ſum in loco terræ tenebroſo. Cæci autẽ iſti cæcorũque duces, non attẽdebant illa: quod præuidens Eſaias, in perſona Chriſti dixit, Tota die expandi manus meas ad populũ incredulum & contradicentẽ, &c. ¶ Inter cætera hoc quoque diligentius paulò, attẽtiúſq; mihi contẽplare, quomodo rectè dixerit Chriſtus palã, ſe locutũ eſſe profitendo. quaſi volens ſic dicere, Quæ per Moyſen vobis ſcripta ſunt, non apertè, quæcũq; placẽt deo, ſed vmbris atq; figuris & ænigmata, ſignificant, & ruditate cõtecta literæ, quæ neceſſaria cognitu ſunt, apertè nõ exponũt. Sed ego pietatis viam nõ ænigmaticè, ſed dilucidè mundo prædicaui. Illis in figura cõtigerũt omnia: & tãdem cũ aduenisset nouus ille legum lator Chriſtus, per quẽ gratia & veritas facta eſt, ille palàm docuit. Hic tamen latẽter increpauit Annã & alios omnes, qui doctrinam Chriſti contrariam habebant legi Moſaicę, ſimul innuens nullã hîc fieri debere collationẽ, eò ꝙ Moyſes vmbra tantùm fuerit, ipſe verò veritas aperta omnibus, quoniã & euãgeliũ liberũ atque manifeſtum ſit bonis omnibus, tãtúmq; velatum & opertũ malis, vel Paulo atteſtante, cũ ait, Quòd ſi opertũ eſt euãgelium noſtrum, in iis qui pereunt, eſt opertum. ¶ Dices autem, nonne multa clàm ſolis diſcipulis dixit dominus? ¶ Nónne ad eum Nicodemus quoque venit noctu: Nónne ipſe etiam cum diſcipulis ſuis loquẽs, dixit pleraque illis ſe in parabolis & prouerbiis eſſe locutum? Reſponſio, Multi hîc multa, aliíq; alia dixère, quorum bonam partẽ ſcholis relinquimus. Tantũ hoc adiiciō, ab hoc textu nõ abhorrere, quod Chriſtus dixerit illud

Cyrillus | *Ioan. 7.* | *Eſa. 45* | *Eſa. 65* | *Cyrillus.* | *1. Cor. 10.* | *Ioan. 1* | *Ioan. 7* | *2. Cor. 4.* | *Ioan. 3.* | *Ioan. 16.*

ad declinandã falsam pontificis suspitionem. Nihil, inquit
Theophy. Theophylactus, in occulto loquutus sum? hoc est, nihil se-
Chrysost. ditiosum, & sicut tu opinaris: nihil neque dolosa neque oc-
culta mēte proprium quiddam loquutus sum. Qua nisi sic
intellexerimus, quod ad suspitionem pōtificis hæc dixerit,
videtur mētiri. Nam multa dixit in occulto, vt pote ea quæ
supra captum multitudinis erant. Sic autē voluit exprime-
re & designare se illum esse, de quo psalmista dixerat, An-
nunciabo veritatē tuam in ecclesia magna. 4 Quid por-
Psal. 39 rò hac responsione verius, mansuetius, iustius? Et tamē non
Augu. defuit iniquissimo huic domino, paris impietatis soci⁹, ser-
uus nequissimus: is christum percussit quam potuit violen-
tissimè, acclamans, Siccine respondes pōtifici? De huiusmo
Pro. 19 di dominis iam olim dixit Salomon, Quia princeps qui li-
benter audiuit verba mendacij, omnes ministros habet im-
pios. Vsqueadeo non est in rege aut principe argumentum
vitæ suæ certius, quam aula. Seruum hunc Malchum fuisse,
cui paulò antè auriculam restituerat dominus, apertè testa-
Chrysost. tur Chrysostomus. Nos autem si cogitemus quis acceperit
August. alapam, nōne vellemus eum qui percussit, aut cœlesti igne
cōcussum, aut terra dehiscēte absorberi, aut correptū demo
nio volutari, aut aliqua huiusmodi qualibet pœna, vel etiã
grauiore puniri? ¶ S. Cyrillus existimat seruū hunc nequis-
Cyrillus simum. ideo Christū percussisse, quoniam offenderāt mini-
strorū aliquid Iudæorū principes, qui capere Christū iussi,
sic eum admirati sunt, vt laudantes dicerent, Nunquã locu-
tus homo sic est. quo responso in rabiē cōcitati sunt phari-
sæi. Quū igitur responsio saluatoris ad memoriã huius rei
principes reducebat, idcirco ne de animo suo beneuolētiã-
que principes suspicarētur, qui aliâs, quia Christū admira-
Theophy. batur fuit reprehēsus, alapa Christū cędit. Solēt enim mini-
stri nō ferre quicquã aduersus se principibus referri. ¶ Re-
spōdet aūt dñs, Si malè locut⁹ sum, testimoniū perhibe de
malo. Ecce percussus dñs sic respondet, vt quēlibet veritatis
amatorē potuerit mitigare, & ad benignitatē pducere. De-
Mat. 5 inde discimus hoc ipso Christi exēplo, mandata apud Mat-
thæū illa, quorū pleraq; cōsilia sunt, non ad literã esse intel-
ligēda. qđ enim ibi de exhibitione maxillæ docuit, idē hîc
August. ipse corporaliter nō impleuit. Quin potius sic monstrauit
sua illa magna præcepta patientiæ, nō ostentatione corpo-
ris,

ris, sed cordis præparatione esse faciēda, nisi illud vel incultum dei, vel in vsum vergere posse videatur ecclesiæ tunc sanè ne maxilla quidem à manu percutientis est trahenda. Ita hîc animo suo institutus probéq; paratus fuit dominus, vt potuerit dicere cum Dauide, Paratū cor meum deus, paratum cor meum. Idem verò quod hîc mēte, deinceps ipso præstitit opere, dum nō maxillam tantùm, sed omnia totius corporis membra exhibuit flagellātibus se. In nulla (inquit Augustinus) Christiana historia, in qua est authoritas tale quicquā inuenies factum à sanctis, vel ab ipso domino quū in homine, quem suscipere dignatus est, viuendi nobis præberet exemplum. Quum tamen omnibus ferè locis eos inuenias paratos fuisse æquo animo tolerare, quicquid eis im probè fuisset ingestum. Cæterùm vbicunque apparebit nimiam patientiam vergere in cōtumeliam & blasphemiam dei, animarúmque perniciem, resistendū tūc est, sicut Christiani, non tantùm nō alteram Turcis porrigunt maxillam cædendam, sed & bella aduersus eosdem mouent & armis se tuentur, quanuis non eadem semper felicitate. Admonet hîc Cyrillus Christianos patienter sufferre debere omnem contumeliam, sicut & Christus alapam à mancipio sordido incussam, patienter sustinuit: & idem iam olim admonuit Sapiens, quum ait, Omnis iniuriæ proximi ne memineris. Quia autem reliqui euangelistæ copiosè quæ circa Caiphā dicta factáque sunt descripserūt, eadem vel modicè attigit Ioannes, vel omnino supersedit: quoniam postremus scripsit euangelium, eáque suppleuit, quæ cæteri parciùs breuiúsque narrârunt. Nos iam quoque dolores Christi inter vincula captiuitatem, & in alapa piis precibus venerantes, dicamus, Pater noster, qui es in cœlis, &c.

Psal. 56.

Augu.

Cyrillus.

Eccle. 10

¶QVOMODO DVCTVS A CAIPHA AD PILATVM FVERIT DOMINVS, ET quæ illius cum Christo colloquia, quantáque extiterit ibidem tumultuantium Iudæorum vesania.

TEXTVS TERTIVS.

Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarētur, sed vt manducarent pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit, Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Respōderunt &

Matt.26 *dixerunt ei, Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Di-*
Mar.15. *xit ergo eis Pilatus, Accipite eum vos, & secundũ legem vestram iu-*
Luc.23 *dicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi, Nobis non licet interficere quen-quam. vt sermo Iesu impleretur, quem dixit significans qua morte esset moriturus. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei, Tu es rex Iudæorum? Respondit Iesus, A temetipso*
Mat.27. *hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus, Nunquid ego*
Marc.15. *Iudæus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi. Quid fecisti?*
Luca 23. *Respondit Iesus, Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus, Ergo rex es tu? Respondit Iesus, Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pila-*
Matt.27 *tus, Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos, &*
Mar.15. *dicit eis, Ego nullam inuenio in eo causam. Est autem consuetudo vobis,*
Matt.27 *vt vnum dimittam vobis in pascha. vultis ergo dimittam vobis regem*
Mar.15 *Iudæorum? Clamauerunt rursum omnes, dicentes, Non hunc, sed Barab-*
Luca 23 *bam. Erat autem Barabbas latro.*

¶Ecce primum à Caipha ad Pilatum adducunt dominum: siquidem eorum iam potestas plurimum erat illis à Romanis diminuta, quemadmodum ipsi deinceps confitebantur, dicentes, sibi ius non esse quenquã occidendi. Decreuerunt igitur tantùm super sanguine Christi, reum illum esse mortis: iudicium autem & sententiam ferre non audebant, sed in hoc Pilato eum præsentabant præsidi Romano. At rectè dixit Ezechiel, Sicut fecisti, ita erit & retributio tua. Viam
Ezech.9 tuam reddam super caput tuum. Sicut ergo Christum Iudęi magistratui Romano obtulerũt, ita post annos quadraginta ipsi etiam in manus Romanorum peruenerunt, non sine suo magno malo & pernicie ac excidio. Ad multos inquit Theophylactus, iudices ducunt dominum, opinantes se il-
Theophy. lum cõtumelia affecturos: sed reuera per multa tribunalia clarum reddunt. dominus enim omnia illa exiuit, nõ conuictus de crimine.

Verùm tu hîc peruersam considera Iudæorum hypocrisim, qui in prętorium ingredi metunt, ne polluãtur, sanguinem fundere innocentem nil metunt: lapides & lateres prætorij timent stolidi, lapidem angularem qui factus est in caput anguli, nihil verebantur. Agnũ typicum honorare cupiunt,

vt eò vescantur mundi:& insani agnum verum,quivenerat
peccata mundi tollere,præsumebant ac parabant occidere.
Velut excommunicatum habebant eum,quisquis post cœpti iam festi principium,domum ethnici fuisset ingressus, *Psal.117*
magna & immensa,vt ait Augustinus,irregularitate. *Cyrillus*
¶Sunt qui putant Iudæos vesperi tam fuisse occupatos in *Ioan.1.*
capiendo Christo & irrequietos, vt agnum suum tunc non *Augu.*
manducarint,sed distulerint esum illius in diem sequentē:
& ideo aiunt,dicere euangelistam, quia ingressi non sint in
prætorium,ne contaminarentur,sed vt manducarēt pascha.
Verùm hoc illis licuisse,nullum planè extat scripturæ testimonium,nisi fortè in proximum vsque mensem prorogarint.Neque est quòd suspicemur eos,vt erāt literæ legis addictissimi,transgressos fuisse præceptum.Ideóq; dicunt doctores pascha tria significare,agnum , festiuitatem paschalem,& panes azymos, sicut hîc accipitur. Sin verò feruenti *Exod.12.*
adeò fundēdi sanguinis Christi cupiditate neglexissent vesperi *Num.9*
manducare agnum, quāta fuisset isthæc malitia?quàm *2.Pa.25*
peruersa nequitia & malignitas?imo quàm magnum & scelestatum facinus,temerè transgredi mandatum dei,quod erat in lege summum de esu agni? Si enim præcepit deus ne quid ex agno permaneret reliquū vsque in crastinum,quanto minus licebat eis totum illum differre in diem alterum?
Porrò autē nihil iis mouebatur Pilatus, etiam tumultibus:
neque afficiebant eum irruentes Iudæi,Christúmque addu *Exod.12*
centes victum:nihilò contentus priuato illorū iudicio,interrogat quid commeruit,quid designarit, ínque hoc ipso malè non fecit:sicut & Festus dicebat,Non est Romanis cō suetudo,damnare aliquem hominem priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locúmque defenden *Chrysost.*
di accipiat ad abluenda crimina,quæ obiiciuntur. *Act.25.*
2 Ad hæc Iudæi solita hypocrisi probitatem suam astruere volentes,inquiunt,Si non esset hic malefactor,ea nos sumus pietate,támque cōfessa apud omnes & cōspicua probitate viri,vt sanè innocētē illum tibi nó tradidissemus. Sed interrogentur atque respondeant ab immundis spiritibus liberati,sanati languidi,leprosi mundati, surdi audientes, & muti loquentes,cæci vidētes,mortui resurgētes,& quod omnia superat,stulti sapientes, vtrum sit malefactor Iesus? *Augu.*
Verū hoc dicunt isti,de quibus ipse per prophetā loquitur

Psal.34. dominus, Retribuebant mihi pro bono malum. ¶ Nihil autem adhuc agunt, proficiunt nihil apud Pilatum: quia nondum satis illi faciunt ista, neque adduci potest, vt super hac coniectura statim iudicet, quin potiùs dicit, Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate: quasi dicat, Tantùm apud vos vestrum valet iudicium, satisque vobis facit
Chrysost. ista censura vestra. Age & sententiā ferte, iudicate, condemnate. Videbat ille nimirum nullum eos habere fundamentum, séque ipsos facere suspectos, dum pertinaciter eò tantum damnatum illum volebant, quòd eum ipsi diiudicarēt
Cyrillus. reum esse mortis neque tamen morte dignum argumētum vllum afferebant. Ait ergo, Non est fas mihi nullo accusatum crimine hominem secundum leges punire? ipsi itaque secundum vestram legem iudicate, si etiam innocentes lex vestra condemnat. ¶ Et clamauerunt Iudæi, Nobis non licet interficere quenquam. Quid est, quod insana loquitur crudelitas? An non interficiebatis insanissimi, quem interficiendum offerebatis? Nō occidebatis, quem in hoc captum vinctum, & iudicio pontificum condemnatum ad Pilatum pertrahebatis? Sed audio, clamatis vos manu vestra illum non occidere. Sic Pilatus quoque ipsum manu sua occisurus non fuerat Alia autem quædam interficiendi forma est alius occidendi modus: idque per linguam & voluntatem, atque istam immanem deferendi, obtrectandi & calumniandi truculentiam. Nam dum innocentem temerè accusatis, dum mortem eius modis omnibus appetitis, quid aliud agitis, quàm quòd eūdem etiam occiditis? Nunquam ne le-
Psal. 36 gistis huiusmodi quid in Dauide, Filij hominum, dētes eorum arma & sagittæ, lingua eorum gladius acutus? Ecce arma vestra quibus tradidistis dominum, quando clamabatis
Psal.63 Crucifige crucifige. Et iterum in alio Psalmo, Acuerunt linguas suas sicut serpentes, intenderunt arcū suum rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum. ¶ Quærere solent hîc doctores, quomodo dixerint hîc Iudæi, non licere
Actu.7 sibi occidere quenquam, cùm tamen & Stephanum occide
Ioan 8 rint, & mulierculam in adulterio deprehensam in hoc pro-
Luc.4. duxerint, vt lapidibus obruerent. Et ipsum prætera Christum in Nazareth erant de monte præcipitaturi. Quid igitur hîc dixerunt, potestatem se non habere, vt occiderent, quenquam? Chrysostomus quidem putat Romanos omne

ius iudicandi ipsis ademisse, ut liceret eis vel super sanguinem iudicare, vel crucifigere quenquam. Alij opinantur in festiuitatibus (cuiusmodi illa iam imminēs paschalis erat) illis non licuisse. Equidem crediderim operæprecium non esse, quocunque prætextu velle sceleratos istos defendere: qui, vt erant iuuidia excæcati, nullius mouebantur mendacij verecundia: nihílque obstat quin mentiti sint hîc turpissimè, sicut de Stephano clarè patet. Mendacij autem istius ratio assignatur huiusmodi. Permiserant Iudęis Romani in legitima sua animaduertere, & transgressores eorūdem punire, puta blasphemum aut adulterum lapidibus obruere: neque verò moris erat apud Iudæos cruci affigere quēquā, propter illud legis dictum, Maledictus qui pēdet in ligno. Et si lapidare eum noluerunt, quod poterant licitè, mentiri maluerunt, asserendo non licere eis etiam occidere quenquam, vt præses Romanus condemnandum eum assumeret non ignari solitos esse Romanos, eos qui obedire nollent, crucifigere: sic sperabant suam sententiam successuram, vt eò magis ille confunderetur. In summa, volebant eum condemnatum morte mori, non qualibet, sed (vt Sapiēs in persona eorum inquit) turpissima. Hinc adeò vrgebāt Pilatum volentem, nolentem, vt Christum reum esse mortis proclamaret, sicut antea prædixerat Christus, Ecce, inquiēs, ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur gentibus flagellandus, illudendus, conspuendus, occidēdus. Non autem descripsit Ioānes querelam Iudæorum, quam videbat luculenter satis à Luca descriptam. Chrysost. Deut. 21. Sapien. 2. Matt. 20

3 Cùm nihil respondisset coram tota multitudine Christus, tandem seorsum à Pilato rogatus, Rèxne esset Iudæorū, respōdit ei. Ex temetipso hoc loqueris, an alij tibi dixerunt de me? quasi diceret, Ex teipso hoc loqueris? sanè tu id cum primis scire & cōpertum habere debes, si ego regē me iactitem, quādo Cæsaris vices geris. Sin verò alij tibi dixerunt de me, credas mētiri eos. nam si verum esset, num & tu dudum illud rescisses? Ipsi quidē aliquando regem me creare volebant, sed & tūc aufugi, non suscepturus quod deferebant. Theophylactus putat verbū hoc Christi, in se habere nonnullam Pilati reprehēsionē. quasi dicere vellet, Si ex te hoc loqueris, argumētū exhibe inobediētiæ meę & excitatę seditionis: sin alij tibi dixerunt de me, illos require, vide Ioan. 6

rescifcere cures.neq; mihi temerè iniuriam facere pergas. Deinde dixit Christus Pilato, Regnum meũ nõ est ex hoc mũdo Quo verbo liberauit ille Pilatũ à formidine, qui di gnitatem Cæsaris in Iudæa seruare debebat. Dum igitur di xit, Regnum meũ non est ex hoc mũdo, insinuauit illi hoc, quasi sic diceret, Tu tanquã Romanorum vicarius, nõ est q᷑ tibi à me metuas quicquam, neque enim ex hoc mundo est regnum meum, nullum ego cõscripsi exercitum, neque milites conduxi aut satrapas, neque armis me instruxi, nec aliquam seditionem noui. ¶ Obiicis autem, quomodo dicat dominus regnum suum non esse ex hoc mundo, cùm tamẽ
Psal.46. dicat Dauid, domini esse & terrã & vniuersam illius plenitudinem? Cùm insuper deus pater dicat Christo, Postula à
Psal.2 me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et iterum, filius ipse constitutus sum rex ab eo super Sion. Quomodo igitur ita dominus regnũ suum non esse ex hoc mundo, cum tamen potestatem ille habebat paté in cœlo & in terra? Respondetur ad hæc, quia propriè & notáter dicit hîc dominus, Regnum meũ non est hinc. Non autem dicit, Regnum meum nõ est hîc. Constat enim deũ vniuersę terrę rectoré esse & dominatorem: quia
Augu. regnum eius est vsq; ad finẽ seculi. Christúsq; adeò totius mũdi domin' est. Verũtamẽ in ꝓpria venit ille, inquit Ioan
Ioan.1 nes, & sui (scilicet Iudæi) non receperunt eum. Bene igitur regnum Christi hîc est, in mũdo. dominatur hîc per fidẽ in hominibus bonis, sicut & inter vos multos esse cõfidim' in quibus hîc dominetur Christus: cuius tamẽ regnũ interim nõ est hinc, neque ex hoc mundo, neque ex rebus terrenis,
Eccle.1 sed ex deo, ex cœlo inquã, non ex hoc mundo: in quo quic
1.Ioan.2. quid est, vanitas vanitatũ est & mera vanitas. In quo, inquã quicquid est, vel est cõcupiscentia oculorum, vel carnis, vel
1.Ioan.5. superbia vitæ. Vt iam verè dixerit Christus, regnũ suum nõ esse ex hoc mundo nequã, qui ideo & in maligno totus po-
Luc.1 situs esse dicitur. longè aliud est regnũ Christi, quod sempiternum & infinitũ esse iam olim annũtiauit Gabriel. O felicem hominẽ & beatum, ô vere hominẽ diuitẽ & nobilẽ, ô inquã, verè petentem, imo regem! qui cum Christo dicere potest in veritate, Regnũ meũ nõ est ex hoc mũdo, Regnũ meũ, regnũ Christi est & dei. Regnũ illud mihi cõtin-
Chrysost. gere & spero & quotidie oro, dicẽs, Adueniat regnũ tuum.

Imbecillitatem præterea & fragilitatem regni mũdani hic Christus insinuat, quod in seruis suam habeat potẽtiam: supernum autẽ regnũ sibiipsi sufficiens est, & nullius indiget. In hoc regnum Christ' fideles omnes imposuit, quod Paulus quoq; cõfitens, inquit, Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Porrò euidentiùs adhuc regnum suum ostẽdẽs Christus dicit, In hoc natus sum. Quod quidam intelligunt de æterna generatione ex deo patre, vt esset rex gloriæ ab æterno: deinceps tamẽ in tẽpore natus est ex virgine matre, vt testimoniũ perhiberet veritati. Quî sic? inquies: quoniã ante Christi aduentum regebat in mundo falsitas & impietas cultos diuini, primas tenebat religio vana, sapientia tumida dominabatur fictæ virtutes vigebant, séque pro veris virtutibus paulatim ingerebant. Et quid denique tunc non in summo peruersitatis gradu cõsistebat, quando diabolus cũ omni errorum & mẽdaciorum colluuiẽ dominabatur in orbe? Simul atq; venit in mũdũ hunc natus homo Iesus Christus, verus ab æterno deus, per eundẽ quoq; veritas aduenit simul. Aug. id omne de incarnatione Christi intelligit. Tu deinceps iam cõsidera, quàm alta, quã sublimia, quámque planè diuina Christ' docebat: quæ tamen omnia Pilatũ nihil mouebãt. Christus dicebat, Quicunque est ex veritate, vocẽ meã audit: ex veritate autem quisquis est, ex deo ipso est, quoniam deus veritas est. Et Pilatus igitur cùm rogasset eum quidnam veritas esset, nec tamen respõsum expectans, vocẽ Christi audiuit: quid restat, nisi quia & ipse ex veritate non fuit? ¶ Præterea vide an non nostrates ignaui & dormitantes Christiani, Pilati magis sectatores sint quã Christi discipuli: puta qui citra omnẽ causam è sacris cõcionibus exeunt & aufugiunt, neque illarũ finẽ expectant, instar Pilati, quẽ in salutaribus rebus docere exorsus domin', erigere volebat ad sublimia illa dei mysteria: verũ ille tenuit expectare, vnde & in tam immensa peccata deinde velut per præcipitium concidit.

Colos. 1.
Theop.
Ioan. 1.
1. Ioan. 4.

4 Nitebatur tamẽ & cupiebat adhuc liberare dominum per consuetudinem illam Iudæorum, quia semper ex vinctis vnus dimittebatur ad pascha à præside Romano. Mitto hîc & lubẽs transeo ridiculam istã hæretici Pomerani obiectionem, qui ait, consuetudinem hanc fuisse contra legem dei, quasi hodie quoque peccẽt principes nostri, dum solita

Pomeranus.

beneficẽtia & genuina misericordia moti, mortis etiã reos liberãt, atque inde meritas suæ commiserationis laudes reportant. Nõ intellexit autem hæreticus iste, quia misericordia superat iudicium. Neque hinc discedit sententia Cyrilli, cùm asserit consuetudinem hanc ortã esse ex libro Numeri, quãdo multitudo populi liberare poterat, qui homicidium ex improuiso commiserat. Nunc verò omni iudicio sanguinis relicto Romanis, hoc vnum licebat vulgò, vt illo tẽpore vinctus aliquis dimitteretur ei. ¶ At quot toties regẽ Iudæorum vocat Christum Pilatus, cò referunt plerique, quoniam sic rabiem Iudæorum risu mitigare conabatur, simúlque prudenter ostendebat, falso ipsum hoc crimine accusari. Nunquam enim Romanus præfectus cupiditate tyrãnidis aduersus Romanos accusatũ, si quicquam signi daretur, dimitteret. Nec est, quòd dubites, si vel parum nocens cognitus domin' fuisset, minus eũ dimittere cupiuisset quàm Iudæi siquidem id magis ad ipsum & Imperatorem Romanum pertinere videbatur, quàm ad alium quẽquam. Multò itaque Pilatus Iudæis probior fuit: & quãuis ethnicus ille, & solo tãtùm iure iudicióque naturali fretus erat, sæpenumero tamen Christum quem innocentem agnouerat, liberare cupiebat. Vicissim Iudæi legem etiam habentes diuinam, Christum innocentem condemnare non timuerunt.

Iacob. 2.

Cyril.

Num. 36

Cyril.

5 ¶ Sed tandẽ liuidum furentium Iudæorum virus erumpit inuidia, qui præ Christo magis homicidam elegerũt Barabban, quanuis Aug. dicit, Non reprehendimus, ô Iudæi, quod per pascha liberatis nocẽtẽ, sed quod occidistis innocentẽ. Quãuis hinc quoq; magis patet Iudæorum peruersa malitia, quia norant in libris Numerorũ, vnde hęc manauit consuetudo, dimissum à multitudine, qui non ex proposito homicidium cõmiserat. Barabbas autẽ & homicida magn' fuit, & seditiosus, atq; adeò in seditione hominẽ occiderat. ¶ Ego verò, inquit Cyrillus, diuinam admirari satis scripturam nequeo, quæ vel hui' insani clamoris ex persona Christi sic per Ieremiã meminit, Reliqui domũ meã, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectã animam meam in manus inimicorum eius, facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua, dedit contra me vocem. Aut quænã alia Christi hæreditas extitit, nisi ipsi Iudæi, secundum quod Dauid dixit in Psalmis, Elegit nobis hæreditatẽ suam speciẽ Iacob, quam

Aug.

Num. 35.

Cyril.

Iere. 12.

Psal. 46

dilexit? hæc nimirum hæreditas facta est quasi leo in sylua, qui magno rugitu fertur in prædam, vt feras cæteras exterreat. Hæreditas ista Iudæorum vocem suam dedit hodie in immenso furore aduersus dominum, quasi leo in sylua, vt sic Barabba latrone dimisso, innocẽs Christus occideretur. Et quis non magno dolore apud se cogitat, quomodo contra legem dei Barabbas dimittitur? ita enim lex habet, Maleficos non patieris viuere. legis verò lator iustissimus crucifigitur. Tantum liuor tabificum malis venenum præstare potest, tantúmque peruersa valet inuidia. Oremus, Pater noster, &c. *Exo. 22.*

QVO PACTO FLAGELLATVS IAM, & spinis coronatus domin⁹ tum post multam Pilati inquisitionem, tum vulgi tumultuantis illusionem, inter clamores continuos crucis supplicio sit addictus.

TEXTVS QVARTVS.

Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & vestẽ purpurea circundederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant, Aue rex Iudæorum, & dabant ei alapas. Exiuit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis, Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis quia nullam inuenio in eo causam. Exiuit ergo Iesus foras, portans spineam coronam & purpureum vestimentum, & dicit eis, Ecce homo. Cum ergo vidissent eum pontifices & ministri, clamabant, dicentes, Crucifige crucifige eũ. Dixit eis Pilatus, Accipite eum vos & crucifigite ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi, Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum, & dicit ad Iesum, Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus, Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper: propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant dicentes, Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum audisset hos sermones adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraicè au-

Luc. 23. Mat. 27. Mar. 15. Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23. Luc. 23. Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23.

tem Gabbatha, Erat autem parasceue pasche, hora quasi sexta. Et dixit Iudæis, Ecce rex vester. Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices, Non habemus regem nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur.

Mar. 15. *Luc. 23.*

¶ Et si Pilatus intentionem in hac re bonam secum concepisse videri queat, illa tamen in radice pessima fuit: neque enim eò statim iniuriã alicui facere debet iudex, quòd pars altera multa ad vindicandũ postulat. Augustinus sic inquit, Quod flagellari Christum permisit Pilatus, non ob aliud fecisse credendus est, nisi vt eius iniuriis Iudæi satiati, sufficere sibi existimarent, & vsque ad eius mortem sæuire desisterent, Ex impetuoso enim eorum clamore intelligebat Pilatus, se non posse ipsos eò perducere, vt vltro dimitti liberũque abire Christum sinerent, sicque illum flagellari passus est iniquè, vt fortasse ita sedato eorũ furore, inde eũ posset dimittere, vt inquit Chryso. & nos iam suprà ex verbis Lucæ demõstrauimus. Quomodo autem milites Christũ, ait Chrysostomus, flagellabant, siquidem nõ præceperat Pilatus? Ad Iudæorum gratiã scilicet. Neq; enim noctu à Pilato iussi cum Iuda profecti sunt, sed pecunia à Iudæis allecti, omnia audebãt: siquidẽ in reliquo comitatu, cohortis quoq; tũc meminit euãgelista, sed multis modis hic apparet, quanto tum mitior, tum benignior fuerit Pilatus quàm Iudæi.

August. *Chrysost.* *Luc. 23.* *Chryso.* *Theop.* *Augusti.*

¶ S. Augustinus in hac flagellatione impleta esse perhibet verba Christi, quibus se flagellatum gẽtibúsque traditũ iri ipse prædixit. Sed sic tamen martyres quoq; informabãtur, ad omnia quæ persequutoribus libuisset facere, perferẽda: sic paulisper occultata tremenda ponam. commendabatur prius imitanda patientia, sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, vt mirabili pullularet in gloria. Vult dicere, Tantis suppliciis suis exemplum Christus præfixit martyribus, vt ipsi per contumelias pœnas & supplicia discerent gloriam ingredi felicitatis æternæ. Quia si hæc pati oportuit dominum & quidẽ regem gloriæ, eãdem vtique uiam ingredi etiam cogentur sequaces illius, & suam quoq; crucẽ tollere, Christũ ductorẽ sequi (De modo flagellationis, coronationis & spinis, vide in passione superiori.)

August.

¶ Siue igitur iusserit, siue indulserit Christũ flagellari Pilatus, constat nõ ignorasse vtique ipsum, id ita ministros suos

fecisse. Quamobrem in animum & mẽtem sibi subiit, Christum sic cæsum educere foras, vbi suum ipse vltrò confessus est delictum, quòd illum tale nihil meritum, citra omnem causam flagris permiserit cædi, tantum vt ipsis animum expleret miserabili illo sanctissimæ faciei aspectu. Atque subinde hîc Christi profitetur innocentiam summam.

2 Sed ecce hîc dominus Iesus progreditur amictus purpura, quam ei serui præsidis induerant, risus mouẽdi gratia, & corona redimitus spinea. Iámque Pilatus exclamat ad vniuersam multitudinem, Ecce homo. Magnum hoc sanè verbum est, & ipsi etiam Pilato proculdubio non intellectum: sed linguam eius mouit spiritus sanctus, ad consummationem immensi illius mysterij dei, passionis Christi. Verè enim homo erat Christus, & peculiariter homo præ omnibus aliis, quia simul etiam deus: & sic si plenè intellexisset mysterium hoc Pilat⁹, dixisset vtique, Ecce hominem deum vestrum. Ecce inquam, homo, homo quidem sicut cæteri sunt homines, mortalis sed tamen in quo genus humanum est restitutum. Vos nanque scire conuenit, quia peccatum personam destruit delinquentem, sicut Ezechiel vester ait, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Peccatum autem Adę non tantùm personam illius corrupit, sed etiam totum vitiauit genus hominum, eò quòd omnes in Adam homines, sicut in origine sua, fuerunt. Rursus verò Adam ille cœlestis, naturam humanam totam (quod quidẽ in se fuit) reuocauit, restaurauítque. ¶ Ad literã tamen sic in summa dixit Pilatus, Ecce homo. Quasi diceret, Si regi inuideris, iam parcite, quia deiectum videtis? flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conuitiis illusus est, alapis cæsus est, ferueat ignominia, frigescat inuidia Naturale enim est mitigari iram, dum ille vel affligitur vel humiliatur, cui irascimur. Nihil autẽ iis omnibus proficiebat apud liuidos istos & iamiam inuidia tabescẽtes Iudæos, siquidẽ etiã adhuc amplius, viso iam domino, in furorẽ acti sunt, & clamare cœperunt, Crucifige. Quilibet homo Christianus in corde suo circũferat miserabilẽ & penitus squalidã illã Christi imaginẽ, quãdo á Pilato miserabiliter adeò eductus est, meminerit sedulò verbi illius, Ecce homo Christus Iesus, benedictus ille dei filius, qualis pro te factus est. ¶ Porrò crucifixionem, summum, inquit Cyrillus, extremæ

Eze. 18.
Rom. 5.
1. Cor. 15.
August.
Aristo.
Cyrillus.

impietatis dedecus, à principibus. Iudæorum solis, euãgelista traxisse originem ostendit. Nam quum multitudo aliquo modo iis factis suberubesceret, recordati forsan miraculorum illius, ipsi primùm exclamant & vulgus incendũt. Quanuis hîc quòque doctores sancti dicunt, omnem illam multitudinem hominum, qui vel tunc fuerunt, vel pòst erãt futuri, assiduis votis exclamasse, vt filius dei crucifigeretur, aliâs de salute sua actũ esse, eò quòd omnes qui per Christum sunt redẽpti causa fuerint crucifixi. Christi, sicut
Bernar. Bernar. etiam peccata nostra spinas illas perhibet fuisse, quæ caput pupugerunt dominicum. ¶ Adhuc tamen proposito suo immoratur Pilatus, adhuc affirmat non inuenire se in eo quicquã morte dignum & ideo dicit, Accipite eum vos, & secundum legem vestram crucifigite. vult dicere, Si hoc vobis iustum est innocentẽ occidere, age & hunc crucifigite: penes me sanè iniquum illud fuerit. rectè quidẽ Pilatus nullã ait se inuenire in eo causam, quod erat re vera verissimum, si literam solam inspicias: sed si àd sublimora animum erigas, & tunc sibi constabit, quia nullam in Christo causam Pilatus inuenit. siquidem & gentilis & ex falsitate fuit, christúmq; interrogauit quidem quid veritas esset, verùm responsum non expectauit. Ecquid ergo mirũ, si nullã Pilatus in christo causam inuenit? cuius tamen linguam dirigebat spiritus sanctus, vt diceret, Non inuenio in eo causam, eò quòd causa mortis christi non in ipso, sed in nobis erat, peccatũ scilicet nostrum. Atq; id sanè angeli, prophetę
Esa. 53. dei cognouerunt. Inuenit hanc causam Esaias, ideo dixit, Vulneratus est propter scelera nostra, & in salutem populi.

3 Audientes autem Iudæi Pilatum iam de liberãdo christo cogitare, neque magnopere moueri iis quæ ipsi aduersus eum attulerant: sicq; videntes hac via accusationẽ suam succedere non posse, non interquiescũt, sed alia statim ag-
Leui. 24 grediuntur via & clamant, putantes sic illi maiorẽ apud Pilatum inuidiam se cõciliaturos. Dicunt ergo, Nos legẽ habemus, & secũdum hanc debet mori, quia filiũ dei se fecit. Reus igitur est mortis, eò maximè, quòd etiã lex blasphe-
Ioan. 5. mũ pręcipit occidi. Sic Ioãnes quoq; testatur eos aliquãdiu cõceptã hanc secum super illum suspitionẽ agitasse, quãdo semel persuasum habebant, ipsum quacunq; iniuria (quod iure nullo poterant) se condemnaturos ad mortẽ, nõ tãtùm

propter ſabbatum, vt ipſi putabant, ab eo violatũ, ſed quia dicebat patrẽ ſe habere deum, ſicq; ſe ſimilẽ deo faciebat. Aliâs etiam ſuam iſtam fucatam defenſuri probitatem, dicebant ad illum, De bono opere non lapidamus te ſed de *Ioan.10.*
blaſphemia: & quia tu homo cùm ſis, facis teipſum deum. Verùm hîc Chriſtus ſcripturæ teſtimonio euicit: legi contrarium non eſſe, ſi Chriſtus ſit filius dei, quanuis & ipſe ſe Chriſtus non fecerit deum, ſed deus, à deo patre ſit genitus ab æterno. ¶ Quid quòd & hęc ipſa accuſatio non caret vitio? Clamant enim furioſi, filium dei ſe fecit. Miracula autem & opera ſtupenda, quæ præter deum alius nemo facere poteſt, tacent, Neq; hic Lazari meminerunt poſt quatri- *Cyrillus.*
duum reſuſcitari, neq; adoleſcẽtis in ciuitate Naim, neq; fi- *Ioan. 11.*
liæ Iairi. O Iudęos iniquiſſimos, ô vos furore & inuidia cę- *Luc.7.*
cos! Cur nihil ethnico homini Pilato dicebatis de cæco na- *Mat.9.*
to, cui viſum ille reſtituerat? Et id tamen ipſi vidiſtis, neq; dum eius rei vos cepit obliuio. Cur homines inſaniſſimi, *Ioan. 9.*
nihil de mundatis leproſis, nihil de loquentibus mutis, atq; ſurdis audientibus Pilato gentili dixiſtis? an mirum vobis videbatur, canes furioſi & rabidi, filiũ dei nominare ſe, aut *Lu.12.17*
etiã eſſe, qui opera dei faciebat? Omnia heu, quæ vel in primis coram iudice gẽtili dicta oportuit, reticuiſtis? tantùmque blateratis & vociferatis temerè coram eo, qui &. ipſe homo miſer, homines ſolummodo videbat ſcripturarum omniũ ignarus. Sic igitur coram multis iudicibus plurimis inſtructi accuſationibus Iudæi, in calumniã & ignominiã rapere Chriſtum conabantur, quæ tamen omnis in propria ſua capita non aliter recidit, quàm ſputa ſolẽt iſtorum qui in cœlum expuunt, publicè totiéſque proteſtante Pilato ſe nihil in eo videre dignũ morte, atq; ideo ſubinde interrogante, Quid tandem mali fecit? Verum hîc conſidera obſe- *Cyrillus.*
cro, & diligentius paulò expende, quomodo Iudæis cùm putarent hoc ipſo ſe vehementer velle vrgere Pilatum, vt illum occideret, reúmq; mortis declararet, planè contrariũ euenerit: factumq; ſit, vt Pilatus rei magnitudine iam motus, atq; timore quodam perculſus, diligentius inciperet inquirere, vnde eſſet. Nanque & mihi propemodum videtur Pilatum eò perueniſſe, vt ſuſpicaretur Chriſtum dei filium aliquo modo eſſe potuiſſe. Sed quia erroribus Gentilium inuolutus, & fabulis iſtorum perſuaſus, deos credebat eſſe

multos,& ſemideos nonnullos:ideo Chriſtum flagris cædi permiſit,nihilq́; ille reſpondere ei voluit. Quinquies enim in paſſione interrogatus, non reſpondit,ſed tacuit ſemper.

Augu. Hoc autem ſilentium Chriſti vt plurimum factum eſt, ne temerè prophetia illa prædicta videretur. Sicut agnus corã tondente ſe obmuteſcet. Et meritò quidem ſimilitudo hæc ab agno tranſlata eſt, vt ipſe quoque ſicut agnus innocens haberetur, ſuóq; ſe ſilentio non tamẽ declararet eſſe reum, ex prouerbio vulgi, quia hîc etiam innocens tacuit, vt ſic impleretur prophetia: vt doceret adeſſe iam paſſionis ſuæ tempus,quo ille humanitatis ſuæ teſtaretur & argueret infirmitatem,non diuinitatis omnipotentiã,adeò vt tunc Pilatus quoq; & Herodes & pontifices omnes indigni erant, qui veritatem ex Chriſto audirent. 4 Nolente iam reſpondere Chriſto, Pilatus tumore quodam & inani faſtui inflatus, Mihi inquit non loqueris? An neſcis quia poteſtatem habeo occidere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Ecce quid tu Pilate loqueris? Nónne hoc verbo teipſum condemnas? Si enim in tua poteſtate eſt,quare inſontem non dimittis? Nonne dum Chriſtum ignorantiæ accuſas,nec te interim neque Chriſtum cognoſcis, & inſuper teipſum cõdemnas: dicique poterat illud tibi ex parabola euangelica, Serue nequam, ex ore tuo te iudico. Sic iam audiens Chriſtus Pilatum ſuper ſeipſum tuliſſe ſententiam,inquit, Non haberes poteſtatem in me vllam &c. Antea tacebat dominus vt agnus, nunc vt paſtor docet, neque tamen hîc aliud dixit, quàm quod poſt illum Paulus quoque docuit, inquiens omnem poteſtatem à deo eſſe. Dicere itaque voluit Chriſtus, Poteſtatem tu quidem habes Pilate, ſed non ita, vt quodcunque tibi libet, liceat etiã, cùm & tu tuam illam poteſtatem habeas deſuper à domino deo, cuius conſenſu filius dei patris vltrò ſe tradidit in mortem. Vel etiam deſuper,quia à Cæſare. Deinde verò oſtendit Chriſtus Iudam & Iudæos maius habere peccatum quàm Pilatum: quoniam quod iſti ex inuidia,hic timore faceret. Ob hanc itaque & alias prædictas cauſas, quærebat Pilatus dimittere Chriſtum: videns vtique qua erat prudentia vir,quàm maturè & conſtanter eſſet ab ipſo ſuperatus: ſimulque conſiderabat, quantum peccaret, ſi condemnaret innocentem.

Chryſoſt. *Mat.* 21. *Augu.* *Rom.* 13.

Augu. ¶ Videntes autẽ Iudæi ſe nihil proficere iis quæ propoſue-

rāt, quòd filium dei se faceret ille, rursus ad priorem redeūt accusationem: & iudicem, quem filio dei ad sententiam condemnatoriam permouere non poterant, nituntur imperio Cæsaris cogere ad id quod petebant. Plus enim ille metuebat Cæsarem, vnde potestatem suam habebat, quàm legem populi alieni. Et quid inde secutum est, nisi quia regem terræ veritus, regem gloriæ crucifixit! locumq́ue sic dedit furori & inuidiæ eorum, nec puduit ipsum inconstantiæ suæ & iniquitatis testimonio, quod subinde dedit innocentiæ Christi, suam ipse testatus professúsq; est malignitatem. ¶ Sedit itaque Pilatus super tribunali, & dixit, Ecce regem vestrum. Magis ille mollis fuit & ambitiosus, quàm asperis moribus, vt inquit Theophylactus. Neque tamen iis verbis Christum cōdemnat, neque Iudæos in publicam coram omnibus contumeliam vult rapere: sed latenter tantùm exprobrat eis tāquam manifestis impostoribus, quod regem accusent qui diuitiis careat & seruis, qui magnificentiam nullam, nullum ornatum, & insignia nulla habeat, non coronam, non sceptrum, non purpuram, non id genus aliud quicquam. Vt sic manifestè falsa fuerit ista eorum accusatio. Et adhuc tamen errorem quem de Cæsare ingesserant, superare conatur, de ignominia eorum volens eos frāgere, dicendo, Regem vestrum crucifigam? quasi dicere vellet, Hic summus Iudaicæ gentis contemptus futurus est, extremáque ignominia, regem illi proprium in crucē suffigi. Neque tamen iis moti Iudæi, pertinaciùs adhuc cœperunt vrgere Pilatum & illi metū Cæsaris ingerere fortiùs, ex eo quod nolentibus ipsis alium præter Cæsarem habere regem, apertè contra Romanum imperatorem facere videretur, dum regem illum Iudæorum eis permittere vellet. Deum immortalem, quid non perfida audet istorum peruersitas? Deum qui eos genuit derelinquunt, creatoris sui obliuiscuntur, séque Romano subiicient imperio, sub cuius iugo etiam hodie sunt, quanuis inuiti. Et sic instabilis iste & iniquus iudex, dominum Iesum supplicio crucis adiudicauit: non quidem vt illum crucifigerent Iudæi, quia potestatem eius rei nullam habebant: sed vt ad eorum nutū à suis seruis crucifigeretur. O inique comparatum iudiciū, ô sententiam miserabilem, ô verè animæ suæ salutis immemorē, adeóq; penitus oblitū Pilatū! Oremus, Pater noster.

Cyrillus. *Theophy.* *Augu.* *Cyrillus.* *Deut. 32.*

DE CRVCIFIXIONE, TITVLO crucis,& fortitione vestimentorũ Christi.

TEXTVS QVINTVS.

Mat. 27 Mar. 15. Luc. 23. *Svsceperunt autem Iesum,& eduxerunt eum Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè autem Golgatha, vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc medium autẽ Iesum Scripsit autẽ & titulum Pilatus. & posuit super* Mat. 27 Mar. 15. Luc. 23. *crucem. Erat autẽ scriptum, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè & Latinè. Dicebant ergo Pilato pontifices, Noli scribere, Rex Iudæorum, sed* Mat. 27 Mar. 15. Luc. 23. *quia ipse dixit, rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperũt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem, & tunicã. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicẽ, Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Vt scri-* Psal. 21. *ptura impleretur, dicens, Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.*

Augu. 1 Acceperunt itaque dominum ministri præsidis. Quod tamen ad milites quoque referri potest, apparitores Cæsaris: quanuis euangelista etiamsi totũ Iudæis tribuit, meritò facit: ipsi enim susceperunt, quod auidissimè flagitauerunt: & ipsi fecerunt, quicquid vt fieret extorserunt. Et sic graui crucis pondere pressus exiuit Christus, quod sanè mœstum & miserabile fuit spectaculum, aspicere illũ sub mole crucis euntẽ: quod quisquis vidit malus, illi risus fuit: quisquis verò aspexit bonus, ei euidens extitit tum significatio mysteriorum dei, tum suæ probatio fidei. ¶ Portauit ergo crucem Iesus primùm, & deinde post eum Simon: sicq́ue ille passus & crucifixus est extra muros ciuitatis, quemadmodũ Heb. 13. Num. 19 ostendit Paulus ad Hebræos, Quorum inquiẽs, animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Et sic crucifixerunt eum in loco qui dicitur Golgatha (sic habet exemplar Vaticanũ Græcè & Latinè, ideo non curo quod grãmatici ex solis coniecturis côten- Chrysost. dunt Golgaltha legendum) Quidã dicunt (authore Chrysosto-

ſoſtomo) crucem Chriſti fixam eſſe, vbi Adam & mortuus fuerat & ſepultus: vt vbi mors dominata erat, ibi rurſus erigeretur trophæum, quod tulit ille contra mortis tyrannidem. Teophylactus, Poſtquam, inquit, eiectus fuit homo ex paradiſo, domicilium ibi babuit in ſolatiū bonorū, quæ in paradiſo amiſerat. Data ei terra illa, quæ omniū aliarum & optima eſſet & pinguiſſima. Homines igitur qui tunc habuerūt pro miraculo mortui caluariā depilatam, in loco illo habitantes, inde eum nominauerunt. Et poſt diluuium fama hœc à Noe in omnes diuulgata eſt. ¶ Vnde & dominus vbi fons mortis illic moritur, vt eum ſiccet. Pulchra hęc ſanè, & vt ait Hieronymus, fauorabilis eſt interpretatio, plurimū mulcens aurē populi, nec tamen vera: quia Adam inter Hebron & Arbee ſepultus eſt, qui locus à Hieruſalem octo diſtat miliaribus. Quāuis eo ipſo diſſolui poteſt, quòd in Hebræo Adam nō primum tantùm parentem noſtrum, ſed etiam quenuis hominē deſignat. Mitto tamē hoc quicquid eſt. Sed ſi ſanguis Chriſti ex cruce ſtillaſſet vel in minima gutta ſuper corpus Adæ, nónne mirabilis illa fuiſſet dei ordinatio & prouidentia? ¶ Crucifixus itaq; in eo loco dominus, pro nobis factus eſt maledictio, ſecundū quod in lege ſcriptū erat, Maledictus qui pēdet in ligno. Atqui non ille, ſed nos maledicti eramus, & vincti ſub peccato: quia maledictus, dicit deus, qui non permanet in ſermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Sic igitur dominus noſter Ieſus Chriſtus pro nobis, nec quicquam pro ſeipſo ſed pro peccatis noſtris crucifixus eſt, & quidē medius inter duos latrones, ob maiorem illius ignominiam, ſicut prædixerat Eſaias: quia cum iniquis deputatus eſt. Idq; totū dæmonis inſtīctu factū eſt, qui gloriam Chriſti occultare conabatur, ne manifeſtaretur, dum ille latronibus iunctus penderet ex cruce. Verùm conati licebat penitus occultare non licebat. Quia crucifixi ſunt tres, & tamē claruit vnus Ieſus: vt intelligas eius virtute omnia prouenisse. atque tribus crucifixis miracula patuerūt: nemo tamen vllum alteri latronū attribuit. ſed ſoli Ieſu, ait Chryſoſto. ita diaboli inſidiæ irritæ factæ, in eius caput omnino irruerūt: nā & ex duobus vnus ſaluus factus eſt. Non ſolùm igitur crucifixi gloriā non offendit, ſed nō parū auxit: neq; enim minus fuit, in cruce latronem conuerti & paradiſum intrare, quàm petras collidi.

Theop. *Hieron.* *Ioſue 16.* *Galat. 3.* *Deut. 2. & 27.* *Eſa. 53.* *Chryſoſt*

Cyrillus. Cyrillus vult hîc argumentũ & signum esse exhibitũ, quomodo populi duo, Iudęorum & Gentium, in ecclesiæ vnitatem essent peruenturi. Planè hîc forma quędam ostensa est iudicii extremi, in quo mali stabunt à sinistra cum latrone peruerso, cum bono autem boni & electi ad dextram.

2 Scripsit autem & titulum Pilatus, secundum consuetudinem Romanorum, qui solebaut in scedis mortis causam super damnatos scribere, sicut etiamnum in Italia malefactoribus pilei imponũtur ex papyro consuti, in quibus pingi seu describi solet causa mortis eorum Titulũ ergo Christo scripsit Pilatus, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. volens sic excusare Christum, simulque se de Iudæorũ vesania vlcisci. Credibile tamen est, spiritum sanctum id ita voluisse, atque adeò titulũ hunc inspirasse Pilato. Quam ob rem &

Chrysost. Ghrysostomus nõ partam in hoc dispẽsationem esse dicit, quæ hinc pẽdet Cùm enim postmodũ defossum esset lignũ crucis, contigit vt diu post perquireretur: & cum tres cruces inuentæ essent par est, vt & quia media erat, & propter titulum domini crucem agnitam. Nam latronum cruces titulũ istum non habebant. ¶Titulus hic porrò peccati chirographũ deleuit, quod iã olim diabolus cõscripserat aduersus genus humanũ, maledictionẽ, scilicet imminentẽ iis qui legẽ

Coloss. 2. diuinã transgrederẽtur: eam quoq; hoc titulo extinxit Christus: iuxta illud Pauli, Donauit nobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographũ decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: vt iam amplius nõ dominetur hominib' diabolus, sed Christus ille Iesus rex sit Iudæorũ, hoc est, eorũ qui firmiter credentes in illũ, confitentur eundẽ. Tabula cui titulus affixus est, ex oliua fuit cõfecta & adhuc seruatur Romæ ad S Crucem, sicut& ipse vidi. Estq; titulus nõ primis tãtum quatuor elementis cõsignatus, quemadmodum à nonnullis depingitur, sed per singulas literas ad lõgum descriptus ita vt bona illarum pars adhuc accutè cerni queat & dignosci. Scriptus

Augu. est autem Hebraicè, Græcè & Latinè, Hebraicè quidem, vt inquit Augustinus, propter Iudæos qui gloriabantur sibi datam esse legẽ diuinam Græcè, ob sapientiã Græcorũ. Latinè verò, ꝑpter Romanos quorũ tunc potestas latè per totum orbẽ patebat vndiq;. Significatumq; per hoc est, quia deuoti, & sapientes, & potentes venturi essent ad cõfessionẽ

fidei Christianæ. Sunt qui exponentes hoc referant ad tres partes mundi, Asiam, Aphricam & Europam. Sed molestum erat Iudæis, titulum hūc vel aspicere tantùm, ideóque volebant, tantumq́ue non cogebāt Pilatum aliom titulum scribere. Verum iis renuebat: Quod scripsi, inquiēs, scripsi. IbiCyrillus ait, Diuinitus (vt ego puto) factum est, vt trium linguarum, quæ præcipuæ sunt, literis, titulus script' fuerit, qui illum non Iudæorum tātùm, sed omnium quotquot in mundo sunt, regnorum regem ostēderet. O igitur ineffabilem vim diuinę operationis, etiam in cordibus ignorantiū! Nónne occulta vox quædam Pilato intus quod eam, si dici potest clamoso silentio personabat, quód antè in Psalmorum literis ꝓphetarum est, Ne corrumpas tituli inscriptionem? Quanuis non Iudæorum tātùm, vt titulus præ se fert, & gentium omnium rex ille fuit, secundum quod pater æternus dixit ad eum, Postula à me, & dabo tibi gentes hęreditatem tuam, &c. Atque ideo in hoc titulo nomine Iudæorum, totum accipiendum est semen Abrahæ filij promissionis, filij dei. Et sic quoque Christus Iudæorum rex erat, meritóque inscribebatur qui circūcisi erāt spiritu & cordibus, non secundum literam. Sic etiam Pilatus titulum noluit immutare, siquidem non fuit sibi diuinitùs permissum aduersus saluatoris gloriam furere, sed sicut titulus hic inuiolabilis tunc erat, & permansit sine mutatione, ita manebit in æternum. Titulum hunc semper in cordibus nostris circunferre debemus, contra mortem, diabolum, inferos & omnes aduersitates nostras. Multa de eo dici possent adhuc, sed mitto contentus iis quæ superius enarrauimus.

Cyrillus. *Augu.* *Psal. 56.* *Psal. 2.* *Cyrillus.*

3 Eò vsque autē Iudęorū seruorumq; Pilati furor increbuit, vt iam nudo pendēte in cruce Christo, ne vestib' quidem illius parceretur, sed pro tunica eius sors mitteretur. Vnde principiò patet, quatuor fuisse, qui Christū crucifixerūt, eò quòd Ioānes refert, tunica Christi in partes quatuor diuisa, cuiq; cessisse partem. Sunt hîc quidā qui putāt singulos illos partē habuisse & tunicā. verum hoc nō placet Augustino: aliâs enim oporter Christū plures quàm quinq; tunicas habuisse, quod tamen & cogitatu & creditu facile nō est, eum qui in omnibus modestiam obseruauit, nimio vestium apparatu se obruisse. Atque ideo ille verba hæc Ioānis intelligenda esse putat, quòd quilibet seruorum partem

Augu.

habuerit ex vestimēto Christi & tunicam, istam scilicet inconsutilem, desuper contextam per totum: pro qua & sortiti sunt. sicut propriè Dauid in Psalmis fore prædixit, Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meā miserūt sortem. (ecce hîc sortem super vestem.) Quodque cæteri euangelistæ in cómune scripserunt, idipsum Ioannes paulò manifestiùs expressit. Nam cum Marcus ait, eos sortem misisse, quid quisque caperet, suspicari quis posset ipsos super omnibus Christi vestibus esse sortitos. Quod præcauere volens Ioannes, clarè docet & ostēdit quidnam diuiserint, quid in sortem proposuerint: vnde tandē patuit, quid cuique sortito contingeret. ¶ Chrysostomus hinc apparere dicit vestimentorū Christi vtilitatem. siquidē in Palæstina ex duobus pannis vestes contexunt. Post eum Theophy. idipsum quoque testatur, addens ibidem esse moris, vt pauperes gerant vestes duplo cōtextas, per totum filis vndique insertis, sicut nostrates stragulis vtuntur in mari Anglico. Sed quod dicunt quidem tunicam hanc cum Christo accreuisse simul ex teneris annis, pium quidē est & creditu facile, sed id tamen non memini me in quoquā probato scriptore inuenisse. Transeo igitur. Et quia contexta fuit per totum. B. Augustinus exponit id quoque temerè factū non esse, quoniam finis non deforis apparuerit vllus, sed intus fuerit text⁹, ne sic ī modico scissa dissueretur tota. Sic in lege præceperat deus Moysi, vt Aroni pararet tunicam ex serico, eodem quoque modo per totum contextam, fuisse autem tunicam hanc Christi non adeò preciosam, vel hoc arguit, quod idem in Ioanne etiā vestitus cōmēdauit tenuitatem.

Psal. 12. *Chrysost.* *Theophy.* *August.* *q. 118. su. Exod. 18* *Mat. 11.*

4 Cæterùm quādo regula B. Augustini docet malefacta etiā impiorū non carere mysterio & significatione magna, atque ideo à nobis christianis ad gloriam dei, honoremq; sanctorum vertenda ea & exponēda esse: operæpreciū fuerit, nos etiam hoc seruorū impium sanè & abominabile factum quid sibi velit mysticè, paulò diligentiùs inuestigare. Et principiò quidē discamus nos hinc sanctorū vestes & id genus reliquias omnes, non habere contemptui, sed piè & candidè etiā aliis impartiri, vt sic in pluribus locis cultus & honor dei incrementū acquirat. Quodq; satrapæ isti christo fecerūt in ignominiā, nos illi vicissim vertamus in gloriam. Quæ sanè tum radix, tum causa ex multis potissima

Regula. August.

est, cur reliquiæ Christi & sanctorum in tot loca dispersæ vndiq; sint & disseminatæ. Quadripartita, inquit Augu. vestis domini Iesu Christi, quadripartitā figurauit eius ecclesiā, toto terrarum orbe (qui quatuor partibus cōstat) diffusam. Quapropter & Christus dixit se missurū angelos suos, qui congregent electos suos à quatuor vētis terræ. Tunica porrò illa inconsutilis ecclesię catholicæ vnitatē figurabat, quæ etiamnū collecta in spiritu sancto dei, vnitur vinculo fidei & charitatis: quæ quia & superior est scientia, & mandata omnia superat, meritò in veste desuper tota contexta repræsentatur. Et ea incōsutilis quoq; fuit, vt ecclesiā quam figurabat, dissui & scindi nō debere doceret. Væ væ iis, qui temerè ecclesiasticā dissipant vnitatē, vt veteres & recētiores hæretici omnes faciunt. vna, inquit spiritus sanctus, est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Sic etiā Paulus dicit, Soliciti seruate vnitatē fidei Id vinculo pacis. Vnū corpus, vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus dominus, vna fides, vnū baptisma, vnus deus & pater omniū, qui est super omnes. Quæ vtinā Pauli verba omnes verè attenderēt & obseruarent, neq; leuiter adeò se separarēt ab ecclesiastico vnitate. Verè enim illa arca dei est extra quā nemo saluabitur. Rectius itaq; secū deliberent neochristiani, neq; adeò temerè pacē & concordiā ecclesiæ scindant: ne grauiùs offendant Christū quàm serui isti: qui cùm Christū crucifixissent, tunicæ tamē illius pepercerūt neq; dissuerunt eā. Sic quisquis nō in tota est ecclesia, nullā salutis spem habet reliquā. Sic Petrus claues à Christo accepit pro cōseruāda ecclesiæ vnitate, vnus pro omnibus vtiq;, & vnitas est in omnibus. Hierony. hoc ipsum quoq; exponens, refert ad mādata dei, quibus corpus Christi ecclesia tegitur & vestitur. Quatuor tunicæ partes, quatuor sunt ordines siue status ecclesiæ, coniugati, viduę, pręlati & separati, hoc est presbyteri & religiosi.

Reliquiæ August. *Mat. 24* *Ephe. 3.* *Ephe. 4.* *1 Pet. 3.* *Hiero. super Marc.*

¶ Sunt qui referant quatuor hos seruos ad quatuor mundi plagas, quarum peccata Christum Crucifixerunt. Quatuor autem vestimenti partes significant quatuor euangelia. Tunica inconsutilis vnica, vnum illum designat spiritualem, abditum & mysticum scripturę sensum, qui ab ipso iam inde principio suo ad finem vsque, vndique iuxta diuinus ritè contextus est, nec quicquam habet aliunde insutum.

¶Quorsum hæc tam coacta?inquies. Aut quo tandem modo persuaderi potest, vt malefici isti suo exẽplo, tam sublimia expresserint & repræsentarint mysteria? Audi quisquis
Augu. sic cogitas: quãuis enim mali fuerint isti, factum tamen eorum bonum quiddã significat. Sic, quis illam, in quam suffixus Christus est, crucem cõstruxit, ex pessimis vtique sceleratissimis: & illa tamẽ significationẽ magnorũ mysteriorũ habet profundissimã. Idipsum magni secretiq; mysterij
Ephe, 3. loco Paulus etiam habens, scripsit ad Ephesios, Vt possitis cõprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, lõgitudo, sublimitas & profundũ. Quid autẽ est illius latitudo, nisi opera bona in latitudine charitatis? Quid verò lõgitudo, quã perseuerãtia in diuturnitate temporis? Quid altitudo, nisi conuersatio cælestis, quo tendimus omnes? Quid verò profũdũ, nisi gratia dei, ex cuius arcanis & occultis iudiciis proueniũt omnia? Sic crux, quanuis à pessimis hominib⁹ præparata, omnium tamen bonorum nobis fons est & origo: nec quicquam illi decedit bonitatis, licet ab impiis atq; inimicis Christo sit facta & impacta. Certè enim hoc illud signum est, quod nisi adhibeatur siue frontibus credẽtiũ, siue ipsi aquæ qua regenerãtur, siue oleo quo chrisma-
Augu. te vnguntur, siue sacrificio quo aluntur, nihil eorũ ritè perficitur. Audiãt & auscultent hæc Augustini verba neochristiani perfidi, qui crucis vsum in baptismo, cõfirmatione & sanctissimo missæ sacrificio auersantur: recusantes accipere quicquam, quod non ad literam in scripturis cõtinetur, atque ideo se signo crucis consignare nolunt. Deus tamẽ eos quoq; per gratiam suam illustrare dignetur, & reuocare ad veram sacrosanctæ fidei nostræ cognitionem, Amen.

OREMVS.

¶DE IIS QVÆ CIRCA MORTEM CHRISTI CONTIGERE.

TEXTVS VI. ET VLTIMVS.

Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Iesus matrem & discipulum stantem quem diligebat, dixit matri suæ, Mulier, ecce filius tuus. deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Postea sciens Iesus quia iam omnia

consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dicit, Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi verò spongiam plenam aceto, hyssopo cir cumponentes, obtulerunt ori eius. Cùm ergo accepisset Iesus acetum, dixit, consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Iudaei ergo quoniam parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sabbati, rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius cura, sed vnus militũ lancea latus eius aperuit; & continuò exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimoniũ eius. Et ille scit quia vera dicit, vt & vos credatis. Facta sunt enim haec, vt scriptura impleretur, Os nõ comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit, Videbunt in quem transfixerunt.

Matt.27 Mar.15. Luc.23. Mat.26 Mar.14. Luc.22. Exo.12 Num.9. Zacha.12

¶ Ecce rursus alium ex alio dolorem Christi hic Ioannes aggreditur recensere. Quomodo ille post alapas, vincula, sputa, flagra, spineas, crucem, clauos & innumera conuicia matrem dolentissimam conspicatus adhuc est, cuius pectus gladio doloris transfossum, viscera illi intima commouit. Verè enim hîc imbecillior sexus fortior apparuit. Quanuis hîc quoque tenerrima virgo tantis confecta doloribus, etiam stare non potuisset, nisi tum floribus virtutum ornatissimis, tum virtute gratiae diuinae suffulta fuisset, sicut & ipsa in Canticis dicit, Fulcite me floribus. Caeterae hîc quoque stabant mulieres & flebant, facile namque ad lachrymarum flumina genus est mulierum, praesertim si magna causa mouetur. Atque hoc modo euangelista atrocitatem passionis dominicae exprimere voluit, dum ait matrẽ quoque pientissimam cruce filij ignominiosa, crebro Iudaeorum cõtemptu, ludibriosa seruorum pro vestibus sorte, eorundémque peruicacia continua motam, hîc demum verè sensisse gladium, quem ei Simeon iustus praedixerat, inquiens, Et tuam ipsius animam pertransiuit gladius doloris. O gladium verè acutum, immensam istam doloris acerbitatem! Ecce iam tandem reuelatae sunt cogitationes ex cordibus multorum, quando discipuli etiam offensi fugerunt à Christo. O Maria virgo sanctissima, in quanto gaudio, quanta laetitia & exultatione filium illum tuum genueras! Sed quicquid tunc doloris & tristitiae tibi defuit, ita

Chrysost. Cant.2 Cyrillus Luc.2.

diſponente deo, nónne abundè hîc tibi penſatum eſt? Dixit autem Chriſtus matri ſuæ, Mulier, ecce filius tuus, Ioãnem ſignificãs, qui porrò Mariæ filij loco futurus erat: idq; adeò de ſe ipſe Ioannes per circunſtantias oſtendit, Chriſtum illum intellexiſſe diſcipulum quem diligebat. Quãuis enim in vniuerſum ommes diligebat diſcipulos, hunc tamẽ præ cæteris magis amabat, adeò vt illum pectori ſuo indormire

Auguſt. ſineret Credo, inquit S. Auguſtin⁹, vt iſtius euãgelij, quod per eum fuerat prædicaturus, diuinam excellentiã hoc modo aliùs cõmendaret. Sẽſus igitur verbi illius dominici eſt, Mater mea chariſſima, in teneris quidẽ annis à propriis ſuis defenſa eſt parentibus, in iuuentute à nutrito meo Ioſeph, poſt eum ipſe curã illius ſuſcepi: nunc verò ipſe quoq; moriturus, tibi ipſam commendo cõmittóque, Ioannes. Et hîc quidẽ immẽſam charitatem oſtẽdit, cõmendans eam diſci-

Chryſoſt. pulo quem diligebat, & non paruo honore iis verbis eum

Theophy. afficiebat. O honorem quem diſcipulo tribuit, vt illum fratrem ſuum faceret, dum ei Mariam matris loco commẽdat! vſqueadeo bonum & ſalutare eſt manere cum domino Ieſu. Docere tamẽ eô ipſo nos quoque voluit, vt aliis pleriſq;

Auguſt. dominus, dum quod faciẽdum admonet, ipſe facit, ſuo nãque hîc exemplo miniſtros inſtruit præceptor bonus, vt à filiis piis impendatur cura parentibus, tanquam lignum il-

Cyrillus. lud vbi erant fixa membra moriẽtis, etiam cathedra fuerit magiſtri docẽtis. Magnum quid eſt, cũ matri prouidit ſuæ, quaſi parum de magnitudine doloris curaret, Ioannem voluit illi miniſterium & officiũ filij exhibere, viciſſim quoq; illam habere authoritatem maternã in Ioannem, vt ſic charitate mutua deuincerẽtur, nõ minus quàm ſi naturali vinculo coniungerentur. Quis autem dubitet Ioannem deinceps ex commiſſione optimi magiſtri, Mariam dilexiſſe amore & affectu vero filij in matrem?

¶At hinc didicit Paulus illud quod dixit, Si quis ſuorum & maximè domeſticorum curam nõ habet, fidem negauit,

1. Tim. 5. & eſt infideli deterior. Hoc illud etiam eſt, quod iam olim in lege præceperat deus, lapidãdos eſſe irreuerẽtes erga pa-

Exo. 21. rentes ſuos, nõ aliter atque blaſphemos in deum. Quilibet

Leui. 24. hîc Chriſtianus recogitet, quomodo dominus noſter Ieſus Chriſtus in cruce pendens inter acerbiſſimos dolores, omnia tamẽ ſine perturbatiòne fecit mẽtis ſuæ. Ecce enim ma

trem dilecto commēdat discipulo. prophetias implet dum cōsummētur omnia, latroni paradisum promittit, pro crucifigentibus orat, spiritum quoq; suum in paternas manus commēdat. Prius autem quàm crucifigeretur, sudauit, turbatus & cōtristatus est, timuit, vt imbecillitatem susceptæ naturæ declararet. verū hîc iam in eo virtus paruit diuina. Suscepit ergo illam discipulus in suā, hoc est in curam suā, sicque deinceps de omnibus ei prouidit.

2 Dixit iterum dominus, Sitio Ecce hîc homo apparebat qui deus latebat. & idem ipse disponebat hæc omnia, quæ patiebatur. Vidēs itaque omnia consummata iam esse pręter potationem, vt hîc quoque scripturę implerentur dixit, Sitio: quasi diceret, Vnum hoc est quod nondū fecistis: date mihi bibere, sed hoc ipsum quod vos estis. Quid autem iam Iudæi facti erant? acetum insipidum, eo quòd declinauerant defecerántque à sapido illo vino patriarcharum & prophetarum. Restabat enim hoc, vt scriptura hæc etiam impleretur, In siti mea potauerunt me aceto. *August.* *Psal.68.* *Cyrillus.*

¶ Naturale porrò erat, vt iam dominus sitiret. siquidē multum possunt dolores ad commouēdam sitim. Innatū enim calorem exagitantes, quod in profunditate humidum est, consummunt, & igneis ardoribus dolentis viscera vrunt. Accepto ergo in spongiam aceto, hyssopo circumponebāt, & sic domino porrigebant, vt dolorem illi grauiorē incuterent. Sed vbique interim hîc annititur Christus, nouam hanc mortem fuisse: siquidē in potestate morientis erat, ne priusquam ipse vellet, & omnia impleta essent, moreretur. Atqui tu hîc malignitatem cōsidera seruorum: nos etenim etiam cōdolem⁹, dum tot hostes & inimicos nostros videmus interfici: isti verò nequedum pœnis & suppliciis satiari potuêre: acetum insuper domino porrigunt, vt illudant magis, & ne quid acerbitati doloris desit, & potus amaritudini, etiam hyssopum circumligant, vt potionem lætalem efficerēt, quemadmodum ait Theophylactus. Obiicies autem ex Marco, quoniam dicit vinum accepisse eos, Ioānes acetum, Matthæus & Marcus meminerunt arundinis, Ioannes hyssopi tantùm. Ad hæc facilè responderi potest, & dici ea omnia esse facta, quanuis non item ab vno euangelista descripta. Primùm enim vinum ei obtulerunt cum felle & myrrha permixtum, vt impleretur prophetia Hieremiæ. *Chrysost.* *Theophy.* *Matt.27*

Quod quidã factum esse perhibẽt in loco Caluariæ, priusquam crucifigerẽt illum. Multò autẽ pòst cõtingit illa potatio cum aceto, vt consummaretur illud quod prædixerat

Psal.68 Dauid. Idque designare volentes Matthęus & Marcus, vini & aceti mentionem tantùm fecêre. ¶ Ioannes itaque vidẽs reliquos arundinis meminisse, ipse de ea verbum nullũ addidit. Christus tamen acetum accepit quidẽ, hoc est gustauit, sed non bibit. Et cùm plures fuerint serui iniquitatis, quisque pro se aliquid cõuentus est, quo dominum præ cæteris magis offenderet. Pulchrum est quod hîc Bernard. Pa

Bernard. tet, si quisquam alius, in meditatione certè feruentissimus, contẽplatur, Domine, inquiens, quid est quod sitis? Nónne te sitis ista magis, quàm crux ipsa excruciat? De cruce taces ex siti clamas. Quæ igitur sitis illa? nõne sitiebas salutẽ hominum, salutem animarum nostrarum, gaudium nostrum?

3 Deinceps iterum ait dominus, Consummatum est, scilicet ipso facto & opere, quod antea erat in prophetia. Cyrillus verbum hîc ad passionem Christi refert. siquidem om-

Cyrillus. nis iste tumultuantium Iudæorũ furor, qui feruebat in passione Christi, iam in morte eiusdem desiit. Tu igitur homo Christiane sic tecũ cogita, Consummatæ sunt omnes pro-

Consummatũ est. phetiæ de Christo, consummatum est & ipsum testamentũ vetus totum, nouum nunc nobis nascitur testamẽtũ: Christus etiã quasi hoc ipsum sic secum dicere visus est, Cõsummatum est, supplicium meũ, opus redemptionis generis humani, cuius gratia è summo cælo descẽderam natus homo, id quoque iam cõsummatũ est, idipsum ego illi tam peractum offero in diuinas manus suas. Sic Paulus, Decebat, in-

Heb.1 quit, eum propter quem omnia, & per quẽ omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorẽ salutis eorum, per passionẽ consummari ¶ Sequitur, Et inclinato capite emisit spiritum. Nota hîc, quia spiritum emisit, volens ostendere quia potestatem habeat ipse ponere animam suam, & eã-

Ioan.10 dem rursus assumere. Quis enim ita dormit, quãdo voluerit, sicut Iesus mortuus est, quãdo voluit? quis ita vestem de-

Augu. ponit quando voluerit, sicut se carne exuit quando voluit? atque ideo inclinato prius capite, tũc demum mortuus est, cùm tamẽ cæteri homines iam demortui capita sua demittant. Cum valido etiam clamore, cum lachrymis & oratione spiritũ emisit, qui in diebus carnis suæ preces supplica-

tionésq; cũ lachrimis obtulit deo (vide in prima passione.)
Rogauerunt autem Iudæi Pilatum, vt frangeretur eorum *Artic.7 puncto 2.*
crura, neq; sic corpora manerent in sabbato. erat enim dies
parasceues, sicuti tũc diem sabbati sanctiùs strictiúsq; multò obseruabant, & etiam nunc colunt, quàm nos Christiani diem dominicum nostrum, quando iam deuenerunt eò festiuitátes nostrę, vt pro iis aleæ, conuiuia & ebrietates colãtur. Quanuis nunc quoq; eò ipso excusati nõ fuerint Iudęi siquidem fucum tantùm & prætextum pietatis præ se ferebant, cæterùm à vero dei cultu & timore alienissimi: quomodo enim legẽ domini seruauerint, qui legislatorem occiderant? Habebãt eius rei expressum & apertissimum mãdatum in lege, ne quenquam per noctem sinerent in cruce *Deut.21.*
pẽdere. quia sic lex habet, Quando peccauerit homo quod morte plectendum est, & adiudicatus morti appẽsus fuerit in patibulo non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur. Sic ex præcepto dei cogebantur cruci fixos eodem die sepelire & quia erãt interdum, qui aliquã diu poterant in cruce pendẽtes viuere, sicut apud nos iis cõtingit nõ rarò, qui rotis imponuntur, vel in palum suffigun tur: crura eorum frangebantur, vt sic celeriùs morerentur.
¶ Nec est, quòd nostrates principes & prefectos vrbibus ma gistratus calumnietis, quòd in patibulũ suspensos non statim deponi sinunt, sed quàm possunt diutissimè in illo pendere: neque enim in eo peccant, quia lex Mosaica in iudicialibus nos Christianos non ligat. Sic multæ sunt causæ, cur aliquis sepultura careat, puta qui tempore paschali non confiterur, qui imperatoriam maiestatem offendit: huiusmodi nanque exempla fiunt causa rei publicæ, in terrorem aliorum, ne & ipsi delinquant similiter. Quid quòd iura e- *L. capita*
tiam ciuilia iubẽt, latrones famosos eodem quo latrocinati *famosos*
sunt loco occidi? Taceo Hieremiam, qui quo horrore præ- *ff. de pæ.*
dicit impiis iudicia durissima, dicens, Mortibus ægrotatio- *Hiere.16*
nũ morientur, non plangẽtur & non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt. Atq; ideo odio scelerum, in exemplum malorũ, & amore reip. bene faciũt tum principes, tũ primores ciuitatũ, dũ maleficos & sceleratos insepultos sinunt in patibulis, rotis seu portis ciuitatũ pendere.
4 Fractis iam duorum latronum cruribus, cùm viderent ministri iam mortuum esse Christum, non fregerunt eius

crura, sed vnus militum lācea latus eius aperuit: atque id sane vulnus etsi non senserit Christus, quia iam mortuus, dici tamen non potest, quàm acriter penetrauerit pectus & animum Mariæ. Vigilanti autem, inquit Augustinus, verbo euangelista vsus est: vt nō diceret, latus eius percussit aut vulnerauit, sed aperuit, vt illic quodammodo vitæ ostium panderetur, vnde sacramenta ecclesiæ manauerunt: sine quibus ad vitam quæ verè vita est, non intratur. Idque adeò iam olim præfiguratum erat in eo quod dominus præcipit Noe, vt in latere arcæ foramen pararet potentiùs: quo animalia quæ diluuij interitum effugere deberent, ingrederentur. Et sicut Eua viuentium mater, è dormientis Adæ latere est desumpta, ita planè soporato iam Ada cœlesti in ara crucis, capite inclinato, sponsa illius ecclesia catholica mater fideliū, sumpta est ex eius latere. ¶ At hîc alij aliter sentiunt, Cyrillus quidem fecisse hoc ipsum putat militem, vt experiretur an iam mortuus esset Christus Chrysostomus autem illud ab eo factum existimat. vt per hoc placeret Iudæis. Deinde homines pios admonet diligenter simul & docet, quidnam contemplari debeant circa hoc, quod ex latere christi sanguis fluxit & aqua: quoniam hac ipsa baptizamur, illo autem potamur. Vnde qui ex calice communicāt de sanguine christi, pari reuerētia accedant, ac si ex ipso latere christi sugerent viuum & calentem sanguinem. Theophylactus etiā sanguinem, inquit ex mortuo corpore prodiisse, admirabile est, atq; ideo Armenios reprehendit, qui nō miscēt in calice vinum aqua, cum tamen ex latere christi aqua cum sanguine fluxerit. Qua de re multa habet Chrysostomus. ego iis supersedeo lubens. Tantum te piè lector, admonitū hîc volo, vt neochristianorum obserues conatum impium insanúmque errorem, quia & ipsi in eadem hæreseos naui cum Armeniis sedent, non attendentes articulum istum ante tot annos ab ecclesia reiectum, explosum, damnatum. Lōginus ille (hoc enim ei nomen erat) intellexit vtique istud, quicquid erat, miraculum certè naturam excederet: ideóque credidit in christū, vt ab apostolis edoctus mysteria fidei. tandem in cæsarea cappadociæ, supplicia & mortem pro confessione nominis christi cōstanter passus est: cuius etiānum festus dies in ecclesia celebratur 15. Martij. Sunt ex grammaticis theologis quidam, qui hoc multis modis irridēt, &

August. *Gene.6.* *Gene.2.* *Cyrillus.* *Chrysost.* *Armen.* *Cyprian*

nescio quodnam Ionchi somniant. Verùm ego multo plus sanctæ & catholicæ tribuo ecclesiæ, quàm pridianis istorũ somniis qui vix hodiè aut heri nati, ipsi alia ex aliis nobis obtrudere conantur commenta. Equidem sanè cur non magis Augustino crederem, qui vt erat ecclesiæ martyrum, proximus, eundem quoque Longinum appellat, sic dicẽs, Claui & lancea clamant mihi, quid vere recõciliatus sum christo, si eum verè amauero. Longinus aperuit mihi latus christi lancea, & ego intraui, ibíque requiesco securus. *Aug. in manuali cap. 23.*

¶Idipsum porrò miraculum tantùm, Ioannes quoq; triplici confirmat testimonio, suo ipsius, quoniam hoc viderit: deinde Moysis qui à deo iussus, præcepit ossa agni paschalis frangi, comminuíque non debere, atq; adeò in Christo etiam vero agno seruari hoc conueniebat: postremò Zachariæ, qui & ipse prædixerat. Videbunt in quem pupugerunt. *Exod. 12.* *Zach. 11.* ¶ Age nunc Christiane homo, erige animi tui affectum, & contemplare passionem pariter & mortem domini nostri Iesu Christi, quomodo tristatus ille est & conturbatus in mortem vsque, quomodo præ angustia sudorem sanguineum sudauit, quod omnibus retro seculis inauditum fuerat. Meditare deinceps quibus tumultibus, insultibus & clamoribus irruerint in illum iam orantem Iudæi cum armis, lanceis, clauis, facibus atque lucernis. Porrò ob oculos animi tui tibi propone, quomodo ille à proprio discipulo venditus, traditus, & ad extremũ osculo sit proditus: statímq; vasto impetu captus, ligatus, huc illuc detrusus: & tãdem ad Annam sit raptus, accusatus ibidem & alapis durissimè cæsus. Mox ab Anna ad Caipham pari violentia attractus, à falsis testibus iniquissimè accusatus, & pro blasphemo morti adiudicatus: nocte tota illusus, consputus, facie velatus, & ridiculè de prophetia inquisitus, à quonam cęsus esset. ¶ Recogita hîc quoque, nec de cætero vnquam vide obliuiscaris, anima fidelis, quomodo deus idémque creator & redemptor tuus, summo mane ex ædibus Caiphæ ad Pilatum abducitur coram omni populo, & ibidem accusatus statim ad Herodem pertrahitur: vbi quoque æterna illa summi dei sapientia pro fatuo reputatur: rursúsq; ad Pilatũ adductus, denuò durissimè & sine omni cõmiseratione flagris cæditur, spinis acutissimis coronatur: vt iam nullus pateret toto corpore locus, qui non vulneratus & apertus san

ctissimo sanguine manaret. Neque hîc aliquis tamen modus fuit. Insuper adhuc sanguine madens, toti ostensus populo est, multísque modis accusatus, & ad extremum à Pilato iniquissimè condemnatus ad mortem ac supplicium crucis. Sic itaque defatigatus & totus lassus, continuísque pœnis emaceratus, sub graui crucis mole tandem exiuit, quanuis in itinere non semel deficientibus viribus lapsus sit. & cum in Caluariæ locum peruenisset, vestib⁹ suis exutus clauis cruci affixus, & in ea pendens à militibus & seruis Pilati derisus, subsannatus à Iudæis, felle & aceto potatus. Accidit iis omnibus sanctæ meditationis partibus, quomodo ille alterius quoque latronis calumniam perpessus, & aspectu dolentissimæ matris est perturbatus, tandémque inter acerbissimos dolores cum clamore & lachrymis spiritum suum in paternas manus commendauit. Post mortem quoque latus eius sanctissimum lancea apertum est, sanguinéque simul manauit & aqua in ablutionem animarum à peccatis. Meritò igitur illum laudamus, benedicimus & glorificamus, inuocantes eũ voce, corde & animo in secula seculorũ. Amen.

PIA ET SANCTA PRECATIO.

O Gloriosissime, benedicte & misericordissime domine Iesu Christe, per sudorem sanguineum tuum, per vincula tua, illusionem, flagella, coronam, iniquam condemnationem, per illam quæ te suscepit clauis affixum, crucem sanctissimam, per sitim quam in cruce pro animarũ nostrarum salute sustinuisti, per mortem denique tuam amarissimam, propitius & misericors nobis esse dignare, vincula quoque nostra disrumpe, peccatorum nostrorum flagra, ipsámque adeò pro eis debitam pœnam adime, vt tandem læti & alacres appareamus in conspectu tuo, tecúmque & cum omnibus sanctis tuis viuamus in secula, Amen.

COLLECTA.

REspice, quæsumus te omnipotens sempiterne deus, super familiam hanc tuam oculis misericordiæ tuæ, pro qua dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentum, & crucis subire tormentum. Amen.

¶EVANGELIVM IN DIE PARASCEVES, QVOD TAMEN NONNVLLI in vigilia Paschæ dicere soliti sunt. Ioan. 19.

POST *hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathia, eò quòd esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum, vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo & tulit corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm ferens mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centum. Acceperunt autem corpus Iesu, & ligauerunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter parasceuem Iudæorum (quia iuxta erat monumentum) posuerunt Iesum.* *Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23. Mat. 27. Mar. 15. Luc. 32.*

EO ERANT in Christum odio exasperati Iudæi vt de nulla omnino, tantum abest de honestiore, sepultura illius prouidere cogitarint. Et tamen impleri quoque oportebat istam de Christo prophetiam, Erit sepulchrum eius gloriosum. *Esa. 11.* Excitauit itaque dominus deus cor nobilis & principis viri Ioseph ab Arimathia, qui & aliâs vir pius erat, & Christi discipulus occultus. Qui cùm videret neminem esse in Hierusalem, qui sibi sepeliendi Christi prouinciam sumeret, ipse animosius accessit Pilatum, rogauítque dari sibi corpus Iesu. Arimathia autem, authore Eusebio de nominibus Hebraicis, ciuitas fuit eadémque patria Helcanæ & Samuelis, iuxta ciuitatem Diospolim: & illa aliâs appellabatur Armatha Sophtim. *Arimat. Eusebius.* Ioseph discipulus Christi erat: & quanuis Theophylactus existimat eum vnum fuisse ex septuaginta duobus, tamen communis sententia doctorum eò vergit, quòd hic discipulus Christi appelletur, quoniam in eum crediderit, fide scilicet, nō numero. Sic igitur, vt satis fieret prophetiæ, Christíq; sepulchrum esset gloriosum, venerunt illi duo viri nobiles & magni nominis, Christum sepulturi, Ioseph & Nicodemus: hic verò ille fuit, qui & princeps erat Iudæorum, & antea ad Christum venerat noctu. *Ioan. 3.* Eundémque adeò Christi fuisse

discipulũ, inquit B. Augustinus, certo modo in reuelatione
August. corporis beatissimi Stephani, ferè omnibus gentibus declaratur facta autem illa est anno salutis quadringentesimo septimo, quando sanctus Gamaliel apparuit Luciano, ostendens ei sepulchrum sancti Stephani, Nicodemi & Abibæ, vt sepelirentur honestiùs: quoniam Deus per ariditatem & sterilitatem afflicturus mundum, decreuerat per eorum intercessionem misericordiam illi exhibere. De rosis illius vide
August. Augustinum lib. 22. cap. 8. de ciuitate Dei. ¶ Nobiles illi duo, qui sepeliendi Christi laborem suscipere non recusarunt, fidem rectam nõdum habebant, omnia de illo tanquã puro homine opinati, sed tamen amici Dei. Apostoli autem sepulturæ Christi interfuisse nusquam commemorãtur (nisi forsitan Ioannes suscepta iam Mariæ cura, comitatus sit
Chrysost. eandem) ne fortè Iudæi illos in suspicionem furti de corpore Christi raperent. Duo illi autem, quanuis non omnino timore carebant, quo nomine euangelista alterum discipu-
Chrysost. lum Christi occultum, alterum ad ipsum noctu venisse commemorat, tamen paulò animosiùs liberiúsque ad crucem accesserunt iram Iudæorum iam putantes esse sedatam, planéque tam ignominiosa morte satiatam. Augustin. intelligen-
August. lib. 3. de euange. cap. 22. dum hoc esse refert hoc modo, quòd ille fiducia dignitatis id fecerit, qua præditus poterat familiariter intrare ad Pilatum. Tu verò hîc feruentissimos expende dolores virginis Mariæ, quæ iam filium suum conspicata demortuum, vidit deinceps miserabiliter adeò de cruce deponi. Vnde inter tot ærumnas, miserias atque dolores non paruo illi fuit solatio adueniens à Pilato Ioseph, & denuncians corpus sibi Christi esse donatum. 2 Attulit autem secum Nicodemus vnguentum myrrha & aloe mixtum circiter libras centum Vide hic, Pickarde stupide, attende Neochristiane furiose & appende quisquis es, qui perire putas quicquid in mortuos confertur. Vtique enim si honor ille funebris iniquus esset, Christus etiam nõ tulisset hoc modo corpus suum in-
Mat. 26. ungi. Diceres ergo. Quorsum ista sumptuum funebriũ perditio, vox est Iudæ, indignantis vnguentũ in corpus Christi impensum: clamantis quoque venundatum illud denariis ducentis, distribui debere pauperibus, sed quid ad hæc euan-
Mat. 26. gelista? Non sanè hoc locutus Iudas fuerat, quòd pauperum curam habebat, sed quia sacculum seu loculos portabat, &

fur

fur erat. Ita periculum graue est, ne similiter plerique faciāt Neochristiani, non amore pauperum, quos neque in minimo iuuant, sed vt sua inde infarciant marsupia: non attendentes illud decalogi, Non furaberis. Et vt maximè ipsi nullum inde lucrum reportent, tamen auaritiæ studio illud negligunt, ne & ipsi aliquid contribuere cogantur. *Impensæ funebres.* *Exo.20.*

¶ Doctores hoc loco causas tres commemorāt, cur Ioseph & Nicodemus meritò corpus Christi tanto honore & apparatu sepelierint. 1 Quia corpus hoc nobilissimæ debebatur animæ, cuius organum etiam peculiare erat & instrumentum: decebat igitur illud vel saltem ratione nobilissimæ animæ magis honorari. 2 Quando corpus hoc ordinatum erat ad immensam illam & gloriosam resurrectionis claritatem, etiam dignius erat ampliori veneratione. 3 Insuper quoque vnitum illud deitati seu essentiæ diuinæ, quoniam quicquid semel assumpsit Deus, nunquam dimisit: & sic idem ille honor ei debebatur, qui aliâs propriè Deo tribuitur, sub ratione summi boni, sicuti fit in sacrificio missæ, quando sacramentum adoramus, non ipsius in se corporis respectu, sed vnitæ diuinitatis ratione. Quomodo Mariç Magdalenæ post vnctionem corporis sui dixit, Bonum op⁹ operata est in me. Ne ergo corpus Christi putresceret, tanta diligentia accuratum est a Ioseph & Nicodemo. Quod ipsum tamen exemplum Iudæi à patriarcha Ioseph sibi sumpsisse creduntur: quoniā & ille corpus patris sui Iacob iamiam defuncti, pretiosissimis sinebat vnguentis perūgi, sicq; sepeliri, sicuti nobis Geneseos narrat historia. 4 Susceptum itaque corpus Christi Ioseph & Nicodemus inuoluerunt linteo, vt Ioannes, siue vt Mattheus loquitur, sindoni. Hinc institutum à sanctis patribus est, corporale illud super quo sacerdos in missa corpus christi conficit, lineum esse debere, non ex serico paratum. Sic Eusebius inquit, Consultò omnium statuimus, vt sacrificium altaris non in serico panno aut intincto quisquam celebrare præsumat, sed in puro lineo vel linteo ab episcopo consecrato. Ex sequenti tamen capite colligere licet, non corpus tantùm christi linteo esse cōuolutum, sed & caput sudario circūligatum, quod hic forte breui verbo euangelista complexus est, quum ait, Sicut consuetudo est Iudæis sepelire. Vnde & nos docemur circa funebria sacra, quæ defunctis exhibemus mores cuiuslibet *Honor.* *Veneratio* *Latria.* *Damasc.* *Ioan.12.* *Gene.50.* *c.consulto de consecr. distin.1.* *August.*

ſeruare regionis, neque nouum & inſuetum aliis quicquam comminiſci. Videant hîc & confundantur Neochriſtiani, qui ſanctum piúmque morem ſepeliendi mortuos, non per Germaniam tantùm, ſed toto chriſtianiſſimo ſeruari ſolitũ abolent vltrò, neque obſeruare ſtudent: quum tamen Chriſtus ſepeliri dedignatus non ſit iuxta morem & conſuetudinem Iudæorum. Equidem credo ſingulari quadam permiſ-

Sepulturæ hæreticorum. ſione Dei, id ita fieri, vt iſti non ſepeliantur cum patribus maioribúſque ſuis, hominibus piis & verè catholicis: à quibus quando per omnem vitam in cultu Dei, diſciplina vitæ & omnium probitate degenerant, quid reliquum putas, niſi vt tandem infœliciter mortui, ſepultura etiã aſini ſepelian-

Hiere. 22 tur? Honeſtè & cum omni dignitate Chriſtum ſepelierunt

Chryſoſt. Nicodemus & Ioſeph: cúmq; tempore vrgerentur, eò quòd veſpere nihil licebat operari, nihil tamẽ omiſerũt quod ad ſepulchralem honorem faceret. Mortuus autem in cruce Chriſtus hora nona fuerat. deinde veniẽtes ſatellites fregerunt crura latronum. Nicodemus & Ioſeph petierunt à Pilato ſibi dari corpus Ieſu, deinde illud de cruce depoſitũ ex more Iudæorum abluerũt. & quia imminens iam ſabbatum vrgebat, in proximo monumento ſepelierunt, quanuis hoc modo omnia fieri, erat diuinitus inſtitutum & ordinatum.

Cyrillus. 5 Quàm porrò diligenter locum ſepulturæ deſcripſit euãgeliſta? primùm enim fuiſſe ibi hortum dicit, & in horto monumentũ nouũ. Quòd hortus ibi fuerit, eò refert, quoniam recurſus nobis ad paradiſum morte Chriſti ſit præparatus, quem antea peccato amiſeramus. Cõueniens ergo, vt iam in cruce mortuus, ſepeliretur in horto, cui ſuppliciorũ omnium mortis etiã & huius quoq; ſepulturæ cauſa ex horto prouenerat peccatũ protoplaſti: quanuis ille ipſe hortus etiam eccleſiã deſignare poteſt, quoniã ſic eã ſpõſus vocat, Hortus cõcluſus, ſoror mea ſpõſa, hortus concluſus, fons ſignatus. Deinde non lõgè diſtabat ſepulchrũ hoc à loco quo

Cant. 4. crucifixus erat dominus, ſicut hoc nobis fratres qui viderũt annunciare ſolent. vix enim pedes ſeptingenti intererãt. Et quòd ſibi Ioſeph ſepulchrũ in horto cõſtruxerat, id quoq;

4. Re. 21 factũ eſt more Iudæorũ, quo Amon quoq; rex, & Oza monumentũ ſuum in horto habuiſſe leguntur. Cur autẽ ita in propinquo illum ſepelierint, partim in cauſa eſſe poteſt imminẽs iã feſtiuitas, partim etiã vt faciliùs ſic Maria & diſci-

puli sequerentur, circunlustrãtes vndiq; cuncta quæ fiebãt. siquidem deinceps quoq; per omnẽ vitam suã virgo Maria circuiuit ibidem, quotidie loca sancta inuisens, vbi captus fuerat dominus, crucifixus, sepultus, &c. Quod ipsum multi etiam boni homines affectu pio isthuc peregrinantes, & vix demum magnis tum laboribus tum impẽsis peruenientes, factitarunt vsque in hæc miseranda tempora: quibus vt alia pleraque, ita hoc quoq; opus sanctũ Neochristiani derident. Potest propinquitatis huius & illa reddi causa, vt sic faciliùs Iudæi custodirent monumentum, minúsque discipulos suspectos haberẽt de sublato furtim corpore Christi. *August.*

5 Nouum insuper erat hoc sepulchrum, neq; in eo quisquã adhuc positus erat: vt sicut in Mariæ virginis vtero nemo ante illum, nemo post illũ cõceptus erat: ita in hoc monumẽto nemo antè illum, nemo post illum sepeliretur vel sepultus esset. Quanuis id quoque, vt alia, dispensatũ est diuinitus, vt in nouo monumento sepeliretur, ne quis alium resurrexisse arbitraretur. *Chrysost.* Sic præordinauerat dominus sapientia diuina, vt mors sua probaretur, & resurrectio similiter manifestaretur. Quamobrem etiam ante vtrũque latronem mortuus fuerat, & post mortẽ permisit adhuc latus suũ lancea aperiri, dehinc voluit in monumentũ nouum deponi, monumentum lapide etiam obsignari, à vigilibus custodiri. vt sic angeli, apostoli, lapis sepulchrũ, ipsiq; adeò hostes sui, testimonium ei perhiberent de morte & resurrectione Christi. Et sanè necessarium erat, vt euangelistæ summa diligentia mortẽ Christi omnino certissimè describerent. siquidem si in ea vel minimo dubitatũ fuisset, quod tamẽ sic quoq; in tam diligẽtissima & accuratissima mortis illius descriptione facere ausi sunt impij Manichæi, quędã obsecro fides resurrectionis eius futura erat? Eodem pertinet, quod Paulus etiam in reliquis fidei nostræ regulis diligẽter adeò & solicitè mortuũ esse Christũ cõfirmauit. *Roma.10* *1.Cor.15.* Monumẽti porrò nouitas, nouũ etiam atque inauditum de morte ad vitam reditum significat. *Cyrillus.* Quia enim antea non temporali tãtùm morte obstricti eramus, sed etiam sub graui mortis iugo & imperio detinebamur, nõ sine periculo mortis æternę, tunc demũ cùm alter Adã Christus Iesus mortu' est, reformauit ille nos etiam in nouitate quadã mortis, quæ tamen somno quàm morti similior sit, nec cuiquã bono metuẽda: quoniã

pretiosa iam in conspectu domini est mors sanctorum ei᷒.

Psal.115. ¶ Praeterea nos illa monumenti nouitas docet, vt & ipsi re-
Theophy. nouemur in Christo Iesu domino nostro: quomodo & Pau
lus consepultos nos esse dicit cum illo per baptismū in mor
Roma.6. tem: vt sicut christus resurrexit à morte per gloriam patris,
Pauperies & nos in nouitate vitae ambulemus. Postremò inopiam &
Christi. egestatem Christi hîc consideremus, quam etiā propter nos
ille sustinuit. Ecce enim natus iamiam hospitio carebat, te-
ctum nullum habebat, in praesepe tantùm repositus est. De-
inde per omnem vitae suae decursum nec domū habuit, quā
inhabitaret, neque quicquam vbi caput reclinaret. Mortuus
Ioan. 20. demum non tantùm linteo carnis cui inuolueretur, verum-
etiam monumento in quo poneretur. Caruisśétque iis om-
nibus, nisi ita disponente Deo, omnia haec sibi à piis homi-
Chrysost. nibus essent administrata. Quid quòd nudus etiam ex mo
numento resurrexit, derelictis in eo linteo simul & sudario
quibus obuolutus fuerat? Et tu igitur cùm haec & huiusmo-
di alia audis, cessa ab insana funeris impensa. Quid enim si
bi hoc superfluum vult & inutile dispēdium, quod ipsis qui
faciunt plurimum affert detrimenti, mortuis nullam vtili-
tatem, vel damnum potius? Sepultura enim optima est, vita
bene & piè exacta. Et tamē vicissim nihil omnino velle im
pendere defunctis, neque eis iuxta persoluere, neque cum
dignitate sepelire, quod nunc Neochristiani facere praesu-
munt, id sanè legibus naturae, canonibus sacris, & ciuili iuri
repugnat, aduersatúrque consuetudini sanctae ecclesiae: cui
August. & Paulus multū tribuit, & Augusti. in lib. de cura pro mor-
tuis agenda. Qua de re plura, fortunante Deo, dicturi sum᷒
in die commemorationis animarum. Quoniam cùm Chri-
stus post tam abominabilem & ignominiosam mortē cru-
cis, tātis tum sumptibus tum honoribus voluit sepeliri, qua
fronte reprehendere quisquam audebit tanquam christia-
nis indignum, quod sibi Christus & voluit impendi, & ab
aeterno fieri praeordinauit? Quid quòd eius sententiae mul-
ti sunt, solum ex omnibus apostolis Ioannem nullo suppli
ciorum genere ad mortem vsque excruciatū, eò quòd chri-
stum cum dignitate iuuerit sepeliri? Taceo quòd Christus
summo manè cùm resurrexisset, prius Mariae Magdalenae
caeterísque visus est mulierib᷒ quàm Petro, quod illae etiam
mortuo honorem impendere curarint, paratae in hoc pre-

ciosissimis quibúsque vnguentis. Hoc quãuis vulgatum tacere non possum, quod Christus ipsi etiam Iosepho apparuit: quem ideo captiuum tenuerant Iudæis, quoniam corpus domini à Pilato petitum tãta cum dignitate in proprio suo monumento sepeliisset. Et nos igitur charissimi in christo fratres, dominum linteo inuoluamus cõscientiæ bonæ, hoc præcipuè tam sancto tempore. Vngamus corpus domini vnguentis pietatis & iustitiæ. Tegamus & restituamus dominum in pauperibus suis, quibus etiam largius paulò nunc necessaria distribuamus, Sit animus noster sicut petra durissima, in fide fortis & cõstans, in omnibus operibus bonis perseuerans, ne sicut ad vomitum canis, ad vitia pristina recurramus. sicut cor nostrum hortus floridus domino nostro Iesu Christo. variis virtutum omniúmque operum bonorum floribus consitus. Petram illam monumento christi aduoluamus, Christum ipsum nimirum: ipse enim petra solida est, quæ vbi cor nostrum occluserit, tunc sanè arcem illam habituri sumus inuincibilem, aduersus omnia vitia & peccata, cõtra ipsos etiam dæmones infernales Hoc tibi sit in imo pectore semper situm consiliũ, statímque vbi te diabolus in superbia tẽtare occeperit, instar primorum parentum, vt cæteros præ te contẽnas, te vnum aliis omnib' præferas, mox hanc petram pectoris tui In monumento aduolue: recogita quomodo dominus ille & Deus tuus, cùm esset sanctissimus & omnium altissimus, sit humiliatus, cœlóque demissus ab alto, etiam discipulorum lauerit pedes tradit', captus. vinctus, illusus, consputus, cæsus quoq; flagris, & ad extremum morte turpissima sit condemnatus. Quòd si porrò te diabolus lepra titillet libidinis, eandem hanc, petram cordi tuo admoue: vide & expende, quomodo Christ' corpus suum castigarit, séque ipsum vigiliis inedia & laborib' emacerarit: tandémque post virgas, spinas & flagella in durissimo lectulo crucis émiserit spiritum suum. Ad eundem modum si & nos corpora membráque nostra castigauerimus, & nosmet in ieiuniis, abstinentia, vigiliis, atque laborib' exercuerimus, nullam quærentes carnis voluptatem, nec illecebras peccatorum, facilè huiusmodi euitabimus vitia. Cæterum, si colon inuisum morbi genus intima capit viscera, hoc est, si inuidia idipsum existens animo, quod est colica corpori, rodit interiora mẽtis: age & tu petrã hanc aspice

1. Cor. 10 *Gene. 3* *Serenus.*

Christum,qui pro crucifixoribus etiam suis rogauit Deum,
Luc.23. dicens. Pater, ignosce illis. similiter latroni tantùm petenti
vt sui aliquanto meminisset,promisit paradisum. Sed neque
tot ægritudinibus contentus est diabolus, insuper etiã hydropisim
tibi intentat auaritiæ,est enim hæc illi modis omnibus
Apc.29. nibus simillima. Et tunc sanè monumento cordis tui petram
Psl.23. aduolue Christum : & videbis subito regem regum,ditissi-
uc. 2. mum illum omnium: cuius etiam orbis terrarũ est & pleni-
Matt.8. tudo eius, in sua statim natiuitate fuisse pauperrimum hospitio,
quo exciperetur caruisse,tãtúmque in præsepe repositum:
deinde in tota vita sua sic eguisse, vt nec domum neque
quicquam quo caput inclinaret, habuerit. Iámque moriturũ
illum,partitis inter seruos præsidiis vestimentis suis,
nudum omnino ex hoc mundo excessisse:atque sic mortuũ
proprio etiam sepulchro caruisse. Quàm autem pauper factus
est propter hominem,tam rursus liberalis & munificus
in suo testamento extitit. pacem enim & charitatẽ discipulis
testaméto reliquit, persecutionem apostolis,militaribus
seruis vestimenta,corpus Iudæis, matrẽ charissimam Ioanni,
latroni paradisum, spiritum suum patri cœlesti,se denique
totam veluti perpetuum quoddam μνημόσυνον & memoriale
reliquit ecclesiæ. Meritò itaque, fratres in Christo dilectissimi,
ab omni vitiorum genere nobis cauentes, omnem
porrò spem & fiduciam nostram, omne gaudium, cogitationes
denique cunctas reponemus in domino nostro
Iesu Christo. Et ille vicissim gratiam nobis cõferet
in præsenti vita,non negaturus etiam futuram
resurrectionis gloriam & fœlicitatem
æternam:quam omnibus nobis
clementer concedere dignetur
Deus pater,Deus filius
, Deus spiritus
sanctus,
Amen.

FINIS TOMI HVIVS PRIMI.

INDEX DOMINICARVM PER folia.

INDEX PRIMI Tomi.

A

B

C

Finis indicis.



Clas. 2ª.
Lit. C.